3816

Digitized by Google

Palat. XXXVII-117 (1

Digitized by Google

Digitized by Google

THOLOGIÆ

SPECULATIVÆ

Digitized by Google

584443

SACRAE
THEOLOGIAE SPECULATIVAE
INSTITUTIONES

A BLASIO PANZUTI
CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS
CLERICIS JUVENIBUS
EIUSDEM PRAESERTIM CONGREGATIONIS PROPOSITAE

VOLUMEN I.

DE LOCIS THEOLOGICIS
QUIBUS PRAEIT BREVIS AD THEOLOGIAM
INTRODUCTIO.

Biblioteca Nazionale Napoli
FONDO PALATINO

NEAPOLI,
EX TYPIS RAPHAELIS MIRANDA
MDCCCXXVIII.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Osee c. 4. v. 6.

Esto, o Doctor, quasi Beseleel (*Exodi* 36), *et pretiosas Divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur . . . Eadem tamen, quae didicisti, doce; ut, quum dicis nove, non dicas nova.*
Vincentius Lyrinensis in Commonitorio.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO

AUGUSTINO OLIVIERI

CONGREGATIONIS MATRIS DEI,

EPISCOPO ARETHUSINO

REGIORUM PRINCIPUM PRAECEPTORI, AC REGALI

EQUITI ORDINIS S. JANUARII

Sub faustissimis Tuis auspiciis hae in lucem prodeunt, Amplissime Praesul, Sacrae Theologiae speculativae Institutiones, Clericali iuventuti, meae praesertim Con-

Digitized by Google

gregationis, propositae: pluribusque nominibus eas Tibi uni nuncupandas in animum venit. Sacris namque ob sacerrimum Episcopatus characterem praefectus, et Tibi gratae fuissent, et ob litterarum simul sive Divinarum, sive humanarum profundissimam, qua polles, scientiam eas perspicaci oculo esses visurus. Tot item, tantaque benignitatis argumenta, quibus meae Congregationis Caput simul, ac decus, ac per eum totam ipsam Congregationem prosecutus es, eas Tibi vindicabant. Ac demum praeclara, quibus cumularis, merita hoc, licet exiguum, obsequentis animi testimonium iustissime exigebant. Doctrinae enim, et virtutum semina statim ab ineunte aetate nisus concipere, adeo haec paullatim succrevere, atque in uberrimos deinde eruperunt fructus, ut, dum in florenti Congregatione sub titulo Matris Dei, cui nomen dederas, humanis, Divinisque litteris docendis, excitandisque ab ipso iuventutis flore ad provectam usque aetatem summa cum laude incubueras, dum in Aedibus, quas ipsa hic Neapoli habet, ac Tibi debet prae tot aliis servatas, illustratas, auctas, digne praeeras, dum in hac conspicua Archiepiscopali Curia Examinatoris Synodalis munere funge-

baris, dum in peculiarem Tui aestimationem omnes demum cuiusvis ordinis in hac Regni Metropoli acciveras, haud diutina opus fuerit vel conquisitione, vel deliberatione, in quem Franciscus I., Rex noster Sapientissimus, ac Paternae virtutis non minus, quam Regni haeres, Regiae eius Soboli Praeceptorem daturus, oculos coniiceret, ac Te prae aliis ad Eam, ut par erat, instituendam deligeret. Quid porro aut praecellentius, aut communi bono utilius, si, ut ait Plato, *quemadmodum Monarchia bonis legibus instituta est omnium Reipublicae formarum praestantissima, sic bonus Rex est, velut Deus quidam, inter mortales* (*In Dial. Polit.*)? Qua super re solemne item est, quod ex eodem Platone refert Boetius, *beatas fore Respublicas, si eas vel studiosi sapientiae regerent, vel earum Rectores studere sapientiae contigisset* (*De consol. Philos. l.* 1. *Pros.* 4.). Munere autem tam praecellenti, ac simul communi bono, tam utili Tibi demandato, quam laudabiliter, Sapientia semper, ac Religione administra, illud impleveris, et quam apprime Optimi Regis voluntati satisfeceris, tum ipsorum Regiorum Principum conspicua pietas, agendique numquam satis commendabilis ratio; tum Opus,

cui titulus, *Filosofia Morale, ossia i doveri dell' uomo*, eorumdem praesertim bono a Te editum, utque vere aureum, plane etiam dignum, quod Augusto Regalis Genitricis MARIAE ELISABETH Nomini inscriberetur; tum denique Aulae totius una simul vox testantur. Hinc quoque factum, et quod Regium Tibi animum arctissime devinxeris; et quod gravissima etiam negotia Optime Tibi concredita haberentur; et quod, velut alterum Bossuetium, et Fenelonium, tota Te Aula respiciat; et demum quod, velut alterum Richelieu, ad culmina honorum Te evecturum meritorum culmen, longe abesse non possit. Praeclarissimam proinde Tui Nominis memoriam, ac celebritatem cum tot, tantaque futuris aetatibus commendent, ac celte in silice sculpserint, impar sum, ut calamo explicem, quam gratum mihi acciderit, quod harum Institutionum in lucem edendarum causa aliquod meae erga Te voluntatis testimonium publice exhibendi opportuna praeberetur occasio. Eas igitur, qualescumque sint, benigno, quo soles, animo excipe: dumque easdem percurrere non dedignaberis, habeas simul, tamquam publicum profundissimae illius venerationis testimonium, qua Nestoreos an-

nos ad commune bonum Tibi prius adprecatus, Manus deosculor Tuas, ac demississimo obsequio in aevum nuncupor Neapoli ex Aedibus Cong. SS. Redemptoris V. Kal. Octobris MDCCCXXVIII.

Excellentiae Tuae Reverendissimae

Addictissimus, atque obsequentissimus
BLASIUS PANZUTI Cong. SS. Redemptoris.

Digitized by Google

A S. E. REVERENDISSIMA

MONSIGNOR COLANGELO

PRESIDENTE DELLA GIUNTA

DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Eccellenza

Lo Stampatore Raffaele Miranda desidera di Stampare l'Opera intitolata -- *Sacrae Theologiae revelatae Institutiones a Blasio Panzuti Congregationis Sanctissimi Redemptoris Clericis Juvenibus ejusdem praesertim Congregationis propositae*: perciò la prega ad accordargli un Revisore, e l'avrà ec.—Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione—A dì 15. Luglio 1828.—Il Regio Revisore Signor D. Angelantonio Scotti avrà la compiacenza di rivedere la sopradetta Opera, e di osservare, se siavi cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità.—Il Deputato per la Revisione de' Libri—Canonico Francesco Rossi.

Excellentissime, ac Revme Domine—Etsi complures hactenus prodierint Theologiae Dogmaticae Institutiones, non tamen frustra tempus insumpsit R. P. Blasius Panzuti, qui suas quoque edendas curavit. Prosunt enim hujusmodi lucubrationes, multiplices licet, ac varia methodo concinnatae, ut intelligant haeretici, in Ecclesia Catholica novis semper viribus Veritatem propugnari; et quamvis diverso ordine, stylo, rationum momentis, et notitiarum varietate praefulgeant, numquam tamen a definitis dogmatibus discedunt; dum ipsi in tot inter se pugnantes sententias, quot sunt Theologorum capi-

ta, abeunt, et placita a suis etiam haeresiarchis conficta, modo amplectenda, modo respuenda censent. Praeterea cum in SS. Redemptoris Congregatione, quae non multis ab hinc annis a B. Ligorio instituta est, aliquod deesset hujuscemodi opus, quo adolescentuli in eam recepti ad Sacra Dogmata ediscenda uterentur, dum aliae Congregationes, et Ordines iis mercibus abundant; non improbandum est, quod laudatus Auctor, qui ejusdem Congregationis Ornamentum est, hunc laborem libenter susceperit, absolveritque. In quo, ut superflua frustra requires, ita quidquid necessarium, aut utile ad veritates defendendas, et refutandos errores videbatur, summa perspicacia, et diligentia expositum reperisse me, fateor. Cum itaque nihil aut Religionis scita, aut Regiae Majestatis jura vel minimum carpat; Opus, nisi Excellentiae Tuae aliter videatur, typis edi, et in publicae lucis usuram prodire meretur. Neapoli die secunda Augusti 1828.—Regius Librorum Censor—Angelus Antonius Scotti.

Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione — Vista la dimanda del Tipografo Raffaello Miranda, con la quale chiede di voler stampare l' opera intitolata *Sacrae Theologiae revelatae Institutiones a Blasio Panzuti Congregationis Sanctissimi Redemptoris ec. ec. ec.* — Visto il favorevole parere del Regio Revisore Signor D. Angelantonio Scotti, permette, che l' indicata Opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all' originale approvato.

Il Presidente
M. Colangelo.

Pel Segretario Generale, e Membro della Giunta
L' Aggiunto
Antonio Coppola.

REVERENDISSIMO PATRI

D. COELESTINO MARIAE COCLE

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

RECTORI MAIORI

BLASIUS PANZUTI

EIUSDEM CONG. PRAESBYTER S. D.

Sacrae Theologiae Speculativae Institutiones in lucem daturus, Sanctissimae Ecclesiae legibus, Statutisque nostrae Congregationis obsequens, quod nonnisi Te permittente, penes quem supremum est ipsius Congregationis regimen, publici iuris fiant, eas, Pater optime, Tibi sisto, ut si ita expediens iudices, typis mandari, servatis servandis, permittas.

NOS COELESTINUS MARIA COCLE
CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS RECTOR
MAIOR, ET SUPERIOR GENERALIS.

Cum opus, cui titulus, *Sacrae Theologiae Speculativae Institutiones a Blasio Panzuti Congregationis SS. Redemptoris Clericali iuventuti eiusdem praesertim Congregationis propositae*, duo eiusdem Congregationis Theologi, quibus a Nobis commissum fuit, recognoverint, et in lucem edi posse, probaverint, Nos praesentium tenore facultatem impertimur, ut typis mandetur, si ita, ad quos pertinet, videbitur. Cuius rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, et praefatae Congregationis sigillo munitas dedimus.

Ex hac Nostra Residentia S. Antonii ad Tarsiam Civitatis Neapolis quinto. Kalendas Octobris anni 1828.

Coelestinus Maria Cocle Cong. SS. Redemptoris Rector Maior
L. ✝ S.
Ioan. Iosephus Sabelli Cong. SS. Redemptoris Secretarius

Digitized by Google

PRAEFATIO AUCTORIS.

Cum omnibus praeceptum sit, rectam fidei, et morum regulam, quae, *tamquam lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat* (*cp.* 2. *Pet.* *c.* 1.), nos dirigat ad aeternam beatitatem consequendam, semper prae oculis habere; nemo profecto est, qui non videat, quam simul necesse sit Ecclesiae Ministris tum ad fideles recte edocendos, tum ad haereticorum refellendos errores, ut probe eam calleant. Quidquid autem ad mores pertinet, non immerito credimus ea, qua par erat, ratione tradidisse, vitando scilicet tam rigoris nimii, quam laxitatis aeque noxios fines, Theologiae Moralis Institutionibus in lucem editis: tum quia ad unguem cusis juxta ea, quae docuerat in suo Morali Opere praeclarissimus nostrae Congregationis sub titulo Sanctissimi Redemptoris Parens B. Alphonsus Maria De Ligorio, de quo S. R. Cong., Pio VII. Pontifice Max. approbante, declaravit sub die 14. Maji 1803., *nihil censura dignum* scripsisse; itemque, eodem approbante Pontifice Max., sub die 7. Maji 1807., constare de ejus *virtutibus theologalibus, cardinalibus, earumque adnexis in gradu heroico*: tum quia, cum postulasset Procurator Generalis nostrae Congregationis Josephus Maria Mautone eas secundo edere e Romanis typis, easque revidendi munus a Pro-Magistro tunc temporis Palatii Apostolici Reverendiss. P. Thoma Dominico Piazza Ord. Praed. accepissent P. Placidus Tadini Ord. Carmelitarum, in Archigymnasio Romano S. Theologiae Professor; P. Michael Dominicus Zecchinelli Soc. Jesu, D. Joachim Ventura Theatinus, Juris Publ. Eccl. Professor, et P. Antonius Franciscus Orioli Ord. Min. Conv., Collegii D. Bonav. ad SS. XII. Apostolos Regens, et Rector, et S. Ind. Cong. Consul-

tor; primus retulit, sub die 24. Jan. 1826., *illas deprehendisse stili perspicuitate, ac nitido rerum ordine, atque delectu esse dispositas*; alter, sub die 8. Febr. ejusdem anni quod in iis *et aperta dicendi ratio, et tractationis ordo, et prudens opinionum delectus elucet, et amplitudo materiae ita justis coercetur finibus, ut nec discendi facilitati prolixitatis ambages, nec brevitatis angustiae integritati doctrinae, quoad ejus fieri potuit, videantur officere*; tertius sub die 13. Febr. ejusdem anni, quod, attentis *perfecta cum principiis Moralibus B. De Ligorio concordia*, nec non *tractationis forma, consilio, ordine, et sermonis perspicuitate, propositum sibi scopum tanta felicitate* Auctor attigerat, *ut, nihil fortasse melius in hoc genere confici posse, videatur.* Postremus denique sub iisdem die., et anno, quod *utili methodo, perspicua dicendi ratione, prudenti delectu, certis finibus juxta ejusdem Beati sententias exacte concinnatae sint, opportunisque additamentis illustratae, adeo ut Clerici, juniores praesertim, in doctrina morum addiscenda uberem inde fructum capere possint.* Quibus Clarissimorum Virorum votis accessit deinde S. Indicis Congregationis Declaratio, quam ejusdem S. C. Secretarius Reverendiss. P. Alexander Bardani Ord. Praed. detulit pro sui muneris officio ad praefatum Procuratorem Generalem nostrae Congregationis in Alma Urbe sub die 27. Jun. ejusdem anni 1826., quod in iis *nihil obstat*, quin iterum, atque iterum, si libet, publici juris fierent. Hinc factum, quod quatuor supra decem Clericorum Seminaria eas hactenus adoptarunt; quodque, cum non modo in Italia, sed ultra Alpes etiam fuerint conquisitae, vix trium annorum spatio 1400. circiter exemplaria celerrime evanuerint. Hoc nempe opus omnium conatuum, quibus partium studium, eaque rigoris acerbitas, quae cum non satis lacrymabili Ecclesiae pernicie tot Sacrorum Ministrorum animos pervasit, praesumpserat Ligorii doctrinam, a qua nec hilum discesseramus, in iis carpere.

Cum autem hac occasione postulatum fuerit, quo sensu accipienda sint S. R. C. Decreta super Ligo-

rii doctrina, en istud a Benedicto XIV. *lib.* 2. *De Canonizat. SS. cap.* 25., 28, *et* 34. . Quo scilicet duce, non asserimus quidem, relatis Decretis vel Sedem Apostolicam Ligorii doctrinam definiisse, tamquam veram, et sacram, quod et in praefatis Institutionibus *lib.* 1. *n.* 53. ingenue, amplissimisque verbis declaravimus; vel iis magis ponderis tribuendum esse, quam quod iisdem ipsa S. C. tribuit: ex iis tamen, quae laudatus Pontifex docet c. 28. n. 9, liberum quidem et modo est Ligorio adversari; sed qui illi adversantur, *debent de ejus sententiis judicium non ex sua, vel suorum ferre, sed agnoscere libenter probabilitatem doctrinae, a qua alioquin abhorrent.* Quoad 1.m nempe, et modo utique est liberum Ligorio adversari; ut enim subdit idem Benedictus XIV. c. 34. n. 12., *videtur numquam dici posse a S. Sede approbatam Servi Dei doctrinam, sed ad summum dici posse non reprobatam, si Revisores retulerunt, nil in eius operibus reperiri, quod adversetur Decretis Urbani VIII., et judicium Revisorum fuit a S.C. approbatum, et a Summo Pontifice confirmatum: praedictam idcirco doctrinam debita cum reverentia posse citra ullam temeritatis notam impugnari, si modesta impugnatio bonis rationibus innixa sit, etiam postquam Dei Servus, qui scripsit, inter Beatos, aut Sanctos fuerit relatus.* At prae oculis quoque habendum, quod 2.° loco ex eodem Benedicto advertimus, quod nempe, qui illi adversantur, *debent agnoscere libenter probabilitatem doctrinae, a qua alioquin abhorrent*; quia, ut docet c. 25. n. 2, et 7., in revisione Operum alicuius Servi Dei, de cujus Beatificatione, et Canonizatione agatur, debent Revisores ex Decreto Urbani VIII. sedulo inquirere, *utrum contineant errores contra fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque a communi sensu Ecclesiae, et consuetudine alienam . . quoniam, si secus res se habeat, aut conceptus, et opiniones profiteantur diversas ab illis, quas communiter Ecclesia Romana, ipsiusque Ecclesiae Doctores tenent, ac docent, a Canonizatione omnino abstinen-*

dum est, quia certum est, pravas doctrinas displicere Deo, et earum Auctores amicos Dei censeri non posse.

Quibus positis; cum, peracta revisione Operum Ligorii, declaraverit S. C., approbante Pontifice, quod in iis *nihil censura dignum repertum* fuerit, quodque *virtutibus theologalibus, cardinalibus, earumque adnexis* floruerit *in gradu heroico*: quid clarius, quam quod Ligorii doctrina potest quidem et modo *citra ullam temeritatis notam impugnari*, sed, quemadmodum laudatus Pontifex addit l. cit., *debita cum reverentia*, et nedum ita, ut *modesta impugnatio bonis rationibus innixa sit*, verum etiam *agnoscendo libenter probabilitatem doctrinae, a qua* Adversarii *alioquin abhorreant*? Quia nempe in compertis modo habendum est; eam non continere *nec errores contra fidem, vel bonos mores*, nec *doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque a communi sensu Ecclesiae, et consuetudine alienam.*

Haec palam facere operae pretium existimavimus, non ut inanem exoptaremus gloriam, sed ut evulgatae a Ligorii contradictoribus in praefatas Institutiones calumniae, quanti faciendae sint, pateat. In illis tamen, quia solum dogmata, quae ad Tractatus Theologiae Moralis spectant, attigimus; praeter quos reliqui etiam, qui ad Theologiam speculativam pertinent, ad Clericalem Juventutem complete instituendam sunt necessarii: hos quoque idcirco, aggredi in animo erat; iteratisque demum iussionibus Optimi, ac vigilantissimi Praesulis, qui maiori semper tam Regularis disciplinae, quam litterarum incremento studens, maiori semper cum laude supremum gestat nostrae Congregationis regimen, obtemperans, agendos suscepimus. Iis vero incumbere non unum impulit: 1.° nempe quod eae, quae adsunt typis editae Theologiae speculativae Institutiones vel doctrinas nonnumquam tradunt quoad ea, quae in Scholis hinc, indeque disputantur, orthodoxas quidem, sed quibus oppositas Beatus nostrae Congregationis Parens Alumnis suis tradi exoptabat, monitumque reliquit; vel quae agunt, summatim, et quasi delibando agunt;

cum sit quidem de elementorum ratione non integras res exhaurire, sed velut prima tantum lineamenta tradere, aliquid tamen amplius praeter nuda rerum lineamenta eos callere debere, qui Apostolico muneri incumbunt, prout sunt omnes nostrae Congregationi adscripti, nemo inficiabitur. 2.° quod cum plures processu temporis exortae sint quaestiones, quas maiores nostri omiserunt, nunc vero esset dedecus ignorare, optimum factu erat Institutiones edi, quae et nova, et vetera complecterentur. 3.° quod, ut scribit D. Augustinus initio Operis De Trinitate, nec non libro de unico adversus Petilianum Baptismate, perutile est, *de eisdem quaestionibus plures a pluribus libros perfici, quibus, si fieri potest, etiam ad negligentiores veritas aliquando perveniat.*

In sex autem libros susceptam materiam distribuimus: in quorum 1.°, brevi praemissa introductione ad Theologiam, de Locis Theologicis; in 2.° de Deo, et de Divinis Attributis; in 3.° de Trinitatis Mysterio; in 4.° de Creatione Mundi, ac praesertim Angelorum, et primi hominis; in 5.° de Incarnatione Verbi Divini; in 6.° demum de gratia pertractabimus. In quibus omnibus, dum sermo de iis fiat, quae inter Doctores controvertuntur, illud semper cordi sit, quod laudatus D. Aug. monet l. 1. de Trinit. c. 10. n. 16. *Veritatem* nempe *in pace catholica pacifico studio requirere*; quodque, ut idem S. D. ait in Ps. 57., *nihil gloriosius, quam subiici, aut vinci a veritate.* In Theologicis enim pertractandis distinguendum semper est inter dogmata, quae ab Ecclesia definita fuerunt; eaque, de quibus, salva fide, hinc, indeque in Scholis disputatur: nam si de illis agatur, unitas fideliter, ac demisso capite servanda est; si vero de his, liberum cuique est amplecti, quod sibi magis probatur: *In necessariis* (ita nempe vulgatum illud, ac solemne effatum) *unitas; in dubiis libertas, in omnibus charitas.*

*

[illegible]

Digitized by Google

CONSPECTUS

HUJUS PRIMI VOLUMINIS.

INTRODUCTIO AD THEOLOGIAM.

LIBER I.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

TRACTATUS I.

DE SACRA SCRIPTURA.

TRACTATUS II.

DE SACRIS TRADITIONIBUS.

TRACTATUS III.

DE ECCLESIA EXTRA CONCILIUM.

TRACTATUS IV.

DE CONCILIIS, AC PRÆCIPUE GENERALIBUS.

TRACTATUS V.

DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

TRACTATUS VI.

DE AUCTORITATE PATRUM, AC DOCTORUM ECCLESIAE.

TRACTATUS VII.

DE AUCTORITATE THEOLOGORUM SCHOLASTICORUM.

TRACTATUS VIII.

DE RATIONE NATURALI IN THEOLOGIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

INTRODUCTIO AD THEOLOGIAM.

CAPUT UNICUM.

De notione, ac natura Theologiae; nec non de eius necessitate, ac conclusionum certitudine.

Theologiae praestantiam ipsum ejus etymon, quod idem est, ac *sermo de Deo*, satis aperte ostendit: quid enim praestantius, quam de Deo sermonem habendo in ejus notitia magis, magisque proficere? En sapientiae culmen. En *consummata justitia*, ut dicitur Sap. 15. En medium non parum ducens ad ejus dilectionem assequendam; si enim, ut ait Jo. Apostolus ep. 1. c. 4., *qui non diligit, non novit Deum*, quodnam opportunum medium ad eum diligendum dicendum est illum nosse? En demum *vita aeterna*, juxta id, quod ipse Christus ait Jo. 17.: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*; ex consideratione enim Divinarum perfectionum homo assurgit, ut Deum timeat, ac diligat, atque hinc, ut omnem agendi, vivendique rationem ad ejus beneplacitum, nutumque componat.

Distinguitur autem Theologia 1.° in naturalem, et supernaturalem; in eam nempe, *quae sola naturali ratione duce*, ac eam, *quae supernaturali fidei lumine de Deo disserit*: ac 2.° in speculativam, et practicam; in eam nempe, *quae de credendis*, ac eam, *quae de agendis, seu morum praeceptis, tractat.* Supernaturalis vero, de qua agendum praecipue suscipimus, subdistinguitur in Positivam, et Scholasticam. Prima dicitur, *quae, neglectis Dialecticae regulis, ea, quae fidei sunt, ex Scripturis, Conciliis, ac Patribus disserendo statuit.* Altera, *quae methodo in Scholis usitata, nedum, quae fidei sunt, ex Scripturis, Conciliis, ac Patribus firmiter statuit, sed ex iis alias praeterea conclusiones disserendo colligit vel circa Deum, vel ad Deum quoquo modo pertinentes.*

Primus porro omnium hanc tradidit apud Graecos D. Jo. Damascenus saec. 8.; apud Latinos D. Anselmus

saec. 11., ac postmodum saec. 12. Petrus Lombardus Ep. Paris., ac dictus quoque Sententiarum Magister, eo quod 4 sententiarum libris Theologiae summam ex senteutiis Ss. PP. complexus fuerit. Maxime tamen debet Theologia Scholastica Doctori vere Angelico D. Thomae, qui Theologiae summam in tres partes distribuit: in quarum prima agit de Deo uno, et trino, et Creatore Angelorum, et hominum, et de operibus sex dierum. Cumque secundam partem in duas partes diviserit, in prima, quae *prima saecundae* dicitur, agit de actibus humanis, de legibus, et de gratia. In secuuda, quae dicitur *secunda secundae*, agit de virtutibus, et vitiis in particulari. In tertia demum parte agit de Verbi Divini Incarnatione, et de Sacramentis. Sequitur autem ex allata ejus definitione, 1.° ejus objectum materiale, seu *id*, *de quo agit*, esse Deum, ac res Divinas, seu quae ad Deum quoquo modo pertinent: objectum vero formale, idest *formam*, *sub qua Deum*, *ac res Divinas sibi adsciscit*, esse earum assequibilitatem per ratiocinium ex revelatis. 2.° Theologiam differre a Fide, dum illa enim probat, et defendit Dogmata, hæc citra ullam ratiocinationem iis assentitur, quia Ecclesia eadem credenda proponit.

His praejactis, hae suboriuntur quaestiones: 1.ª, an Theologia sit Ecclesia necessaria? 2.ª, an dicenda sit vere, et proprie scientia? 3.ª, an ejus conclusiones superent certitudine caetera, quae naturali tantum lumine assequimur? 4.ª quaenam in Theologia habenda sint certa certitudine tantum Theologica; quaenam certitudine etiam fidei Divinae; quaenam demum certitudine etiam fidei catholicae, adeo ut qui iis directe, et immediate cum pertinacia opponatur, cognoscendo scilicet communi Ecclesiae fidei repugnare, idem enim est catholicum, quod universale, sit vere haereticus. Suboriuntur autem 1.°, quia Theologiam, si minus positivam, Scholasticam tamen, nedum non necessariam, sed et noxiam esse Ecclesiae, dixerunt ex quo prodiit quovis aevo haeretici, omniumque novissime Wiclefus, Lutherus, Calvinus, Melachthon, &c.: contra quos DD. Catholici eam Ecclesiae perutilem, et quodammodo necessariam asserunt. 2.° quia scientiam quidem eam esse lato sensu, utpote quae innumera, circa quae versatur, certo attingit, fere omnes docent: nequaquam tamen stricto sensu, quia eadem non attingit simul evidenter, nisi tantum remote per credibilitatis mo-

tiva. 3.° quia per certitudinem intelligi adhaesionem mentis alicui rei absque errandi formidine, omnes norunt. Hanc autem omnibus conclusionibus theologicis inesse, quas Theologia evidenter infert ex praemissis sive ambabus, sive una tantum de fide, nemo in dubium vocat, et ex se est perspicuum. Est quoque extra controversiam, quod conclusionibus theologicis, sive ex ambabus praemissis de fide evidenter ductis, sive ex una tantum praemissa de fide, sed *per meram expositionem*, vel *per meram evolutionem*, ut infra explicabitur, major ratione motivi certitudo insit, quam quibuscumque veritatibus, de quibus habetur scientia naturalis. Certitudo enim tam subjecti, idest *quae se habet ex parte mentis*, quam objecti, idest *quae se habet ex parte rei, quatenus aliter se habere nequit*, tota prodit ex certitudine motivi illam gignentis; quod si absolute necessario connectitur cum rei veritate, certitudo est maxima, adhaeretque mens rei veritati tali firmitudine, ut nullatenus ab ea turbari queat: si vero cum rei veritate non connectitur absolute necessario, certitudo non est maxima, adhaeretque mens rei veritati firmiter quidem, non tamen firmitudine, a qua nullatenus turbari possit. Præfatæ autem conclusiones theologicæ ipsius fidei certitudine sunt certæ, motivumque Divinæ revelationis, cui fides nititur, nedum absolute necessario cum rei veritate connectitur, cum absolute impossibile sit, quod id, quod Deus revelavit, aliter se habeat, verum etiam comparationem instituere inter verbum Dei, humanamque rationem idem esset, ac lumen tenebris comparare, immo Deum homini: Quamvis proinde primorum principiorum certitudo firmissima sit, et maxime evidens, neque ipsa tamen ratione motivi, vel si mavis dicere *ob certitudinem motivi* cum certitudine præfatarum conclusionum theologicarum comparanda est. Inestne tamen haec major certitudo etiam conclusionibus theologicis *per veram illationem* ductis ex praemissis, quarum una tantum sit fidei? En igitur quaestio. 4.° quia non omnia aeque apud Theologos sunt certa: sunt quippe quae apud eos sunt certa, sed fidei Divinae certitudinem non attingunt: alia, quae apud eos sunt certa certitudine fidei Divinae, sed non item certitudine fidei catholicae; quia ad communem Ecclesiae fidem non spectant: alia demum, quae apud eos sunt certa tum fidei Divinae, tum fidei catholicae certitudine, quia ad communem Ecclesiae fidem spectantia. Quaenam porro ea sint, discernere, quam sit Theo-

logo necessarium, nemo est, qui non videat. Sit proinde.

Prop. I. = Theologia in se, et quoad substantiam, idest abstrahendo a ratione, qua traditur, simpliciter necessaria est toti Ecclesiae: quae vero dicitur Scholastica, valde perutilis, et quodammodo necessaria.

Prob. I. pars. Et 1.° ex illis Ap. verbis ad Tit. 1. *Oportet Episcopum amplectentem esse eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.* Id autem praestat Theologia in se, et quoad substantiam. Ergo.

Deinde quod Ecclesiae simpliciter necessaria sit fides, probatione non eget Fidei autem gignendae, nutriendae, ac defendendae simpliciter necessaria est Theologia in se, et quoad substantiam. *Gignendae*, nequeunt enim Ministri Ecclesiae fidem propagare, nisi ejus dogmata explicare, et probare valeant Theologiae ope. *Nutriendae*, quia ejusdem ope praemuniuntur fideles et adversus humani ingenii levitatem, et inconstantiam, et adversus nequitiam, fraudes, et astutiam hominum pravorum, ne *circumferantur* (ut ait Ap. ad Eph. 4.) *omni vento doctrinae ad circumventionem erroris.* Demum *defendendae*, unius enim Theologiae ope oppositos Haereticorum errores, cavillationesque refellimus: Ipsam ergo quoad substantiam simpliciter necessariam esse Ecclesiae, consequens est.

Demum tum Christi, tum Apostolorum exemplo Christum namque illam adhibuisse, constat ex c. 21. Matth., ubi animorum simul immortalitatem, et futuram corporum resurrectionem Sadducaeis probaturus, *Non legistis* (inquit) *quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Quasi diceret: Cum Abraham, Isaac, et Jacob animo, et corpore fuerint, mortuorum Deum sese Deus nuncuparet, si Abraham, Isaac, et Jacob nec animo viverent, nec umquam corpore forent resurrecturi. Cum Dei autem dignitate parum cohaeret mortuorum Deum se nuncupare: Et animo igitur vivunt, et corpore etiam erunt aliquando resurrecturi. Ibidem quoque c. 22., sumpto ex Psalmis illo versiculo: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis,* probat, quod Messias futurus non erat simplex Davidis filius, sed Deus, quoque ipsius Davidis, hac ratione disserens: *Si ergo David appellat eum Dominum,*

quomodo filius ejus est? Idest, nequit Filius Dominus sui ipsius Patris esse: Messias igitur, quem David suum appellabat Dominum, simplex ejus Filius futurus non erat. Cumque universorum Dominus non sit, nisi Deus, hinc ejus et filius, et Deus futurus erat.

Nec tantum Christus, sed et Apostoli Christi exemplum secuti, ipsi quoque Theologiam adhibuerunt. Eam namque adhibuit Apostolorum Princeps ab ipsa prima concione Jerosolymis habita in die Pentecostes, alloquens Judæos, iisque tum Mysterium eo die paractum, tum fidem in Jesum Christum prædicans, suadensque variis Scripturæ textibus allatis c. 2. Actuum: et *aliis etiam* (ut ibidem subditur) *verbis plurimis testificans, et exhortans eos, dicens: Salvamini a generatione ista prava.* Eam quoque adhibuit D. Paulus et possibilitatem resurrectionis probans ep. 1. ad Cor. c. 15. ex Christi resurrectione: *Si autem* (inquiens) *resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit:* et 2. ad Cor. c. 5., omnes homines, probans, mortuos fuisse in Adam, quia Christus pro omnibus mortuus est: *Si unus* (inquiens) *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; quae huc recidunt: Christus pro omnibus mortuus est. Sed Christus nonnisi pro iis, qui in Adam mortui fuerant, mortem sustulit: Omnes igitur in Adam mortui sunt. Et sic passim alibi. De quo etiam Actuum 18. dicitur, quod *disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu Christi, suadebatque Judaeis, et Graecis.* Quibus simul congestis, nemo est, qui non videat, Theologiam in se, et quoad substantiam simpliciter necessariam toti Ecclesiae dicendam esse.

Diximus autem toti *Ecclesiae*, ipsam namque omnibus, singulisque hominibus necessariam non esse, constat tum ex Marci c. ult., ubi, privatis hominibus satis esse fidem ad vitam aeternam consequendam, illis verbis dicitur: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; cui concinit illud quoque Jo. 3.: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam*: tum ex 1. ad Cor. c. 12., ubi expresse Apostolus: *Numquid omnes Prophetae? Numquid omnes Doctores?* Nec obstat D. Petrus ep. 1. c. 3., ubi singulos fideles hortatur, paratos semper esse *ad satisfationem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est spe.* Id quippe intelligendum est de simplici fidei, et mysteriorum notitia, ita ut de iis, ait Estius in hunc lo-

cum, *juxta suum quisque modum respondere, ac satisfacere possit.*

Probatur 2. pars = Quod enim ea, quae dicitur Scholastica, valde Ecclesiae perutilis sit, et quodammodo etiam necessaria, ex ipsis, quae contra eam debacchantur haeretici, manifeste patet: eam namque Ecclesiae prodesse, *sicut prodest Diabolus*, ajebat Wiclefus: aliosque inter, quos in eo Synodus Constantiensis errores proscripsit, unus fuit, quod *Universitates*, *Studia*, *et Collegia vana garrulitate introducta sunt.* Lutherus l. 2. de abrog. Missa nostrorum Scholas *lupanaribus* comparat, vocatque D. Th. *phialam irae Dei.* Calvinus in suis Institutionibus haec contra eam habet: *Tota Papatus Theologia immane est chaos, et horribilis labyrinthus, quia, neglecto Christo, sibi insanis, ac ventosis speculationibus indulget.* Wittebergenses haeretici permultos Scholasticorum libros magna Ministrorum, populique frequentia, ac feretro impositos ad mediam detulerunt urbem, ac in ardentem rogum projecerunt. Bucerus dixisse traditur: *Tolle Thomam, et dissipabo Ecclesiam.* Qua autem ex causa Haeretici adeo Theologiam Scholasticam insectati sunt, nisi quia Philistaeis similes, qui, auctore Josepho l. 9. *Antiqu. c.* 7., devictis ad Gabam hebraeis, prohibuerunt, ne deinceps fabros ferrarios haberent, ut soli possent contra hostes lanceas, gladiosque tractare, ipsi quoque nollent nos ad diluenda ipsorum sophismata instructos, ut majori conatu, ac dolo ea, quae profitemur dogmata, impeterent? Porro, ut ait Sixtus V. in Bulla, in qua D. Bonaventuram inter DD. recensuit, *quanto magis illi, idest haeretici, hanc munitissimam Scholasticae Theologiae arcem oppugnare, et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere.* Qua super re ita etiam apposite D. Basilius in c. 1. Is. *Facultas dialecticae muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, et quorumlibet incursioni patere,*

Nec obstat vel illud Ap. ad Coloss. 2.: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, et inanem fallaciam:* vel illud D. Greg. hom. 26. in Evang.: *Fides amittit meritum, ubi humana ratio praebet experimentum.* R. enim ad 1.m, Apostolum damnare non omnem prorsus Philosophiam, sed quae sit *inanis fallacia*, et quae, ut subdit, sit *secundum traditionem hominum; secundum ele-*

menta Mundi: Cui accedit, quod ad hoc ipsum, ne decipiamur per Philosophiam, et inanem fallaciam, perutilis est Theologia Scholastica: ut enim Canus argumentatur, quo pacto *fallaces Philosophorum argutias refutare possumus, nisi arguendi, et refellendi artem persequamur* (*l.* 9. *De Loc. c.* 5.)? Ad 2.m fidem meritum amittere, ubi quaeratur rationis experimentum motivo incredulitatis, et Thomae Apostoli exemplo, de quo laudato loco loquitur S. Doctor; non vero ubi quaeratur rationis experimentum in obsequium fidei, et ad haereticos revincendos, *ratione semper* (ut ait idem Can. l. cit. c. 6.) *non domina, sed administra, ac syllogismo non praesidente, sed subserviente.*

Prop II. = Lato quidem sensu utique Theologia dicenda est scientia, non autem stricte, et ad Philosophorum sensum.

Prob. I. pars = Ex 1.° ex Scripturis, ubi non semel appellatur scientia; ut Jer. 3.: *Dabo vobis Pastores, et pascent vos scientia, et doctrina.* Et 1. ad Cor. 12. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae*; in quae ita D. Aug. l. 14. de Trin. c. 1.: *Scire quemadmodum fides et piis opituletur, et contra impios defendatur, proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* 2.° quia omnis cognitio certa, et sine erroris formidine in communi sensu habetur pro scientia; quare D. Aug. l. de doctr. Christ. ait: *Non esse verendum dicere nos scire, quae idoneis testibus novimus.* Et alibi. *Id scire dicimur, quod certo novimus.* In quo sensu ipsemet quoque Job c. 19. ajebat: *Scio, quod Redemptor meus vivit.* Et Jo. 11. Martha ad Christum ajebat: *Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die*; non enim, nisi ex fide et Job, et Martha id noverant. Ac passim denique Scripturae, ubi res certa est, ibi nullo modo sciendi vocabulum reformidant; ut 1. Reg. 24. *Scio, quod certissime regnaturus sis*, &c. Sunt autem innumera, de quibus per Theologiam acquiritur cognitio certa, et absque erroris formidine: immo cum versetur circa ea, quae Deus revelavit, vel sunt cum revelatis connexa, quid his certius? Nec obstat, quod non omnia, et singula, de quibus agit, sunt aeque certa: ita enim res se habet in ipsa Philosophia, quae et nonnullas opiniones certis demonstrationibus habet immixtas.

Prob. 2. pars = Scientia enim stricte sumpta, et ad Philosophorum sensum est cognitio nedum certa, sed et evidens alicujus rei. Cognitionibus autem, quas fides praebet, et ex quibus Theologia suas conclusiones elicit, inest quidem certitudo, sed deest evidentia: etsi enim sit evidens, verum esse quidquid Deus revelavit, cum nec falli possit, nec fallere; et Eum revelasse quidquid nobis ab Ecclesia proponitur credendum, cum id apertissime ostendant credibilitatis motiva: quia tamen ex motivis credibilitatis nihil aliud evincitur, nisi tantum Deum revelasse veritates fidei, quin inde idearum, ex quibus coalescunt, nexus perspiciatur, hinc simul cum evidentia, quae exurgit ex motivis credibilitatis, remanet quoque earumdem obscuritas, et inevidentia: Ergo.

Nec dicas 1.°, quod evidentia essentialis non est scientiae, sed tantum est conditio necessaria ad ejus certitudinem. Cum igitur Theologia hanc certitudinem habeat, non indiget evidentia, ut sit, ac dici possit stricti nominis scientia. 2o. quod saltem sufficit ad scientiam evidentia consequentiae, seu connexionis inter principia, et conclusiones, quin ad illam requiratur evidentia consequentis. Evidentia autem consequentiae utique in Theologia reperitur. R. enim ad 1.m, illi stricte sumptae essentialem esse; nec ad illam requiri propter certitudinem, sed propter ipsam scientiam, utpote quae definitur *cognitio certa, et evidens*. Ad 2.m vero, falsum esse, ad illam sufficere evidentiam consequentiae, tum quia haec conclusioni etiam probabili convenire potest, quando scilicet conclusio legitima syllogismorum forma deducitur ex praemissis: tum quia assensus scientificus est judicium evidens de ipsa re, ideoque de veritate consequentis, quod pro objecto habet, non vero de bonitate consequentiae, quae objectum est Logicae.

Prop. III. Conclusiones Theologicae non sunt quidem certitudine motivi aequalis certitudinis cum fidei dogmatibus, sed certiores caeteris, de quibus habetur scientia naturalis.

Prob. I. pars = Dicitur enim conclusio Theologica *quae per veram illationem evidenter infertur ex duabus praemissis, quarum una tantum sit fidei. Per veram illationem*; quum enim ex praemissa fidei infertur sive per *meram expositionem*, quemadmodum explicitum ab implicito, ut *Christus est Patri consubstantialis* ex eo,

quod Christus ait, *Ego, et Pater unum sumus*; sive per *meram evolutionem*, quemadmodum singulare ab universali, idque absque ullo respectu ad circumstantias extrinsecas, ut *Petrus in Adam peccavit* ex eo, quod ait Ap.: *Omnes in Adam peccaverunt*; vel habito quidem respectu ad circumstantias extrinsecas, sed quarum fallibilitas cesset per concursum, seu acceptationem Ecclesiae, quae operatur ex instinctu Spiritus Sancti, et infallibilitatis privilegio gaudet, ut *Concilium Trid. in decisionibus fidei, et morum fuit infallibile*: *Leo. XII. est verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Pastor* ex illis *Omne Concilium Generale canonice congregatum, et celebratum est in decisionibus fidei, et morum infallibile*: *Omnis Romanus Pontifex canonice electus est verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Caput*: in praefatis casibus non habetur jam conclusio Theologica, sed fidei placitum, Dei enim revelatio aeque afficit in praefatis casibus conclusionem, ac praemissam fidei. *Evidenter infertur*, secus namque nec etiam habetur conclusio Theologica, sed mera opinio, ut ex se patet. *Ex duabus praemissis, quarum una tantum sit fidei*, nam quum utraque praemissa est de fide, neque etiam habetur conclusio Theologica, sed placitum fidei, cum enim conclusio sit formaliter eadem cum ambabus praemissis, hinc dum hae ambae fuerint formaliter revelatae, erit quoque ipsamet conclusio formaliter revelata, ideoque de fide. Est igitur, ut diximus conclusio Theologica, *quae per veramillationem &c*: certitudo vero motivi *pondus, seu vis, et valor momenti, quod mentem determinat ad assentiendum*. Momenta autem, quae mentem determinant ad assentiendum fidei dogmatibus, fortiora sunt, quam quae determinant ad assentiendum conclusionibus Theologicis; illis namque assentimur ob immediatam Dei revelationem per Ecclesiam nobis propositam; his ob illationem ex revelatis a nobis factam per rationis ministerium; quorum primum est infallibile, alterum fallibile: Ergo.

Nec dicas, quod in assensu etiam fidei dogmatibus occurrit ministerium rationis, qua nimirum judicatur id, quod dicitur a Deo revelatum; reipsa ab eo fuisse revelatum, Ecclesiam existere, veritates proponere, infallibilis esse judicii, aliaque id genus. Tametsi igitur rationis ministerio Theologus utatur ad suas conclusiones eliciendas, et hae tamen aequalis certitudinis dicendae sunt cum

fidei dogmatibus. R. enim ; quod dum assentimur fidei dogmatibus occurrit quidem ministerium rationis, sed tantum tamquam quid praevium, et extrinsecum fidei, utpote tantum ad cognoscendam revelationem, absque eo quod ingrediatur in ipsum fidei actum, cujus motivum non est, nisi sola Dei revelatio per Ecclesiam proposita. Sic quum dicitur, fidem esse ex auditu, auditus est tantum quid praevium, et extrinsecum fidei, ac tamquam organum revelationis, non vero motivum, seu ratio assensus fidei, qui totus datur ob Dei revelationem, per Ecclesiam propositam. Quemadmodum etiam si quis Jurisconsultus legem aliquam e tenebris, quibus consepulta jacebat, erueret, eique obtemperandum esse contenderet, motivum, seu ratio obedientiae non esset Jurisconsultus, qui legem detexit, sed auctoritas Legislatoris, qui legem tulit, et promulgavit. Dum tamen assentimur conclusionibus Theologicis, ministerium rationis, quae ex revelatis disserit, ipsum est causa iis assentiendi, et motivum assensus. Patet ergo disparitas. Accedit, quod ad cognoscendam revelationem occurrit quoque, prout diximus, rationis ministerium, quia ut disserit Huetius, triplex nobis ad rerum comparandam notitiam medium largitus est Deus, sensus, rationem, et fidem; ac sensus rationi, rationem fidei praetexuit, ut sensuum infirmitati opem ferat ratio, et rationis errores fides emendaret. Porro ut prius utimur sensibus, quam ratione, ita prius ratione, quam fide; gratiam enim praecedit natura, et cognitio naturalis praecedit fidem, quae est rationis ipsius emendatrix.

Prob. II. pars = Eo enim aliquod est certius certitudine motivi, quo majoris ponderis, seu vis, et valoris est motivum ipsum ad mentis assensum extorquendum. Revelatio autem, per quam inadæquate saltem cognoscuntur conclusiones Theologicae, est motivum longe majoris ponderis ad mentis assensum extorquendum, quam ratio naturalis sola, per quam pervenitur ad ea, de quibus habetur scientia naturalis, ut ex se patet: Ergo.

Nec dicas 1.° nihil posse esse certius eo, quod est certissimum; quod ex. gr. *impossibile est, idem simul esse, et non esse, &c.* : Nec igitur conclusiones Theologicae cunctis, de quibus habetur scientia naturalis. 2.° quod conclusio, ut Logici tradunt, debiliorem semper partem sequitur. Et conclusiones igitur Theologicae, quae nempe sequantur ex duabus praemissis, quarum una tantum sit

fidei, paris certitudinis dicendae sunt cum praemissa, quae cognoscitur per lumen naturale, nec proinde iis certiores, de quibus habetur scientia naturalis. R. enim ad 1.m dist. ant.; nihil nempe certius esse posse eo, quod est certissimum, certitudine objecti, ac subjecti, non vero certitudine motivi, de qua hic loquimur. Ad 2.m neg. cons.; cum enim omnis conclusio sequatur ex ambabus praemissis, ideoque de ambabus participare quoque debeat, quis non videt, quod ob influxum praemissae, quae de fide est, dici debet conclusio Theologica majoris quoque certitudinis ratione certitudinis motivi cunctis de quibus habetur scientia naturalis? Quod vero allatum est ex Logica, refertur tantum ad quantitatem, et qualitatem propositionum, quatenus nempe, si una praemissarum sit universalis, altera particularis, una sit affirmans, altera negans, conclusio debet esse particularis, et negans.

Prop. IV. Certa sunt certitudine tantnm theologica, quae nullatenus directe, ac immediate sunt revelata, sed per veram illationem evidenter inferuntur ex duabus præmissis, quarum una tantum sit directe, ac immediate revelata. Certitudine etiam fidei Divinæ, quæ directe, et immediate siut revelata, sed nullatenus ab Ecclesia ad credendum proposita. Certitudine demum etiam fidei catholicae, quae et directe, ac immediate sint revelata, et ab Ecclesia ad credendum proposita.

Prob. 1. pars. Quae enim nullatenus directe, ac immediate sunt revelata, sed per veram illationem evidenter inferuutur ex duabus praemissis, quarum una tantum sit directe, ac immediate revelata, non sunt, ut ostendimus prop. ant. part. 1., nisi tantum conclusiones Theologicæ. Hae autem, ut ibidem ostendimus, non sunt aequalis certitudinis cum fidei dogmatibus; ex quo sequitur, quod tantum sint certae certitudine Theologica, quae scilicet certitudine motivi certiores sunt, ut in eadem prop. 2. parte ostendimus, caeteris, de quibus habetur scientia naturalis: Ergo.

Prob. 2. pars. Quae enim directe, ac immediate sint a Deo revelata, etsi nullatenus ab Ecclesia ad credendum proposita, hoc ipso tamen, quod Deum auctorem habent, credenda etiam sunt directe, ac immediate ob auctoritatem Dei revelantis. Idem autem dictu est, quod aliquid credendum sit directe, ac immediate ob auctoritatem Dei revelantis, quodque sit certum certitudine fidei Divinae: Ergo.

Digitized by Google

Prob. 3. pars. Ut enim disserit Suaresius *Disp.* 3. *De fide sect.* 10., distinguendum est *inter fidem catholicam, et fidem Theologicam, seu infusam. Fides catholica dicitur doctrina illa, quae toti Ecclesiae universali credenda proponitur, idem enim est doctrina catholica, quod doctrina universalis. Fides autem Theologica continet quidquid a Deo revelatum fuerit, etiamsi ad communem Ecclesiae doctrinam non pertineat.* Hinc autem sequitur, quod ut aliquid sit de fide Divina Theologica, satis est, quod sit in Verbo Dei scripto, vel tradito; ast ut aliquid sit de fide Divina catholica, certum scilicet certitudine fidei catholicae, requiritur insuper publica Ecclesiae propositio; seu quod et directe, ac immediate revelatum fuerit, et simul ab Ecclesia ad credendum propositum: Ergo.

Ne tamen ex dictis errandi occasio sumatur, advertendum est, quod quum aliquid clare, et aperte in Scripturis, vel Traditione habetur, quamvis desit expressa Ecclesiae definitio, certum tamen non modo certitudine fidei Divinae, verum etiam fidei catholicae est dicendum; et quisquis illud cum pertinacia neget, est vere haereticus, quia tunc adest sufficiens Ecclesiae propositio. Et sane cum Ecclesia nobis proposuerit Scripturam, et Traditionem, tamquam Divinarum revelationum depositum, nonne etiam censetur sufficienter nobis proposuisse, tamquam a Deo revelata; quae in iisdem clare, et aperte continentur? Ita idcirco prae aliis Tourn. *Tract. De cens. Theol. art.* 2., Sylvius 22. *q.* 11. *a* 1., et Card. de Lugo *disp.* 20. *de virt. fid. sect.* 2. his verbis: *Si constat sufficienter de revelatione Dei in Scriptura contenta, constat etiam sufficienter de propositione Ecclesiae, atque adeo non potest excusari dissensus ab haeresi ex defectu solum propositionis, seu applicationis ab Ecclesia faciendae. Nam Ecclesia clare, et manifeste proponit credendam Scripturam, et omnia, et singula in ea contenta. Si ergo manifeste constat aliquid in Scriptura contineri, aeque manifeste constare debet, id ab Ecclesia nobis credendum proponi.* Hinc, ut scite advertit Gabriel Antoine *tract. De fide c.* 3. *art.* 7. §. 4., potest aliquid esse de fide Catholica, tametsi illud Ecclesia nondum expresse definiverit fide Divina credendum; quia ut aliquid sit de fide catholica, sufficit, quod id ab Ecclesia sufficienter propositum fuerit, tamquam fidei dogma; quod utique esse potest abs-

que ejus expressa definitione; maxime, quia ad has edendas procedit Ecclesia vel ad proponendas veritates fidei nondum sufficienter propositas, vel ad fidei veritates jam sufficienter propositas, sed impugnatas ab haereticis, magis confirmandas, atque ad haereticorum temeritatem coercendam. Et sane nonne etiam ante Concilium Nicaenum erat Verbi Divinitas de fide Chatolica; et ante Ephesinum de fide etiam catholica, Christum esse Deum, et unicam in eo esse personam, eamque Divinam; licet nulla harum veritatum definita adhuc fuisset ab Ecclesia? Nonne est etiam de fide Catholica, Ecclesiam esse infallibilem in doctrinis fidei, et morum, tametsi haec ejus infallibilitas nec dum adhuc definita ab ea fuerit? Non ergo semper necessaria est expressa Ecclesiae definitio, ut aliquid sit de fide Chatolica, sed potest aliquid interdum esse de fide Catholica, tametsi illud Ecclesia nondum expresse definiverit fide Divina credendum.

LIBER I.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

PROLOGUS.

Locorum Theologicorum nomine illi intelliguntur *fontes, e quibus Theologia revelata sua depromit argumenta*. Suntque, saltem praecipui, Scriptura; Traditio; Ecclesia sive per Orbem dispersa, sive in Concilium coacta; ejus visibile Caput Romanus Pontifex; auctoritas SS. Patrum; auctoritas Theologorum Scholasticorum; ac demum naturalis rationis usus. *Scriptura*, et *Traditio*, quia apud Scripturam, et Traditionem extat depositum Divinarum revelationum, quibus fides, velut fundamento, nititur. *Ecclesia sive per Orbem dispersa, sive in Concilium coacta*, quia ex Christi institutione ipsa est Judex infallibilis omnium controversiarum, quae exoriri possunt super iis, quae in Scriptura, ac Traditione vel non satis sunt explorata, vel ab hominibus perversis in varias, et contrarias partes aguntur. *Ejus visibile Caput Romanus Pontifex*, quia Episcopi, a quibus Ecclesia repraesentatur, in varias quoque, et contrarias sententias abire possunt, ideoque Christus non satis providisset suae Ecclesiae, nisi illi Ca-

put constituisset, quod eos et regeret, et in unitatem vocaret, et infallibili Magisterio omnem doceret veritatem: quae Capitis dignitas residet in Rom. Pontifice ob continuatam successionem omnium in illa Cathedra sedentium a D. Petro, super quam ait Christus suam Ecclesiam aedificaturum. *Auctoritas SS. Patrum*; quia, ut ait Canus, *clarissimis monumentis contestata, consignataque antiquitas quem non moveat? Certe cum Clementem, Dionysium, Irenaeum, Epiphanium, Nazianzenum, Basilium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum, Bernardum audio, unum idem proferentes, non existimo totidem hominum doctissimorum quidem, et sanctissimorum, attamen hominum, me audire sententiam, sed catholicae Ecclesiae, cujus illi fueruut columnae praecipuae. Nec enim aliud Viri illi omnes tanto consensu sensisse credendi sunt, quam quod communiter Ecclesia catholica sentiebat* (l. 7. De Loc. c. 3.) *Auctoritas Theologorum Scholasticorum*; quia in re quacumque Magistris ea in re credendum esse, idque magis, si vel omnes, vel maxima, aut sanior eorum pars idem asserant, ipsa ratio demonstrat. *Demum naturalis rationis usus*; quia, ut scite advertit idem Canus, *cum in reliquis disciplinis primum locum ratio teneat, postremum auctoritas, in Theologia tamen non tam rationis in disputando, quam auctoritatis momenta quaerenda sunt . . quippe fidei potissimum innititur, quae nisi ab auctoritate proficiscatur, non modo fides esse, sed nec intelligi quidem potest. Est namque fides, ut Ap. tradit heb. 11., argumentum rerum non apparentium, quas si certas velis ratione facere, cum ratione profecto insanies* (De loc. l. 1. c. 2.) His igitur Theologiae solidissimis stabiliendis fundamentis totus hic liber incumbit; quaproter quaenam ejus sit necessitas, quantaque utilitas, nemo profécto est, qui ex ipsis terminis non videat. Quibus praemissis, sit.

TRACTATUS I.

DE SACRA SCRIPTURA.

CAP. I.

De notione Sacrae Scripturae; ac Divina, et infallibili ejus auctoritate, praesertim ex veritate Religionis Christianae Catholico-Romanae.

Intelligitur per Sacram Scriptura *Verbum Dei scriptum, et per Ecclesiam manifestatum. Scriptum*, ut distinguatur a Traditione, quae et ipsa est verbum Dei, sed scriptis ab ipsis auctoribus inspiratis non consignatum. Et per Ecclesiam *manifestatum*, quia non est, nisi Ecclesiae, ut infra demonstrabimus, tam verbum Dei, quam legitimum ejus sensum determinare; juxta illud D. Petri, quod *Scriptura propria interpretatione non fit* (ep.2. *c.* 1.); nec non celebre illud D. Aug. effatum: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas* (*l. cont. ep. Manich. c.* 5.). Non unum autem, aut alterum, sed 72. libros complectitur, ut in hujus tractatus progressu opportunius declarabitur.

Quid porro, de ea acturi, necesse prius sit statuere, ex se patet, Divinam, et infallibilem ejus esse auctoritatem: quia enim ex ejus libris praestans Theologiae facultas sua praesertim, ut omnes norunt, depromit argumenta, postulat methodus, quod primum omnium, secluso circa Divinam, atque infallibilem eorum auctoritatem, utpote fidei objectum, quovis dubio effectivo, ipsa eorum Divina, atque infallibilis auctoritas adversus Incredulos statuatur. Id ergo primum demonstrandum suscipimus; idque ex veritate Religionis Christianae Catholico-Romanae praesertim praestabimus. Quod, ut maxima optabili evidentia praestemus, 1.º alicujus Religionis, et quidem revelatae, necessitatem, et existentiam; 2.º veritatem Religionis Christianae ex characteribus Divinae revelationis in illa effulgentibus; 3.º hanc veram Religionem nullam esse ex iis, quas profitentur tot haereticorum sectae, quae et Christi titulo se jactant, sed tantum Catholico-Romanam; 4.º ex hujus veritate Divinam, atque infallibilem Sacrorum Librorum auctoritatem demonstrabimus. Sit itaque

ARTICULUS I.

De necessitate, et existentia alicujus Religionis revelatae.

Dei existentiam, quam cujusvis generis argumenta, et metaphisica scilicet, et physica, et moralia adeo in aperto ponunt, ut quemadmodum ait Auctor Sap. c. 13., *vani sint homines, in quibus non subest scientia Dei, et ex his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes cognoverunt, quis esset Artifex*, hic tantum supponimus, opportuniore loco, Theologorum omnium sequentes methodum, illam demonstraturi. Ex ejus porro existentia necessitas quoque alicujus Religionis, velut prono alveo, fluit; 1.° enim quid convenientius, immo justius excogitari potest, quam quod creatura rationalis debitam sui ipsius submissionem, obedientiam, gratitudinem, affectum, quae sunt Religionis officia, Creatori suo aliquo modo testetur? *Minimus inter homines colligat* (ita apposite hac super re Phil. Mornaeus De ver. Rel. Christ.), *et illico inferet, parenti obsequium, benefico Domino fidem, gubernatori invocationem deberi. Haec necessario se consequuntur, Deus, subditus, servitium: Donator, acceptor, gratiarum actio: creditor, debitor, obligatio.* Cui accedit, quod nihil, nisi propter semetipsum Deus extra se operari potest: alium namque finem operando ad extra nequit sibi praestituere, nisi finem ejus Majestate dignum; nec aliud Dei Majestate dignum esse potest, nisi Deus ipse. Indidit autem creaturis rationalibus intellectum, ac libertatem, quibus possunt Creatorem suum cognoscere, diligere, ac glorificare: Ad ipsum igitur cognoscendum, diligendum, et glorificandum, quae sunt Religionis officia, intellectum, et libertatem illis praecipue indidisse, consequens est.

Atque hic obiter advertendum, quod, ut sequitur ex utroque capite, nedum internus, sed et externus Deo cultus vi Religionis debetur: 1.° quia et animum, quo internus, et corpus, quo externus redditur, aeque Deus condidit. 2.° quia ob arctissimum animum inter, ac corpus commercium actus interni, externique mutuo sese adjuvant, sibique respondent. 3.° quia per externos tantum Religionis actus Dei cultum in alios, prout ipsa in eum Religio exigit, quantum in nobis est, promovemus. 4.°

quia concipi nequit sincerus erga Deum cultus, quin in actus quoque externos prosiliat.

Nec dicat quis heic loci cum Epicureis, quod cum Deus sufficientissimus sibi sit, nil voluptatis, vel utilitatis capere ex creaturis potest. Nihil ergo ab ipsis exigere, dicendum est.

R. enim neg cons.; 1.° enim, ut ex relatis Mornaei verbis sequitur, Religionis officia ex immutabili rerum ordine, ac relatione essentiarum profluunt; ideoque ab iis nec ab ipso Deo homines dispensari possunt: 2.° quod, ut supra diximus, ex intellectu, et libero arbitrio, quibus ex Creatoris largitate nos creaturae rationales fruimur, recte infertur, ideo praecipue facultates hasce Deum nobis indidisse, ut iis ad ipsum Conditorem nostrum cognoscendum, diligendum, et glorificandum uteremur, cum nonnisi propter semetipsum omnia, quae operatus est ad extra, potuerit Deus operari. Quibus perpensis, diutius hac super re immorari inane esset, ut cuivis consideranti fit perspicuum.

Cum autem nemo ignoret, in quot errorum monstra quoad Religionem humana ratio sibi relicta, ac sui ipsius ductum sequendo prolapsa fuerit; quodque eo usque devenerit dementiae, ut tamquam Numina coluerit adulterum Jovem, impudicam Venerem, Martem furentem, Mercurium latronem, aliosque id genus homines flagitiosissimos, immo et bruta ipsa animantia, volucres, quadrupedes, et serpentia; neque id tantum incultae, sed et cultiores Nationes, et Græci, ac Romani ipsimet, qui tamquam omnium cultissimi merito habebantur; nemo etiam non videt contra *Deistas*, nolentes, nisi Religionem quamdam naturalem dumtaxat agnoscere, quam recte scripserit D. Th. l. 1. cont. Gent. c. 4., quod in materia Religionis *ad ea etiam, quae de Deo humana ratione investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione Divina.* Absque hac, pergit S. D., ea quidem, quae non sunt supra humanum captum, detegerentur utique, sed *a paucis*: detegerentur, sed *post longum tempus*: detegerentur, sed *cum admixtione multorum errorum.* Religio autem paucorumne est, an omnium? Urgetne post longum tempus, an statim ac rationis usum attingimus? Potestne demum Deo placere, nisi errorum expers, ac omnino pura?

Dicunt quidem Deistae, rationem esse donum Dei, ideoque imperfectam esse non posse; nec non datam esse

hominibus ad vitam recte instituendam, atque ad investiganda Religionis officia, ideoque ad id satis esse dicendam. R. tamen, quod contra experientiam quaenam argutatio valebit? Constat autem ex experientia, quod in hoc saltem statu, in quo versamur, sola nobis ratio non sufficit nec etiam quoad ea, ad quae naturali tantum lumine, etiamque faciliter, pervenitur. Sane fuit Plato veterum omnium Philosophorum sapientissimus: attamen, quia Dei revelatione carens, erravit, dum et commendavit uxorum communionem, quod et Lycurgus adeo apud Lacedaemones celeber per suas leges sanxit; et vagos concubitus, seu fornicationem permisit; et expositionem infantium probavit; et ebrietatem in Bacchi feriis licitam contendit. Fuit Epictetus Ethicae apud Gentes Princeps: attamen, quia Dei revelatione carens, erravit quoque. et dum incestum, a quo natura abhorret, et Patris, ac filiae, et Matris, filiique concubitum permisit; et dum paria omnia peccata asseruit. Fuit Solon unus ex septem Graeciae Sapientibus: attamen, quia revelatione carens, turpiter et ipse erravit, dum Athenis Templum impudico amori sacravit. Quibus similia quot etiam alia suppeterent? Omittendum tamen non est, quod apud omnes solemne, et commune erat, sequendam ab unoquoque esse religionem populi, licet monstruosam, et scelestam; ut prae aliis docent Tullius l. 2. De leg. c. 10., et Epictetus c. 38. Rationis sibi relictae hi partus fuere.

Addunt Deistae, quod apud hunc, illum, aliumve ex Gentilibus Philosophis difficile etiam non est sparsa reperire et Religionis dogmata, et legis naturalis praecepta: quae item et Deistae recentiores, et nostri Apologistæ ex ipsius rationis naturalis penu ostendunt. Nonne autem hinc patet naturalis rationis sufficientia ad hominem in Religione instituendum? Sed perperam. R. namque ad 1.m, apud Gentiles quoque Philosophos illa reperiri sparsa, quia cum sapientiae desiderio ducti regiones, quas poterant, peragrarent, Hebraorum Codices cognovisse; commune est apud Eruditos, ac testantur Tacitus, Diodorus Siculus, aliique: qua super re adiri etiam potest Nat. Alex *hist. Eccl. IV. Mundi act. c. 7. a. 7.* Cui accedit, quod non omnia, quae ad Religionem, ac legem naturalem pertinent, unanimi consensu tradita apud eos reperiuntur, sed sparsa, ita ut unus illud, alter aliud tradiderit. Ad. 2., mirum non esse, quod ex rationis

penu demonstrentur Religionis dogmata nostrum captum non superantia, postquam ea ex Revelatione didicerimus; veritate enim cognita, difficile admodum non est, momenta, quibus nititur, detegere.

Diximus *nostrum captum non superantia*; accedit enim, quod ad perfectam, completamque Religionem aliarum quoque veritatum cognitio requirebatur, quarum aliae humano captui erant difficillimae, vel quia depravatis animi affectionibus oppositae, ut praemiorum, poenarumque aeternitas; vel quia apparenter inter se pugnantes, ut immensitas, et simplicitas, libertas, et immutabilitas Divina, ac id genus aliae tam speculativae, quam practicæ, tam dogmaticae, quam morales; aliae vero omnino etiam supra humanum captum positae. Hujusmodi erant tot, tantaeque veritates ad Naturam Divinam spectantes. Hujusmodi cultus, qui Deo placeret, acceptusque esset. Hujusmodi ultimus hominis finis, quis enim rationis ductu assequi potuisset, ad sui intuitivam visionem, ac fruitionem nos Deum destinasse? Hujusmodi malorum origo; qua super re adeo ratio sibi relicta caecutit, ut scripserit Plinius L. 7. Hist. nat., *non satis aestimari, parensne homini natura, an tristior noverca fuerit.* Hujusmodi possibilitas, ac medium Deum placandi post peccatum; poenitentia enim flecti, et quidem toties, quoties hominem suorum peccatorum poeniteat, ratio sibi relicta prorsus non videt; maxime cum in humana societate nihil prorsus delictorum patratorum poenitentia reis juvet, ne debitam ipsis poenam luant; nec si iis, quoties delinquerent, toties per poenitentiam remissio criminis concederetur, id laudandum, sed potius reprehendendum videretur, quia innumeris sceleribus aperiret viam. Et quamquam humana ratio hanc Dei ad parcendum benignitatem cognovisset, cognovissetne simul, sub quibus conditionibus, actibusque externis, puta sacrificiis, confessione, etc. fuisset Deus peccatori veniam daturus? Hinc, cum quivis homo peccet, a quovis etiam desperandum ob talium ignorationem fuisset. Hujusmodi alia id genus. Hoc autem posito, quisnam magis, magisque non videt, quod prout homini necessaria erat Religio, ita et necessaria illi erat Revelatio?

Quod si de revelationis necessitate nullus est dubitandi locus, neque etiam dubitandi locus superest de ejus existentia; omni enim dubio procul est, quod Deus in ne-

cessariis non deficit. Sed et praefatis accedit, quod, revelatione de medio sublata, fuisset Orbis universus, quemadmodum Idololatriae tempore, cujusvis generis scelerum, ac dissolutionum horribile theatrum: quam enim facile sibi homo relictus, suisque abreptus cupiditatibus sibimet suasisset, dignum Deo non esse, vel saltem parum dignum de iis curam genere, quae inter homines fiunt, ac cum Lucretio dixisset, quod Suprema illius Majestas

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira? Hac autem praeconcepta de Deo idea, eo ipse plane, quod virtus absque praemio, vitium absque punitione esset, facile etiam idem homo existimasset justum, probum, et religiosum esse, ac injustum, improbum, et irreligiosum; idemque virtutem, ac vitium: quo posito, quodnam fuisset facinus, a quo abhorruisset? Nonne sensuum voluptates respexisset aliter, quam veluti innoxias naturae inclinationes? Nonne demum omnia sibi uni referens, honestum apud illum aliud fuisset, quam quod utile, inquiens pariter cum Lucretio;

Sola est utilitas justi prope mater, et aequi? En profecto Mundi status, revelatione sublata. Porro decebatne Dei bonitatem, Mundum a se conditum ita derelinquere? Quidnam inde expectandum erat, nisi quod infallibiliter, ac irreparabiliter Divina, humanaque omnia pessumdarentur? Quod si id Dei bonitatem non decebat, neque etiam ejus bonitatem decebat hominem revelatione destituere: quam proinde ei concessisse, consequens est.

Nil deinde futilius, ac temerarium magis, quam quod Deo desit modus sua cogitata hominibus communicandi: si enim puris spiritibus mentem suam communicare potest; si hoc cogitatuum commercium et inter puros spiritus, et inter homines potuit constituere; quis audebit asserere, quod ipsi desit modus sua cogitata hominibus communicandi? Ubinam in hoc repugnantia; quæ cæterum invictis, evidentibusque argumentis probanda esset, ut Dei Omnipotentiæ in hoc detraheretur? Ubinam repugnantia, quod *singulari quadam ratione* (ut præclare disserit Sigism. Storchenau Theol. Nat. §. CIII.) *intellectum nostrum illustret, ut simul eam illustrationem ab ipso provenire certo cognoscamus*; *quod antiqui foederis Prophetis obtigit*: quod *clara, et quæ intelligi possit, voce voluntatem suam declaret*; *ut Moysi olim in*

Rubo ardente, Christo in Jordane baptizato locutus est: quod *doctrinam ab homine propositam editis miraculis, velut sigillo suo, confirmet, &c.*

ARTICULUS II.

De veritate Religionis Christianæ ex characteribus Divinae revelationis in illa effulgentibus.

Dari Religionem aliqnam revelatam, in articulo præc. jam demonstravimus. Hæc porro cum nonnisi una esse possit, impossibile enim est, vel quod veritas, quæ nequit esse, nisi una, reperiatur simul in tot Religionibus, quæ pugnantia inter se docent; vel quod Deo placere possit Religio non vera, immo utcumque monstruosa, ut *Indifferentistæ* delirant; hanc unam modo aliam non esse, nisi Christianam Religionem, ex characteribus Divinirevelationis in illa effulgentibus demonstrandum suscipæmus. Vulgo autem vocantur præfati characteres credibilitatis motiva: *quæ plane* (ut præclare ait Canus l. 12. De loc. c. 5.) *experimentum sensuum non præbent, sed utique sunt hujusmodi, ut ii, qui non credunt, ad fidem adducantur suavius, et ii, qui credunt, in fide contineantur Libentius: quumque fidem antecedunt, infideles non trahant, sed inducant; quum sequuntur, non vim fidelibus afferant, sed adjiciant robur.* Sit proinde.

§. I.

Veritas Christianae Religionis ex miraculis Christi, et Apostolorum.

Quid tamen, quotuplex, cujusque efficaciæ ad veritatem demonstrandam sit miraculum praemittere, operæ pretium est. Et sane, adesse quasdam leges, quibus Natura regitur, quae idcirco et naturales vocantur, notius est, quam ut vel probatione, vel explicatione egeat. Quemadmodum autem Naturae Auctor est, qui eas sanxit, hinc nonnisi eundem posse eas vel minimum immutare, consequens est: nonne enim *incredibile videtur* (ut praeclare disserit Moshemius in Cudwortum sist. intell. c. 5. §. 1.), *et a ratione aversum, Deum, qui summa sapientia leges naturae sanxit, et rogavit, inferioribus*

naturis tantum virium largitum esse, ut, si velint, legibus illis modum queant ponere? Cuinam sapientiam, et providentiam suam probaturus esset Rex ille, qui Ministris suis facultatem daret, leges magna cura excitatas a se, ac roboratas pro lubito vel abrogandi, vel impediendi?

Deo ipsi quidem potestatem sustulit Spinoza Naturae leges immutandi. Id tamen insane prorsus. Quod enim eae sint absolute mutabiles, nemo ibit inficias, qui tribus hisce animadverterit: 1.° id, cujus oppositum nullam contradictionem implicat, absolute esse mutabile; omnesque leges naturae esse hujusmodi, quemadmodum ex illarum inductione luculenter patet. Sic ex. gr. quamnam contradictionem implicat, quod corpus libere sibi commissum non labatur deorsum? Quod nempe, dicet quis, esset simul, et non esset grave. Sed perperam, esset namque grave, et simul non exereret gravitatis vim; non vero esset simul, et non esset grave. Porro hoc quidem contradictionem implicat, exhibet quippe affirmationem, et negationem simultaneam unius sub eodem respectu: at non illud, quod tantum exhibet, quod de eodem subjecto affirmetur simul, et negetur, non jam unum, idemque, sed duplex, distinctumque praedicatum, quorum unum est vis gravitatis, aliud actualis gravitatio. 2.° quod, ut essent naturae leges absolute immutabiles, ex essentiis substantiarum creatarum profluere deberent; quidquid enim ex entis essentia non profluit, illi praeter essentiam, ideoque contingenter, et mutabiliter convenit. Quis porro non videt, nullatenus ex essentiis substantiarum creatarum profluere, quod his potius, quam aliis legibus regantur? 3.° quod earum mutabilitas nulli ex Divinis perfectionibus injuriam irrogat, cum una, eademque simplicissima, ac immutabili voluntate et illas, et exceptiones ab iisdem statuere ab aeterno potuerit. Hinc ita Rousseavius ipse, infensissmus caeteroquin miraculorum hostis: *Dio può far miracoli, vale a dire, può derogare alle leggi da se stabilite? Tal quistione seriamente trattata sarebbe empia, quando non fosse assurda. Sarebbe un far troppo onore a colui, che la risolverebbe negativamente. dandogli un gastigo. Basterebbe incatenarlo* (*Lettre de la Mont.* p. 94.)

Quibus praejactis, en miraculi notio: *effectus* nempe, *qui vel omnem naturae vim excedit, vel exceptionem a quadam ejus lege exhibet.* Qua super re ineptissime pror-

sus Rousseavius objicit (Emil. l. 3. p 88.), totam naturae vim, omnesque ejus leges nobis perspectas esse debere, ut hunc, aliumve effectum vel ejus vim excedere, vel exceptionem ab ejus legibus exhibere, certo possemus definire. Quid enim inde? An etiam ignoramus naturae vim finitam esse; ideoque effectum, qui infinitam vim requirit, qualis est creatio, et annichilatio, proficisci ab ea non posse? An etiam nescimus, quid naturae leges in casu particulari, datisque adjunctis postulent: puta corpus organicum, quod suam organizationem amiserit, eamdem denuo ex se non adipisci: corpus specifice gravius fluido, non quidem illi innatare, sed per illud descendere; animam humanam, posteaquam corpus reliquerit, ad illud iterum non redire? Hinc D. Ambr. in c. 4. Luc.: *Resurrectionem mortuis imperare Divinae solius est potestatis*. Qua super re eleganter quoque Abb. Flexier in Cat. Phlos I. 4. c. 1.: *È questa evidentemente l' opera del Padrone della natura, il quale vivifica tutti gli esseri; chiama ciò, che non è, come quello, che è, e stende il suo braccio sull' immenso spazio del niente, come sul soggiorno di vita.* Quod et de aliis id genus aeque dicendum, consequens est.

Dividi autem solet miraculum in proprie, et improprie dictum Quod ut intelligatur, animadvertendum est 1.°, transformationem, vel alterationem alicujus rei, idest *mutationem alicujus rei in rem essentialiter, vel accidentaliter aliam* aliquando nullatenus prorsus, quocumque naturali medio adhibito, obtineri posse; ut versio aquae in vinum, infirmique in lecto gravi morbo decumbentis subita curatio: aliquando vero per naturale medium adhibitum obtineri posse; ut versio ligni in fumum, et cineres, infirmique in lecto gravi morbo decumbentis, non quidem subita, sed temporanea curatio 2.° Angelis, sive bonis, sive malis, datam quidem a Deo esse lege quadam generali aliquam potestatem transferendorum corporum, ut Scripturae passim supponunt, omnesque docent Theologi, cum sint substantiae corporibus longe superiores, non tamen plenariam, cum haec naturae ordinem, cursumque invertendi potestatem praetulisset. Sic quis non videt, naturae ordinem, cursumque pessumdari potuisse sive a bonis, sive a malis Angelis, si ipsi possent vel Terrae Orbem suo e loco movere, vel Solis, caeterorumque Astrorum motum celeriorem, vel se-

gniorem efficere ? Ex quo sequitur, nec etiam auctores esse posse sive illarum transformationum vel alterationum rerum, quae nullatenus prorsus, quocumque naturali medio adhibito, obtineri possunt; sive illarum, quae per medium naturale obtineri quidem possunt, quin tamen istud adhibeant; tamque abesse, ut earum auctores esse queant, nullo adhibito medio, quantum abest, ut naturae leges immutent.

En modo miraculum proprie, et improprie dictum. Proprie scilicet dictum illud est, *quod praefert alicujus rei sive transformationem, sive alterationem, quae nullatenus prorsus, quocumque naturali medio adhibito, obtineri potest; vel translationem corporum naturae ordinem, cursumque afficientem.* Improprie vero dictum illud, *quod præfert alicujus rei sive transformationem, sive alterationem, quae per medium naturale obtineri potest; vel meram translationem corporum, naturae ordinem, cursumque nullatenus afficientem.* Ex quo sequitur hujus generis miracula ab Angelis sive bonis, sive malis patrari posse: cum hoc discrimine, quod, si a bonis patrantur, semper sunt ordini consentanea, nec ullo perverso fine, vel ulla prava circumstantia inficiantur. Si vero a malis Angelis, Deo permittente, semper vitio quodam manifesto produntur: et generatim tum quae a Deo, tum quae a bonis Angelis fiunt, a Diabolicis facile secernuntur, si operis substantia, si circumstantiae, si principium, si finis, si demum eorum numerus, auctoritas, et splendor attendantur.

Quam denique miraculum proprie dictum efficaciam ad veritatem demonstrandam habeat, videamus. Et sane quid per id genus miraculum, nisi *effectus, qui vel omnem naturae vim excedit, vel exceptionem a quadam ejus lege exhibet*? Nemo igitur, nisi Deus illius auctor esse potest; quare dicitur Ps. 135.: *Qui facit mirabilia magna solus*; ex quo sequitur, ipsius Dei auctoritate probari, quod miraculo id genus probatur. Ait proinde D. Aug. ep. 49.: *Deus mirabilibus operibus loquitur.* Quod autem Dei auctoritate probatur, adeo verum est, ut nequeat non esse verum:. Summam igitur efficaciam ad veritatem demonstrandam miraculum, de quo hic sermo, habere, consequens est. Quis deinde hominum ab ipsa ejus natura ad credendum non impellitur, quod ipsi hujusmodi miraculo confirmatum fuerit? Quod cum ita sit, ipse Naturae

Auctor nos in errorem induceret (quod dictu nefas), si quod hujusmodi miraculo confirmaretur, verum non esset : Verum ergo esse debere, quod eo confirmatum fuerit, ideoque summam ad veritatem demonstrandam habere efficaciam miraculum proprie dictum, luce meridiana patet. Hinc ait idem D. Aug. l. de util. cred. c. 17., et contra ep. fund. c. 4. : *Teneri se in Ecclesia vinculis miraculorum.*

Hinc etiam liquet, quam inepte argumentetur *Auctor Cogitationum Philosophicarum*, quod cum tutius sit judicio rationis fidere, quam sensibus, qui saepe nos fallunt, tutius quoque est dicendum in Religionis negotio via rationis incedere, quam miraculorum : 1.° enim in Religionis negotio non possumus via rationis incedere, quum agitur de rebus supra nostrum captum positis : ac 2.° dum miraculis nitimur, utique etiam ex ostensis judicio rationis nitimur.

His praemissis : Christum, ejusque Apostolos innumera cujusvis generis patrasse miracula proprie dicta, eaque in doctrinae, quam praedicabant, confirmationem, extra omnem est dubitationis aleam. Et sane quoad 1.m, *Christum nempe, ejusque Apostolos innumera cujusvis generis patrasse miracula proprie dicta*, ex veritate factorum, de quibus Evangelia fidem faciunt, evidentissime demonstratur : quis enim vocare in dubium poterit, nisi universalem Pyrrhonismum profiteatur, velitque invehere, facta possibilia, publica, et magni momenti ; a testibus narrata aut oculatis, aut coaetaneis, qui nec falli potuerunt, nec mendacii, vel fraudis insimulari possunt, immo nec nos decipere potuissent, tametsi voluissent ; ab ipsis Christianae Religioni extraneis, ejusque hostibus confirmata ; ac demum absque ulla fictione, corruptione, vel alteratione ad nos transmissa ? Ejusmodi autem sunt miracula, de quibus Evangelia fidem faciunt.

Et 1.° de eorum possibilitate ex iis, quae supra diximus, abunde constat. Nec minus ex dicendis constat, quod fuerint publica : Magos namque, Stella duce, Bethleem petiisse ad Christum adhuc infantem adorandum ; apertos fuisse Coelos, dum a Joanne in Jordane baptizatus est, et auditam de Coelo vocem, dicentem : *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui mihi* ; filium Archisynagogi, puerum Centurionis Romani, caecum a nativitate, innumerosque alios leprosos, claudos, caecos,

mutos, morbisque aliis, etiam desperatis, affectos ab eo sanatos fuisse, tres mortuos ad vitam evocatos, mare sedatum, aquam in vinum versam, paucos panes pluribus hominum millibus saturandis multiplicatos; tenebras, eo moriente, super universam Terram, plenilunii caeteroquin tempore, factas fuisse; sepulchrum ipsius a Principibus Sacerdotum, et Pharisaeis obsignatum, et militibus traditum ad custodiendum, repertum tertia die fuisse, mirantibus omnibus, apertum, et absque ejus Corpore; Apostolos demum in die Pentecostes, audiente hominum multitudine ex omni natione, variis linguis locutos fuisse, etsi nullam didicissent: haec, inquam, omnia nonne publica, et nota, non quidem uni, vel paucis, sed innumeris fuere?

Magni autem nominis etiam fuisse, de quorum proinde indagine nemo poterat sollicitudinem maximam non habere, nec illa admittere, nisi post severissimum examen, ex eo liquet, quod dirigebantur ad Idololatriam, quae sensibus, ac cupiditatibus omnibus, nedum favebat, sed et habenas laxabat; abolendam, ejusque loco substituendam Religionem; quae, spretis Idolis, quibus ubique Gentium, Judaica tantum Natione excepta, supremus cultus deferebatur, nedum adorationem unius Dei praecipiebat sub Personarum Trinitate, sed et Dei Filium credendum esse Jesum Christum a Judaeis crucifixum; et sensibus, ac cupiditatibus omnibus, quum illicita quaerunt, contradicendum esse sub poenis perpetuo duraturis, proponebat. Quidnam autem majoris momenti esse poterat?

Testes vero, a quibus miracula Evangelica narrantur, fuisse oculatos, aut caetaneos, probatione non eget: nec minus evidens est, falli non potuisse, quippe quod, ne fallerentur, id unum necesse erat, quod sensus haberent. Decipere autem noluisse, manifestum fit ex eo, quod fuere 1.° viri rudes, ac simplices, quibus proinde universi Orbis decipiendi consilium tribuere, insulsum foret. 2.° Viri doctrinam tradentes, qua nihil sanctius, et illibatius, nihil ab omni dolo abhorrens magis. 3.° Viri irreprehensibiles, adeo ut infensissimi ipsimet Christianae Religionis hostes Porphyrius, Celsus, Julianus, aliique id genus nihil contra eorum mores objicere potuerint. 4.° Viri, quorum scribendi modus omnes prorsus veritatis characteres praesefert; res enim omnes narrant sine ulla exageratione, vel dissimulatione, absque eo quod nec suam ipsorum cum Christo conversantium inscitiam, asperitatem, atque ad e-

jus Resurrectionem credendam tarditatem, nec in sese invicem jurgia, et altercationes, nec demum suam ipsorum pusillanimitatem, dum Christus passus est, tacuerint: nec non sine animi motu, et ostentatione, absque eo quod in Christi osores, in Principes Sacerdotum, et alios Judaeos ejus necis auctores, in Judam proditorem, in Pilatum, et milites Romanos invehant, effervescant, querantur. 5.° Viri, quibus nullum inerat mentiendi motivum; quid namque aliud ex iis, quae praedicabant, promittere sibi poterant, et assequebantur, quam contumelias, carceres, flagra, cujusvis generis supplicia, ac necem ipsam? Quam demum cum constantissime pertulerint, eamque acerbissimam, quisnam fuisset eorum furor, si hominis infanda morte necati amicitiam tanto dispendio colere, utque mendacia de eo conficta aliis persuaderent, acerbissimos inter cruciatus mortem oppetere voluissent? Quibus omnibus perpensis, nos noluisse decipere, manifestum est.

Immo, ut diximus, nec nos decipere potuissent, tametsi voluissent Ut namque nos decipere potuissent; neque unus vel ex Judaeis, vel ex Paganis debuisset adesse aliquo erga Religionem, quam ab unguiculis professus fuerat, zelo affectus: ex una enim parte factorum Evangelicorum historia ad Judaismum, et Paganismum convellendum tota collimabat; ex altera autem, si meras evulgassent fabulas, nihil profecto earum confutatione facilius, quippe quae circa facta, non quidem longe praeterita, sed recentissima, illisque temporibus proxima versabantur. Quis porro sibi persuadeat, quod neque unus adfuerit vel ex Judaeis, vel ex Paganis, aliquo erga suam Religionem zelo affectus? Quin tamen aliquis ex iis libros libris opposuerit, nonne millia, ac millia eorumdem antiquum illico deseruisse cultum, ac novam Religionem amplexos fuisse, penes omnes constat?

Quae vero a Sacris Scriptoribus de Christo, ejusque discipulis mirabilia narrantur, ab ipsis Christianae Religioni extraneis, ejusque hostibus confirmari, ex dicendis patet: Chalcidius namque loquitur *Commentario in Timaeum* de stella, quae Magos Hierosolymam duxit, ac Phlegon *Olymp. Chronic. l.* 13. meminit horrificae Eclipsis Solaris, quae tempore mortis Christi contigit. Tiberium, cognitis ex Pilati relatione miraculis, morte, et Resurrectione Christi, Divinos illi honores decerni, re ad Senatum delata, postulasse, auctor est Tertullianus in *Apol.*

c. 5., qui id profecto numquam tanta confidentia objecisset Senatui, nisi compertum apud eosdem, et exploratum habuisset. Christianos quoque a Gentilibus appellatos fuisse incantatores, et incantatorum sectam, testatur Celsus ap. Orig. *l.* 1. *n.* 16., Svetonius *in Nerone*, Lucianus *de morte Peregrini*, &c. Judaeos Christo coaetaneos ejus prodigia admiratos fuisse, patet tum ex eo quod talem ob causam alii ipsum existimabant esse *Eliam*, *alii vero Jeremiam*, *aut unum ex Prophetis*; alii, ipseque Herodes Antipas, *Joannem Baptistam* a mortuis suscitatum, ut habetur *Matth.* 16. *Marc.* 8., *et Luc.* 9.; tum ex eorum querimonia, quod Sabbato aegros curaret, nec non conviciis, quod in nomine Beelzebub principis Daemoniorum ejiciebat Daemonia; habitoque concilio, ubi inquiebant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*, &c. (*Jo.* 11.). Judaeos vero posteriores fassos quoque fuisse Christi miracula, patet ex Talmude, ubi miracula a Christo edita magicis artibus, ac ineffabilis nominis Dei prolationi adscribuntur. Qua super re notus item est Eruditis celeber Josephi Locus *Antiqu. Judaic. l.* 18.*c.*7., ubi historicus ille, quamvis de Secta Pharisaeorum peculiariter Christo infensa, testimonium tamen Christo perquam gloriosum reddens, *eodem tempore* (ait) *fuit Jesus vir sapiens, si tamen fas est virum eum dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, et eorum doctor, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Judaeis, quam de Gentilibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum a Gentis nostrae principibus cum Pilatus cruci affixisset, nihilominus non destiterunt diligere, qui ante eum diligebant. Vivus enim tertia die eis apparuit, quemadmodum divini vates haec, et alia multa mirabilia de eo praedixerunt*: de cujus loci genuinitate numquam per sexdecim saecula dubitatum fuit; ac dubio super hoc exorto Lucae Oziandri ex Lutheri discipulis opera, illum tamen, tamquam genuinum, amplectuntur, ac demonstrant cordatiores Critici, ut Huetius *in Dem Evang.* prop. 3. *n.* 11., Nat. Alex. *in Hist. Eccl. vet. Test. Diss.* 6., Tillemontius *T.* 1. *Hist. Imp. Nota XL.*, Pagi *in Diss. ad Annal. Bar.*, Houttevillius *De Relig. Christ.*, aliique complures: et extat namque in omnibus exemplaribus tum impressis, tum manuscriptis; et ab initio saeculi quarti a non paucis, et accuratis Scriptoribus Ecclesiasticis laudatur, quales sunt

Euseb. *l. 3. Dem. Evang. c.* 5., *et l.* 1. *Hist. Eccl. c.* 10., D. Hieron. *in Catal. Script. Eccles.*, Rufin. Aquil. *l.* 1. *Hist. Eccl.*, Jsidorus Pelus. D. Chrysost. discipulus *l.* 4. *epist.*, Sozomenus *l.* 1. *Hist. c.* 1., Cassiodorus, Nicephorus, Cedrenus, Zonaras, Suidas, &c; et a nemine umquam rejectus fuit ante medium saeculi XVI.; et denique ejus stilus ita simillimus est Josephi stilo, ut Huetius scripserit l. c., *nec ovum sibi videri ovo similius*. Quibus accedit, quod cum hoc Opere De Bello Judaico meruerit Auctor, ut sibi statua Romae erigeretur, dubitari nequit, quin omnes ejus libri statim vulgati fuerint, et in omnibus Bibliothecis asservati, omniumque manibus triti: quo posito, quomodonam corrumpi amplius poterant?

Demum facta Evangelica absque ulla vel fictione, vel corruptione, vel adulteratione ad nos transmissa fuere; ut namque quoad 1.m D. Aug. disserit *l.* 33. *contra Faust. Manich. c.* 6., *Platonis*, *Aristotilis*, *aliorumque ejusmodi auctorum libros unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Unde constat, quid cujusque sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuavit, atque edidit, et in alios, atque alios continuata notitia, latiusque formata ad posteros etiam usque ad nostra tempora pervenerunt?* Porro novi foederis libros, tamquam genuinos, agnoverunt ab Ecclesiae primordiis Clemens Rom., et Ignatius M., qui 1.° Ecclesiae saec. floruerunt; Papias, Polycarpus, Quadratus, Iustinus M., Hegesippus, Athenagoras, Melito, Theophilus Antioch. saec 2.°; Irenaeus, Clemens Alex., Tertullianus, qui ipsa Apostolorum autographa in diversis Ecclesiis adhuc suis temporibus servari, testatur *L.* 1. *De Praescript. c.* 36., Apollonius, Polycrates, Hippolytus, Cyprianus, Origenes, Greg. Thaum. saec. 3.°: quales deinde, nempe genuinos, agnitos semper fuisse subsequentibus saeculis, nemo est, qui dubitet. Immo et ipsos haereticorum proceres illorum genuinitatem agnovisse, testis est D. Jrenaeus *l.* 3. *contra haereses c.* 11. *n.* 7., ubi, *tanta* (ait) *est circa Evangelium firmitas, ut et ipsi Haeretici testimonium reddant ei, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Quando ergo hi, qui contradicunt nobis, testimonium perhibent, et utuntur his, firma, et vera est nostra de illis ostensio.*

Absque ulla autem vel corruptione, vel adulteratione ad nos transmissa fuisse, ex eo patet, quod corruptio, vel alteratio isthaec vel ab omnibus simul Christianis facta fuisset, vel ab aliquibus. Neutrum autem locum habet. Non 1.m, ut enim disserit Cont Tourn., quomodo omnes in id confluere poterant? Quomodo sperassent, non divulgandam hujusmodi librorum toto Orbe disseminatorum corruptionem communi tot hominum consilio peractam? Quomodo ejusmodi fraude et se, et Religionem suam ludibrio, et irrisioni Paganorum, et Judaeorum certo exponere non dubitassent? Quomodo, detecta illa fraude, potuisset Christiana Religio, quae factis Evangelicis tota innititur, propagari? Quomodo Christianis turpem hanc librorum suorum depravationem Porphyrius, et Julianus non objecissent? Non alterum, etenim Novi Testamenti, ac praesertim Evangeliorum libri, statim ac exarati fuere, in varias Orbis partes deportati fuerunt, ac disseminati; innumera eorum exemplaria prodierunt; plures subinde in varias linguas editae fuerunt versiones; illorum meditationi, et explicationi incumbebant Pastores; terebantur assidue, ac memoriae disci solebant a caeteris fidelibus; legebantur quotidie in eorum coetibus; maxima asservabantur cura in Ecclesiarum Archivis; tanta demum erga illos reverentia fideles omnes afficiebantur, ut vel unius litterae inter pronuntiandum mutatio magno crimini versam aliquando fuisse, ex Ecclesiastica historia compertum est. Quibus accedit, quod cum facta numquam praesumenda sint, probent idcirco, necesse est, Adversarii, quisnam Novi Testamenti libros umquam corruperit, vel adulteraverit. Hinc D. Aug. *l. de util. cred. c. 3. n. 7. Nihil* (ait) *mihi videtur impudentius dici, vel, ut mitius loquar, incuriosius, et imbecillius, quam Scripturas Divinas esse corruptas.*

Legitur quidem apud Originem. l. 2. *contra Celsum*, hunc ipsi objecisse, quod Christiani textum Evangelii primigenium variis modis mutaverint. Et a Victore Tunonensi refertur in Chronico, *Messala Consule, jubente Anastasio Imperatore, Sancta Evangelia, tamquam ab idiotis Evangelistis composita, reprehensa fuisse, et emendata.* Sed quoad 1.m respondit ipse Origenes, Christianos illos alios non fuisse, quam haereticos, neque a se quosquam cognosci Evangelia corrumpere ausos, praeter Marcionitas, et Valentinianos. Poterantne tamen Codices, qui

penes Catholicos asservabantur, corrumpere? Quoad 2.m, non referri a Victore, nisi unam voculam sacri textus jussu Anastasii in Nestorianismi gratiam a quodam Episcopo mutatam fuisse,* reclamantibus Catholicis: quod nonne potius probat maximam Catholicorum curam, ut librorum sacrorum integritas servaretur?

Quibus perpensis, evidentissime patet, Christum, ejusque Apostolos innumera cujusvis generis patrasse miracula proprie dicta. Quod autem haec *in confirmationem doctrinae, quam praedicabant, ediderint*, ipsius Novi foederis paginae identidem testantur: nempe et cum ap. Jo. c. 10. ait Christus: *Opera, quae Ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me.* Et cum ibidem ait: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et cum Joannis Baptistae discipulis quaerentibus, an ipse esset adeo optatus Messias? Respondit: *Euntes renunciate Joanni, quae audistis, et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt* (Matth. 11.). Quod et Apostolos passim Christi exemplo affirmasse, legitur et Act. c. 2., et sequ., et 1. ad Cor. c. 2., ubi D. Paulus: *Sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis.* Et 2. ad Cor. c. 12.: *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in signis, et prodigiis, et virtutibus.* Et ad Heb. c. 2.: *Contestante Deo signis, et portentis.* Hinc nemo noscens, Deum unum, optimum, maximum rebus omnibus praeesse, temperare se poterit ab adhibenda illi fide, qui doctrinam sanctam tradens, ac se a Deo missum perhibens, miraculis innumeris, splendissimis, certissimis missionem suam comprobaverit.

Objic. Magos Ægyptios patrasse etiam miracula, ut auctor est Moyses Ex c. 7., et 8.. Pleraque etiam id genus patrasse Apollonium Tyanaeum, auctor est Philostratus in vita ejusdem. Curationesque mirabiles operatum quoque fuisse Vespasianum, narrant Tacitus *Hist. l.* 4., et Svetonius *in ejus vita*. Praefati autem omnes erant Idolorum cultores: Non igitur miracula ullius roboris ad veritatem Christianae Religionis probandam dicenda sunt.

R. neg. maj.; mira enim a Magis Ægyptiis patrata Daemonum, Deo permittente, potestatem non excedere, et suo loco in tract. de Angelis demonstrabimus, et quisque potest absque nimia difficultate etiam ex dictis conji-

cere; non enim imitari potuerunt, nisi tantum Moysis miracula, quibus virgam in colubrum converterat, et aquam in sanguinem, ac ranas in Ægyptum vocaverat. Hinc et dicitur, quod *fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas et arcana quaedam similiter*; ubi notandum illud *similiter*: et dum ventum fuit a Moyse ad miracula proprie dicta, nedum non potuerunt ejus miracula imitari, sed ingenue dixerunt: *Digitus Dei est hic.* Quae vero de Apollonio narrat Philostratus nullam mereri fidem, ex eo Eruditi omnes colligunt, quod et centum fere annis ab Apollonii aetate remotus fuit, nec alios adhibet talium factorum testes, nisi Damidem quemdam, Moeragenem, et Maximum Ægiensem, qui et nominis ignoti, et nullius fidei sunt; et fabulis, mendaciis, erroribus geographicis, contradictionibus, aliisque Romanae historiae certis monumentis plane contrariis ejus liber scatet, quemadmodum demonstrant Euseb. Caesar. *l. adv. Hieroclem*, Photius *in Biblioth. cod.* 44., Scaliger *in Eusebian.*, Baronius *Annal. an.* 78., et Huetius *Demonstr. Evang. prop.* 9.. Illud dumtaxat procul a vero non est, quod cum Deceptor ille totis viribus scientiae Medicae se addixisset, eamque egregie pro illorum temporum conditione calleret, tantam in Orientis regionibus, quas peragravit, quaeque ingenti Medicorum penuria laborabant, commotionem variis peractis curationibus excitavit, ut tamquam alter Æsculapius, vel Chiron haberetur. Sanationes demum, a Vespasiano mirabiliter peractas, non fuisse, nisi Sacerdotum Serapidis simulationes, et assertiones hominum pretio ad id corruptorum, demonstrant Huetius *l. cit.*, Baronius *Annal. an.* 71., et Bellarm. *De Not. Eccl. c.* 14.. Quare et Tacitus, ac Svetonius in illis enarrandis inter se non consentiunt.

§. II.

Veritas Christianae Religionis ex veritate resurrectionis Christi.

Si enim Christus vere resurrexit, habetur profecto omnium miraculorum maximum pro Christianae Religionis veritate. Re autem vera Christus resurrexit: Ergo... Major ex se patet; fitque etiam luculentior, ubi animadvertatur, quod sui ipsius Resurrectionem Christus dede-

rat, tamquam potissimum Divinitatis suae argumentum, illis verbis Matth. 12: *Generatio mala, et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae Prophetae. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus, et tribus noctibus.* Minor autem probatur, ex eo quod 1.° factum, quod narratur a pluribus testibus oculatis, qui nec decipi potuerunt, nec voluerunt decipere, extra omnem dubitationis aleam est ponendum. Hujusmodi autem est factum Resurrectionis Christi.

Et 1.° *narratur a pluribus testibus oculatis;* post suam namque Resurrectionem Christus se videndum praebuit et Apostolis tam seorsim, quam simul congregatis; et sanctis mulieribus, quae cum aromatibus ad ejus sepulchrum venerant, ut ejus corpus ungerent; et duobus Discipulis in Castellum Emmaus euntibus. Immo, Apostolis, ut eorum Acta testantur c. 1, nedum apparuit, sed et *praebuit seipsum vivum in multis argumentis*, manus nempe suas, et pedes clavis confixos ostendens, sese iisdem palpandum exhibens, cumque illis manducans, et bibens: nec semel, sed *per dies 40. apparens eis, et loquens de Regno Dei.* Addit Ap. 1. ad Cor. 15., quod cum visus fuerit *Cephae, et post hoc undecim, deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Novissime autem omnium, tamquam abortivo, visus est mihi.*

Decipi nequiverunt; et omnium namque sensuum testimonio, et nonnisi post obstinatissimam incredulitatem, exhaustisque omnibus ad se certos de rei veritate reddendos mediis, sibi tandem persuaserunt, Christum revera resurrexisse. Qua super re scribit D. Lucas c. 24, quod dum mulieres *regressae a monumento nuntiaverunt* Apostolis, *quae viderant, visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista, et non crediderunt*: cumque existimaverint, dum illis se videndum praebuit, *se spiritum videre*, ad frangendam eorum incredulitatem, necesse fuit, quod Christus iis diceret: *Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum. Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Immo pergit Evangelista, quod *adhuc*

illis non credentibus, *dixit* : *Habetis hic aliquid quod manducetur ? At illi obtulerunt ei partem piscis assi*, *et favum mellis. Et cum manducasset coram eis* &c. . Demum cum huic apparitioni defuerit D. Thomas, dixeritque Apostolis illi eam nuntiantibus : *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum*, *et mittam digitum meum in locum clavorum*, *et mittam manum meam in latus ejus*, *non credam* (Jo. 20.); en Christus denuo die abhinc octavo illis videndum se praebuit, dum simul cum iis Thomas aderat, eumque in manus suas, et in latus suum digitos, ac manum inferre jussit. Quibus perpensis, luce meridiana clarius est, quod testes Resurrectionis Christi decipi nequiverunt.

Noluerunt decipere : qua super re recurrunt quae supra diximus, ex conditione, moribus, indole Apostolorum, aliisque adjunctis deprompta. Quibus accedit, characterem amicorum esse, ut D. Chrysostomus advertit, oblivioni nos tradere paullatim, aliaque objecta sui ipsorum adhaesioni quaerere, postquam e vita decesserimus. Hinc autem sequitur, fieri nequaquam potuisse, quod Christi discipuli, qui ipsum confiteri renuerant, dum vivebat, ac prodigia operabatur, quique ab ipso fugerant statim ac eum captum viderunt, ipsi deinde ita adhaeserint, postquam in Cruce opprobriosissimam mortem obierat, ut flagris, carceribus, ipsaque morte despectis, Orbem decipere vellent ad ejus Resurrectionem vulgandam, qui dum saepe dixisset, se resurrecturum in suae Divinitatis testimonium, eos deinde tam turpiter decepisset. Quid ergo clarius, quam quod decipere noluerunt?

Sive ut idem paullo aliter dicamus, nemo nescit, quod Apostoli, dum Christus viveret, statim ac a Judeais captus fuit, *omnes*, *relicto eo*, *fugerunt* (*Matth.* 26.); eorumque primus D. Petrus, abnegans illum nosse, *coepit* quoque *detestari*, *et jurare*, *quia non novisset hominem* (*ib.*). Postquam vero Cruci affixus fuit, omnes ejus amore incensos, ob eum mortem comtempsisse; quodque e mortuis resurrexerat, iisque per 40. dies apparuerat loquens de Regno Dei, ac se etiam palpandum praebens, proprio sanguine obsignasse, in comperto est. Hanc autem agendi rationem, adeo in Apostolis diversam ante, et post Christi mortem, undenam repetere quis poterit, nisi ex veritate ipsius Resurrectionis, de qua omnino certos se fecissent? Ergo.

2.° Vel Christus vere resurrexit, vel ejus corpus Discipuli suffurari e sepulchro debuerunt. At dici nequit, quod illud suffurati fuerint: 1.° ob cautiones, quas Principes Sacerdotum, ac Pharisaei adhibuerunt, ne Discipuli id efficerent, ac vulgarent; magnum nempe saxum ad monumenti in petra excisi ostium advolventes; sigillo Praesidis illud obsignantes; ac demum militibus illud maxima cura custodiendum tradentes, contra quos proinde vel dimicandum fuisset, vel eorum vigilantia fallenda, vel corrumpenda fides; idque ab hominibus adeo territis, pavidis, et consternatis, ut capto Christo, *omnes, relicto eo, fugerint* (*Matth.* 26.); eoque mortuo, in Coenaculum se abdiderint, ibique manserint *foribus clausis, propter metum Iudaeorum* (*Io.* 20.) 2.° quia Principibus Sacerdotum, ac Pharisaeis facillimum fuisset discipulos de furto ejusmodi convincere; ob praefatas namque cautiones profecto illud non poterat adeo occulte, ac secreto patrari, ut nullatenus detegi potuisset. 3.° ob id, quod Principes Sacerdotum, ac Pharisaei in medium protulerunt ad fidem Resurrectionis Christi evacuandam, ut nempe milites dicerent: *Discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus* (*Matth.* 28.). Quemadmodum enim D. Aug. disserit: *Si dormiebant milites, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt* (*In Ps.* 63.)? Ait proinde L'Abbadie: *Se in tal maniera difendesi l'impostura, ci si mostri, in qual aria sostengasi la verità.*

Operae demum pretium sit advertere, 1.° quod sicut Philosophiae proprium est ducem habere rationem, ejusque ductu veritates, quas pro objecto habet, ostendere, ita historiae proprium est duces non habere, nisi testes. Hinc autem sequitur, disserendum ratione non esse adversus facta, sed tantum oportere qualitates testium examini subjicere; et fidem his negari non posse, dum nihil habeatur contra eorum vel veracitatem, vel sufficientiam ad veritatem cognoscendam: hoc tantum discrimine, quod si factum sit ordinarium, uni etiam testi, qui probatus sit, credi potest: si vero extraordinarium, pluribus credendum est, dumque testes nec falli, nec fallere potuisse, evidenter constet. Quibus positis, an quia factum est extraordinarium, ideo eamdem habere nequit certitudinem, quam habet quodvis aliud ordinarium? 2.° quod ubi agatur de facto, cujus nos ipsi testes non fuerimus, potest illud

in ordine morali eamdem habere, nedum certitudinem, sed et evidentiam, quam in suo ordine habet veritas quaevis metaphysica, absque eo quod unius evidentia alterius evidentiae ullatenus cedat. Sic annon aeque certus evidenter sum, quod Arius in Synodo Nicaeae primo habita condemnatus fuit, quodque totum quavis sua parte est majus? Nec dicas, possibile esse, quod Synodus illa numquam celebrata fuerit; nullatenus tamen possibile, quod totum non sit quavis sua parte majus. Inde enim, sequitur dumtaxat, quod primi generis veritas est contingens, alterius vero necessaria. Minuitne tamen alicujus rei contingentia ejusdem evidentiam? An quisque non est evidenter certus de sui ipsius existentia, tametsi haec sit contingens? Neque etiam dicas, quod veritas necessaria potest diversimode demonstrari; cum factum e contrario demonstrari, nisi per testes, nequeat. Quid enim mea interest, quod ad aliquem terminum per plures vias pervenire queam, quodque ad illum nonnisi per unam possim pervenire? An non aeque certus evidenter sum, illuc pervenisse, postquam ad illum pervenerim?

§. III.

Veritas Christianae Religionis ex celerrima, ac prorsus admirabili ejus per totum Orbem propagatione.

In propagatione enim Religionis Christianae et omnino defuit quidquid humanitus illam propagare poterat, et adfuit quidquid illius propagationem sistere, immo illam radicitus, ac brevi tempore convellere debuisset. Constat nihilominus, propagatam celerrime fuisse per Orbem universum: Non humanum ergo, sed Divinum opus, omnibusque signis mirabilius ejus propagatio dicenda est.

Ex 1.° *defuit in ejus propagatione quidquid humanitus illam propagare poterat*: ejus namque praecones non fuerunt, nisi (et quidem pauci numero) viri ignobiles, rudes, pauperes, piscatores, litteris, armis, divitiis, educatione, aliisque id genus mediis adeo destituti, ut merito haberentur, quemadmodum D. Paulus ait 1. ad Cor. 4., *tamquam purgamenta hujus mundi*. Doctrina vero, quae ab iis praedicabatur, et dogmata prorsus incomprehensibilia proponebat credenda, ac maxime, quod despectis eo usque in honore habitis Numinibus, tamquam

inanibus simulacris, unus in essentia, ac trinus in Personis Deus adoraretur; quodque I. C., qui duos inter latrones per publicam Potestatem crucifixus fuerat, Deus est: et praecepta imponebat humanis omnibus affectionibus, et cupiditatibus infensissima, quibus caeterum præceptis parendum erat sub poena aeternorum cruciatuum post mortalis hujus vitae peregrinationem, absque eo quod in hac vita aliud propterea expectandum esset, nisi bonorum expoliatio, carceres, prubra, aerumnae, cruciatus, extremumque supplicium.

Hinc et *adfuit quidquid illius propagationem sistere, immo illam radicitus, ac brevi tempore convellere debuisset*: quibus namque machinamentis, cruciatibus, mortibusque crudelioribus Christianam Religionem insectati fuerint Imperatores, Reges, Magistratus per trium sæculorum spatium, nemo est, qui ignoret; adeo ut si humanum fuisset commentum, vix per unum, aut alterum annum tot, tantisque bellis regere potuisset. Quibus tamen addebantur et Philosophi omni sophismatum artificio; et Oratores toto dicendi splendore; et Politici totis, quibus poterant, artibus; et avitæ Religionis studium, quod omnes norunt, quale, quantumque sit; et favor, quo Ethnica superstitio cunctas deordinatas hominis passiones prosequebatur, quibusque apertissimum Christianis præceptis indicebatur bellum. Quare, et omnium maxime, propagationem Religionis Christianæ statim sistere, eamque radicitus, ac brevi tempore convellere debuissent ipsæ demum hominum cupiditates; nec, nisi Divinitus, fieri poterat, ut hominibus, tunc temporis maxime voluptatibus effrænate deditis, voluptatum contemptus, libidinum fuga, opum, deliciarumque abdicatio, egestatis, suppliciorum, ipsiusque mortis despectio persuaderetur.

Constat nihilominus, propagatam celerrime fuisse Christianam Religionem per totum Orbem: solis enim 50. diebus a Christi morte clapsis, et prima concione Jerosolymis habita ab Apostolorum Principe, tria hominum millia; ac altera paullo post ab eodem habita, quinque hominum millia Christi fidem suscepere (Act. 1.); ac in dies crescente ex Apostolorum prædicatione credentium multitudine, potuit D. Paulus scribere circa annum 28. ad Colossens. c. 1.: *In verbo veritatis. Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et in universo Mundo est, et fructificat, et crescit.* Et rursus: *A spe Evangelii, quod*

audistis, quod praedicatum est in universa creatura, quae sub Coelo est. Utque profanis Scriptoribus idem confirmemus, Neronis tempore scribebat Tacitus *l.* 15. *Annal. c.* 44., quod Romae aderat Christianorum *multitudo ingens*: nec tantum Romae, sed, ut addit Seneca Apstolorum aequalis, ex tunc quoque Christiana gens *eo usque invaluit, ut per omnes jam terras recepta sit. Victi victoribus leges dederunt* (*ap. D. Aug. De Civ. Dei L.* 6. c. 11.). Sub finem vero saec. primi ita de Christianorum numero Plinius junior Proconsul Bythiniæ ad Trajanum: *Visa est mihi res consultatione dignissima, maxime propter periclitantium numerum, multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum. Neque enim Civitates, sed vicos etiam, atque agros Superstitionis istius contagio pervagata est.* Quam late ergo Christi Religio unius tantum sæculi spatio se diffuderat? secundo autem sæculo, *nullum* (ait D. Justinus M. in Apol. pro Christ.) *esse genus sive barbarorum, sive graecorum, sive etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, vel domo carentium, vel in tentoriis viventium, et pecoribus vitam tolerantium, inter quos non fiant preces Patri, et Creatori omnium per nomen I. C. Crucifixi*: eodemque tempore Ecclesiarum Germaniæ, Celticæ, Egypti, Lybiæ Irenæus meminit. Tertio subinde sæculo, immo sub ipsius initium confidenter pronunciare potuit Tertullianus in Apol. pro Christianis c. 39 *Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum: sola vobis reliquimus Templa.* Pergitque enumerando Mauritaniam, Hispaniam, Britanniam, Sarmatiam, Daciam, Scythiam, Persiam, Arabiam, Mediam, quo Christi Religio pervaserat. Sæculis tandem subsequentibus, pace illi data per Constantinum, ubique terrarum Christi Religio invaluit. Quibus perpensis, quis propagationem Religionis Christianæ opus Divinum non dicet, *nisi* (ut ait Chrysostomus *hom. quod Christus sit Deus*) *qui valde insanus, ac totus stupidus sit?*

Et sane factum exploratissimum est, quod ante Christi adventum omnes populi terrarum, Judæis tantum exceptis, erant Idololatrae: sicut et factum exploratissimum quoque est, quod plurimi eorumdem, unius tantum saeculi spatio Idololatriam abjicientes ex Idololatris Christo nomen dedere. Porro, ut præclare D. Aug., ac post eum

D. Thomas argumentatur, vel Christianam Religionem tot centena hominum millia susceperunt vi, atque evidentia miraculorum ducti, vel procul his. Si 1.m, en Christianæ Religionis veritas miraculis comprobata. Si alterum, en pro ejus veritate omnium miraculorum maximum; quod nempe dum Mundus cunctas sensuum inclinationes in superstitionis sinu pacifice sequebatur, Religionem absque ullo prodigio amplexus fuisset, qualis est Christiana, quæ dum vetat sub pœna æternorum cruciatuum vitam ducere juxta sensuum inclinationes, jugem, ac omnimodam jubet abnegationem, ac mortificationem tam corporis, quam animi, tam sensuum, quam potentiarum. Ac quorumne opera illam amplexus fuisset? Nonnisi opera virorum quorumdam ignobilium, rudium, illitteratorum, pauperum, ac omni humano medio destitutorum; obstantibusque, ac illis contradicentibus toto conatu et Sæculi Principibus, et cujuswis generis hostibus: *Esset autem* (ita D. Th) *omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam alta, ad sperandum tam ardua, ad operandum tam difficilia Mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus, et ignobilibus hominibus* (*l.* 2. *contra Gent. c.*6.)

Reponunt Increduli 1.°, mutuam caritatem, egentium subventionem, officiorum observantiam, aliaque id genus societati fovendæ, ac servandæ apprime apta, quæ hominibus Christiana Religio instanter præcipit, honestorum omnium suffragium illi promereri potuisse, ac debuisse. Nihil igitur mirabile in ejus propagatione.

Sed resp. neg. ant., et cons.; cum enim qui abripi sineretur ab amore virtutum nemo ferme esset tunc temporis, quo Religio Christiana prædicari cœpit, hominibus tunc temporis in cæcitatem mentis, ac corruptionem summam demers's, tam longe abest, ut ab ejus amore caperentur ob virtutes, quas instanter præcepit, quin potius ob bellum cum oppositis vitiis ineundum ab ea refugere debuissent. Immo cum modo etiam nonnisi paucissimi sint, qui virtutum amore ducuntur, quam futile argumentum inde ductum magis, magisque dicendum est? Cui accedit, virtutes, quas Religio Christiana proponit sequendas, nihil prorsus potuisse influere, ut crederentur dogmata humanæ rationi prorsus impervia, idque et Philosophis, et Sæculi Principibus toto conatu obstantibus.

Reponunt 2.°, nonnisi pauperes, et illitteratos Christianam Religionem suscepisse: ex quo sequitur, primos

suscipere illam potuisse, ut a locupletibus subvenirentur; alios vero ob terrorem suppliciorum, quæ eam non suscipientibus minatur. Quid igitur de ejus propagatione mirandum?

Sed resp. quoque neg. ant., et cons.; si enim fere omnes erant pauperes, a quibusnam divitibus ali poterant? Si illitterati, a quibusnam doctis illudebantur? Sed praeterea impudentissimum Baylii mendacium esse, quod nonnisi viliores, ignorantioresque de populo Christo adhaeserint, patet ex c. 6. Actuum, ubi legitur, quod non multo post Christi mortem adeo ejus discipulorum numerus pererebuit, ut ex ipsis Sacerdotibus Judæorum, qui ex instituto, et officio erant veteris legis obstinatissimi vindices, non unus, aut alter, sed *multa turba* ipsorum *obediret fidei*: utque habetur c. 19., tot tantique tam ex Judæis, quam ex Gentilibus litteris excultis Christianam Religionem Ephesi susceperunt, ut *multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerint libros, et combusserint coram omnibus; et computatis pretiis illorum, invenerint pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Sic etiam qui Christo adhæserunt Thessalonicae, *erant nobiliores eorum* (Act. 17.); cumque et essent litteris dediti, *quotidie scrutabantur Scripturas* (ibid). Cornelius item nobilis Centurio fuit simul cum tota familia Caesareae a D. Petro baptizatus (Act. 10.): Sergius Proconsul fuit Cypri unus ex D. Pauli Proselytis (Act. 13): Crispus Sinagogae Caput legitur Corinthi cum tota familia baptismum suscepisse (Act. 18.): Athenis, praedicante Paulo, ingens multitudo Christo adhaesit, inter quos D. Dionysius, qui Iudicis munere fungebatur: et ex ep. ad Philippenses c. 4. v. 22. aperte constat, quod in ipsa Caesaris domo aderant fideles. Quod demum confirmatur et ex cit. Plinii ep. ad Trajanum, quod Christum colentes erant *omnis ordinis*: et ex relatis Tertulliani verbis, quod Christiani *urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra, tribus, decurias, palatium, senatum, forum impleverant*: et ex verbis Arnobii ap. Euseb. Hist. Eccl. l. 2. c. 23., *quod magnis ingeniis praediti oratores, grammatici, rhetores, consulti juris, ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes* Religionis Christianae *magisteria expetierant, spretis quibus paullo ante fidebant.* Ait quidem Ap. 1. ad Cor. c. 1., *quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Illud tamen exinde sequi-

tur dumtaxat, quod eorum numerus relate ad alios erat exiguus, rudes namque, et pauperes Philosophis, et proceribus, semper fuerunt dociliores. Qua super re praeclare etiam Abbas Flexier. *Vi furono assai persone distinte per la loro nobiltà, e per li lor lumi, i quali abbracciarono il Cristianesimo, per potersene dedurre, che la Religione Cristiana era appoggiata su buone prove: ma ve ne furono troppo poche, onde possa eliminarsi il sospetto di essere il Cristianesimo obbligato de' suoi progressi al genio de' suoi primi seguaci. Se persone di spirito avessero predicata la Religione, e semplici fossero stati coloro, che l'avessero creduta, ciò non sarebbe stato degno di maraviglia. Ma i semplici han predicato; e le persone d'ingegno han creduto, e credono ancora (Cat. Filos. l. 4. c. 3. art. 3. §. 2.).*

§. IV.

Veritas Christianae Religionis ex prophetiis veteris Testamenti in Christo completis; nec non ex illis a Christo editis, atque eventu comprobatis.

Ut tamen a prophetiae definitione, ut par est, auspicemur, definitur haec *infallibilis praedictio rei contingenter futurae, cujus cognitio neque ex causis naturalibus, neque ex praesenti rerum constitutione hauriri ullo modo possit.* Hinc sequitur, solius Dei esse prophetias edere; cum enim hujuscemodi futura nullam causam, nullumque medium habeant, per quod homines, vel Angeli illa valeant cognoscere, ei tantum cognita esse possunt, qui cognitione sua totam rerum naturam, quantum ipsa loco, et tempore patet, comprehendit; quod soli Deo competit. Hinc et Deus per Isaiam c. 41. hoc ipsum, ut Divinitatis suae indubitatum proponit argumentum illis verbis: *Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.* Et Grotius in Annot. in c. 14. 1. ep. ad Cor. *Divinum ab omnibus hominibus creditur esse praedictio; dicta ob id divinatio.*

Mittendum porro a Deo esse, qui homines e via et veritatis, et salutis devios veritatem doceret, et salvos faceret, identidem ab ipso Mundi initio illis Deus promiserat; ac per constantem traditionem a Patribus in filios id genus promissio transmittebatur. Ut vero, quum eum mit-

teret, dignosci posset, ac velut digito demonstrari, modo huic, modo alteri ex populo Israelitico, quem subinde elegerat, ut esset ejus populus peculiaris, revelavit, ac per eos patefecit et Missionis tempus, et ipsius Messiae characteres, et alia id genus adjuncta, ex quibus dignoscendus esset. Quare, ut ad propositum gradiamur, dicimus: Si in Christo habetur omnium complementum, quae de Messia praenuntiaverant Prophetae, habetur quoque luculentissimum testimonium, quod revera fuerit ipse Messias. Habetur autem in Christo omnium complementum, quae de Messia praenuntiaverant Prophetae, unde dicitur Apoc. 19. *Testimonium Iesu est Spiritus prophetiae*: Ergo .. Major patet ex eo quod complementum futurorum omnino contingentium nonnisi a Deo ex dictis praesciri, ac nonnisi eum Auctorem habere poterat. Hujusmodi autem erant, quae de Messia praenuntiaverant Prophetae, et ex quibus dignoscendus prædicaebatur. Minor vero probatur percurrendo per singula.

Et 1.° juxta vaticinium Jacobaeum, de quo Geneseos c. 49., venturus erat Messias, cum de Iuda ablatum fuisset *sceptrum*, etiamque *dux de foemore ejus*, idest qui de Juda fuerint saltem in aliquod usus supremae potestatis consortium adsciti: juxta vaticinium Danielis c. 9., versus finem 70. hebdomadarum annorum ab exitu sermonis, quo iterum aedificata fuissent Jerosolymorum moenia, postquam a Chaldaeis destructa fuerant: ac juxta vaticinium Aggaei c. 2, et Malachiae c. 3., secundo Templo jam stante. Haec porro omnia completa sunt in Christo: 1.° enim cum advenerit regnante in Judaea Herode, quem, utpote alienigenam, leges fundamentales Reipublicae Iudaeorum a Regno excludebant, ut legitur Deut. 17., ubi: *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus*; eoque item super Israelis thronum collocato ab extraneis, nempe a Romanis, quemadmodum cum Josepho Hebraeo omnes Judaeorum DD. tradunt; idque demum invita natione, quemadmodum manifestum fit ex bello, quod ipse Herodes per triennium gessit adversus Antigonum ultimum ex Assamonæorum familia Judaeorum Regem, ut Regnum sibi a Romanis concessum adeptus fuisset: nemo non videt, advenisse, cum jam ablatum fuerat sceptrum de Iuda. Cumque nec etiam ex Iudaeis aliqui amplius fuerint in consortium supremae potestatis adsciti, immo totum Sy-

nedrium morte multatum fuerit, patet simul advenisse, cum de femore Iuda neque etiam vel Dux haberetur.* 2.° Cum duplicis generis hebdomadae fuerint apud Iudaeos, dierum nempe, et annorum; cumque Christus natus fuerit anno ante aeram vulgarem quinto, ut in comperto est apud Eruditos, retroductis ab hoc, quinto scilicet anno ante æram vulgarem, septuaginta Danielis hebdomadis, quas non dierum, sed annorum intelligendas esse, ideoqne quadringentos, ac nonaginta annos effecisse, manifestum est, medium ultimae hebdomadae, in qua Messias occidendus praedicebatur, incidit in annum trigesimum tertium ante vigesimum Regni Artaxersis Longimani, quemadmodum late ubi de Incarnatione demonstrabimus. Vigesimo autem sui Regni anno edidit Artaxerses cognomento Longimanus, concessitque Nehemiae sermonem, ut iterum aedificaretur Ierusalem, ut habetur l. 2. Esd. c. 2., a quo idcirco inchoandae sunt eaedem hebdomadae: Cum ergo mors Christi secuta fuerit anno trigesimo tertio aerae vulgaris, juxta sententiam, quam praeeuntibus Pererio, Scaligero, Tostato, Usserio, aliisque plurimis eligemus in tract. De Incarnatione, hinc ejus tam adventum, quam mortem perfecte item congruere cum Danielis oraculo, consequens est. Advenisse demum secundo Templo jam stante, nemo est, qui ignoret. Advenit igitur tempore, quo juxta Prophetarum oracula Messias a Iudaeis expectabatur.

Cui accedit, quod Scriptores tam sacri, quam profani id confirmant: quod enim tunc temporis expectaretur, ostendunt quoque et mulieris Samaritanae verba ad Christum: *Scio quia Messias venit* (*Io.* 4.): et Herodis timor, ne Messias illi Regnum eriperet, ac Innocentiumcaedes ab ipso jussa: et interrogatio Joanni facta a Synagoga, et alia Christo facta a Ioannis discipulis: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus* (*Matth.* 11.)? 2. Immo neque etiam intra limites Iudeae, sed per totum quoque Orientem opinionem hujusmodi invaluisse, quod tunc nempe temporis a Judaeis expectabatur, qui juxta eorum falsam existimationem ipsis Regnum restitueret, testes sunt Svetonius, et Tacitus, quorum ille ita in vita Vespasiani c. 4.: *Percrebuerat Oriente toto vetus, et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur.* Hic vero ita l. 5. Hist. c. 13.: *Persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique*

Iudaea rerum potirentur. Christum ergo tunc temporis advenisse, quum juxta Prophetarum oracula a Judaeis expectabatur, magis, magisque evidens est.

Sed et alia Prophetarum oracula in ipso complementum habuere.

Praedictum namque et fuerat Messiae genus, ex Abraham scilicet per David (Gen. 18., et Js. 9. &c.) : quod, in lucem edito, appareret stella, quae Reges ab Oriente duceret ad illum adorandum, muneribusque colendum (Js. 60., et Ps. 71.) : quod ejus praedicationem praecederet vox clamantis in deserto (Is. 40.), ac miracula subsequerentur (Is. 35.). Quae item completa in Christo fuisse, Novi foederis libri luculenter tradunt (Matth. 1. 2., et 3., ac Luc. 4., et 7.). Ejussubin de ingressum in Ierusalem, populo illi honores, tamquam Regi, tribuente, nec non ejus venditionem, pretio etiam 30. argenteorum designato, ac derelictionem a discipulis, Zacharias praenuntiaverat (c.9. 11. et 13. : Isaias vero c. 53., et David Ps. 21. ejus passionem, et mortem tam graphice, ac percurrendo per singula descripserant, ut de Jsaia dixerit D. Hieronimus : *Non prophetiam videtur mihi texere, sed Evangelium*) *ep. ad Paulinum*); utque testatur D. Aug. adhuc suo tempore aderant ex infidelibus, qui ajebant : *Vidistis ista fieri, et tamquam praedicta sint, conscripsistis (ser. 62., vel 67. de div.)* : adeo nempe quae de Christi Passione, et morte ab Evangelistis narrantur, eorum vaticiniis plane respondent. Postquam tamen passionem, ac necem adeo acerbam, atque opprobriosam oppetiisset, gloriosum fore ejus sepulchrum, iidem Isaias c. 11., ac David Ps. 15. praenuntiaverant ; propterea quod, ut hic expressius locutus fuerat, Deus nec relicturus foret animam ejus in inferno, nec Sanctum suum daturus esset videre corruptionem. Nempe, ut ait D. Petrus concione, quam habuit Ierosolymis in die Pentecostes : *Praevidens locutus est de Resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem (Act. 2).*

Ejus quoque Ascensionem ad Coelos, et Missionem per eum Spiritus Sancti ; ob cujus effusionem prodigia facta fuissent, quibus converterentur ad Dominum universi fines terrae, et adorarent in conspectu ejus universae familiae gentium, idem Regius Psaltes loco cit., ac Ioel c. 2. praedixerant. Hinc et populum, qui eum negaturus esset,

ejus amplius non fore ; et Civitatem cum Sanctuario dissipaturam, ejusque desolationem perseveraturam fore usque in finem; et Iudaeos huc, et illuc dispersuros iri, absque eo quod amplius haberent hostiam, ac sacrificium, passim praedictum fuerat per Danielem c. 9., per Isaiam c. 6., et per Davidem Ps. 68., &c.. Quae item omnia in Christo impleta fuisse, notius est, quam ut probatione egeat. Ex quibus congestis, ut aliud quoque pro veritate Religionis Christianae inde sumamus argumentum, cum Christus advenerit eo praecise tempore, quo juxta Prophetarum vaticinia Messias a Judaeis expectabatur, undenam judicandum, an ipse revera fuerit, necne promissus Messias, nisi ex indiciis, ex quibus Messias juxta eadem vaticinia praedicebatur dignoscendus? Haec autem omnia in persona Christi concurrunt: Ipse igitur Messias: cumque a Deo missus fuerit, Divina etiam ejus Religio dicenda est. Nec de genuinitate prophetiarum veteris Testamenti, earumque praeexistentia longe ante Christi adventum aliquis habetur dubitandi locus, cum ab infensioribus, obstinatioribusque Religionis Christianae hostibus eas habeamus, a Judaeis scilicet. Porro quis dicet, Judaeos depositarios esse voluisse fictionum Christianorum? *Un vantaggio* (ita proinde recens quidam), *che gode la Religione Cristiana, e del quale nessun altra si saprebbe vantare, e di essere stata annunziata un gran numero di secoli prima di vederla sbucciare, da una Religione, che serba ancora queste testimonianze, comechè sia divenuta la sua più crudele nemica* (*Maupert. Essai de philos. morale ch. VIII.*)

Nec tantum ex prophetiis veteris Testamenti in Christo completis, sed et ex illis a Christo editis, atque eventu comprobatis Divinitas Christianae Religionis luculenter patet. Fac enim hominem, qui a Deo missum se dicat, miraculis, ac prophetiis eventu comprobatis, missionem, ac doctrinam suam comprobasse; an non habes notas satis perspicuas, quae ita rem se habere, ostendunt? Jam vero de miraculis, quibus Christus missionem, ac doctrinam suam comprobavit, satis supra; quibus complures quoque prophetias eventu comprobatas addidisse, non minus constat: non semel namque passionem suam, et mortem praedixit, nec non utriusque circumstantias (*Matth.* 16., *et alibi*). Praedixit, se a Petro negandum, a discipulis deserendum (*Matth.* 26.

Praedixit, se post tres dies resurrecturum (*Matth.* 12., *et* 16., *et alibi*). Praedixit Ierosolymorum cladem, templi conflagrationem, ac ejusmodi rerum adjuncta (*Matth.* 24., *et Luc.* 19.). Praedixit, discipulos suos exagitandos, odio habendos, morti tradendos (*Matth.* 10., *et alibi*). Praedixit, qua morte Petrus esset moriturus (*Io.* 21.). Praedixit maxima miracula a discipulis suis edenda (*Marci* 10., *et alibi*). Praedixit, discipulos suos futuros *sibi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae* (*Act.* 1.). Praedixit, Gentes Evangelium recepturas (*Io.* 10.). Praedixit Ecclesiæ suae Caput visibile futurum D. Petrum, ejusque successores (*Matth.* 16.). Praedixit portas inferi adversus Ecclesiam pugnaturas, sed non praevalituras (*ibid.*). Praedixit ab Apostolis, eorumque successoribus doctrinam Evangelicam annuntiandam, et Sacramenta administranda usque ad consummationem saeculi (*Matth.* 28., *et* 1., *ad Cor.* 11.). Quae omnia, perinde ac Christus praedixit, evenisse, adeo in comperto est, ut neminem lateat.

Neque hic super Ierusalem subversione praetermittendum, quod cum Christus praedixisset, nec lapidem in illa relicturum fore, perfecte id impletum fuit Iuliani tempore, quemadmodum testantur, nedum D. Joannes Chrysost., D. Greg. Nazianz., et D. Ambros., verum etiam Ammianus Marcellinus Scriptor Paganus. Cum nempe Imperator ille Apostata mendacem reddere cuperet tam Danielis, quam Christi praedictionem, illamque Civitatem solo a Tito aequatam reaedificare simul cum Templo contenderet, Judaeos omni ex parte vocavit, atque ad opus adeo ab illis optatum, suisque sumptibus perficiendum, incendit. Cum tamen laborassent in eruendis veteribus Civitatis, ac Templi fundamentis, et Christi praedictionem perfecte impleverunt, nullibi relinquentes lapidem super lapidem; et erumpentes ab imis terrae visceribus flammarum globis, ab incoepto opere desistere coacti fuere: *Ambitiosum quondam* (ita citatus Ammianus l. 23. c. 1.) *apud Hierosolymam Templum, quod post multa, et internecιva certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, aegre est expugnatum, instaurare cogitabat* (Julianus) *sumptibus immodicis, negotiumque maturandum Alyppio dederat Atheniensi, qui olim Britanniam curaverat pro Praefectis. Cum itaque fortiter instaret Alyppius, juvaretque Provinciae Rector, metuen-*

di globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties laborantibus, inacessum.

ARTICULUS III.

De veritate solius Religionis Catholico-Romanae.

Perpensis, quae pro veritate Christianae Religionis edisseruimus, nullus profecto superest de ejus veritate dubitandi locus; quod sic breviter probatur. Evidenter nempe Divinam Bonitatem, Sanctitatem, ac veracitatem dedecet homines in errorem inevitabilem inducere circa Religionem, ac salutis viam. Quid manifestius? In ejusmodi autem errorem illos induceret, si Christiana Religio non esset vera, tot, tantisque evidentibus argumentis pro illius veritate militantibus: Quod igitur vera sit, locus dubitandi non superest. Hinc Richardus a S. Victore merito, optimoque jure ajebat: *Domine, si error est, a te decepti sumus* (*lib.* 1. *de Trin. c.* 2.). Quid vero absurdius?

Porro hanc veram Religionem solam esse Catholico-Romanam, non jam ullam ex tot haereticorum Sectis, quae et Christum colere profitentur, probandum modo est. Nihil autem facilius. Et sane, cum Dei Providentia exigat, ut eadem cura, qua hominibus religionem suam manifestat, eadem quoque efficiat, ut per obvios characteres ab aliis Religionibus dignoscatur, ac velut tutissima salutis regula habeatur, id profecto Dei providentiam, quae numquam in necessariis defuit, praestitisse, consequens est. Inter varias autem Christianorum sectas, quae invicem dissident, in sola Ecclesia Catholico-Romana hi characteres adsunt: 1.° quia in ea sola Ministri extant, qui per legitimam ordinationem, serie non interrupta, Missionem suam a Christo per Apostolos trahunt; dum e contrario in aliis Christianorum sectis eorum Ministri, non a Christo, et ab Apostolis missionem suam ostendunt, sed vel ab Ario, vel a Nestorio, vel ab Euthychete, vel a Luthero, Calvino, aliisve id genus viris; quos eo ipso, quod ab Ecclesiae sinu se sejunxerint, successionem quoque suam a Christo, et ab Apostolis abrupisse, patet. Utque idem diversimode dicamus, omnium aliarum sectarum initia ex historiarum monumentis novimus; ubinam enim ante A-

rium Ariani, ante Nestorium Nestoriani, ante Euthychetem Euthychiani, ante Lutherum, Calvinumque Lutherani, et Calviniani? Cum e contrario, dum in Ecclesiae Catholico-Romanae originem inquirimus, a Regnante Romano Pontifice continenti serie primum ad D. Petrum, tum ad ipsum Christum ascendimus.

2.° Quia vera Christi Ecclesia ea esse debet, cui praeest Petri successor, utpote is, cui Christus dixit in persona Petri: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* 16.: is, cui Christus dixit in persona ipsius Petri: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* 23.): is, cui Christus dixit in persona ejusdem Petri: *Pasce agnos meos; pasce oves meas* (*Io.* 21): is, per cujus os, ut in Actibus Apostolorum legitur, *elegit Deus audire Gentes verbum Evangelii, et credere* (15.): is tandem, qui juxta omnium PP. traditionem unitatis centrum constituit. Quod autem Petri successor non sit, nisi Rom. Pontifex, 1.° quidem extra omnem dubitationis aleam a tota antiquitate fuit, nec umquam in dubium vocatum est: ac 2.° vel nemo praeter Rom. Pontificem Petro succedit, quod adeo est absurdum, quemadmodum corpus absque capite, ac aedificium absque fundamento, vel ipse est Petri successor; quis enim Episcoporum praeter Rom. Pontificem sibi umquam vindicavit, vel vindicare potuit Petro succedere?

3.° Quia in sola Ecclesia Catholico-Romana semper vigere, atque adhuc vigent miracula, ut et discurrenti per singula illius historiae saecula, et ex Actis Canonizationis Sanctorum, exquisitissimo, ac severissimo examine supra quam credi possit effectis, liquet. Immo non transeuntia dumtaxat, sed et permanentia, ac stabilia miracula in ea adsunt. Hujusmodi est, ut a nostratibus non discedamus, quod omnibus constat de mirabili D. Nicolai Myrensis humore, quem vulgo nominant Mannam, Barii in Apulia ex illius ossibus ubertim manante: *Dicano i Novatori* (ita hic Segnerius in aureo opere, cui titulus: *L' incredulo senza scusa*), *come può avvenire, che ossa morte da tanto tempo sudino ancora, e nuotando in mezzo a tant' acqua, mai non infracidiscano, come l' altre, ma si conservino sempre nel primo fiore*? Hujusmodi etiam, quod Neapoli de Sanguine D. Januarii admiratur: etsi enim durissime congelatus, quotannis tamen colliquescere cernitur, dum in

conspectu capitis ejusdem Martyris ponitnr. Hujusmodi etiam quod Ravelli de sanguine D. Pantaleonis M. admiratur : et hic namque a primis Vesperis festi usque ad diem sequentem, dum Ecclesia celebrat ejus Martyrium, cum coagulatus antea existat, mirum in modum liquefieri, et undequaque fluidus moveri cunctis cernentibus quotannis conspicitur. Hujusmodi etiam quod in Urbe Andria admiratur, ubi cum servetur una ex spinis coronae Domini nonnullis sanguineis conspersa guttis, hae, dum concurrit Parasceve, ac dies Dominicae Passionis cum VIII. Kalendas Aprilis, conspicientibus omnibus diffluunt, totamque spinam cruentant. Ac hujusmodi sexcenta etiam alia afferri possent. Dicant porro nobis Increduli, ubinam, nisi in sola Religione Christiana, eaque Catholico-Romana, id genus prodigia observentur? Potestne vel unum in medium proferri, quod vel in Infidelium, vel in haereticorum partibus admiretur? *Son questi racconti Istorici* (ita idem Segnerius in laudato opere), *o sono cose esposte al guardo di chi pur segue a ripetere*: Nisi videro, non credam? *Gli Eretici, che non sanno quì che si dire, vorrebbero ridurre sì strani effetti a simpatie naturali. Ma questa è la meraviglia, che solamente ne' Paesi Cattolici si ritrovino simpatie sì belle, e nulla n' abbiano i lor Paesi Infedeli . . . La cagione è manifestissima; e tale è la Provvidenza Divina, che con questi, ed altri miracoli ancora stabili vuole illustrare la sua Chiesa sì chiaramente, che si discerna apertamente dall' altre, che non son sue* (*Parte* 2. *c.* 8.).

4.° Demum quia quaevis societas, quae fateatur in se non habere visibilem quamdam, et infallibilem auctoritatem in suis decisionibus Dogmaticis, hoc ipso fatetur, se non descendere ab illa Apostolorum Ecclesia, quae absque errandi formidine ajebat: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis* (*Act.* 15.). Quaevis autem Societas haereticorum nullam in sinu suo agnoscit auctoritatem ejuscemodi: et quidem, si eam agnosceret, quaenam haec esset, et quibusnam fundamentis niteretur? Hoc ipso igitur quaevis haereticorum societas fatetur, se ab Apostolorum Ecclesia non descendere, nec hilum cum illa habere. Quae cum sit tantum Christi Ecclesia, utpote superaedificata *super fundamentum Apostolorum* (Ad Eph. 2.), nullam proinde ex iis ad veram Christi Ecclesiam pertinere, consequens est.

ARTICULUS IV.

De Divina, atque infallibili SS. Scripturarum auctoritate, praesertim ex veritate Religionis Catholico-Romanae, etiamque ex aliis momentis.

Et 1.° nihil luculentius, quam quod ex veritate Religionis Christianae, et quidem Catholico-Romanae, Divinitas quoque Scripturarum, quas haec profitetur, fuisse a Deo inspiratas, velut prono alveo fluit. Et sane si vera est Religio Catholico-Romana, aeque erunt vera omnia ejus dogmata, omniumque praecipuum, cujusmodi est Divina Sanctarum Scripturarum auctoritas. Ex demonstratis autem vera est Religio Catholico-Romana: Vera et igitur omnia ejus dogmata, ac omnium praecipuum, Divina scilicet Sanctarum Scripturarum auctoritas.

En quomodo ex veritate Religionis Catholico-Romanae Divina, atque infallibilis SS. Scripturarum auctoritas manifeste sequitur. Sed et aliis quoque momentis confirmatur: 2.° scilicet ex ultione, quam Deus in eos exercuit, qui illas tentaverint profanare. Miranti siquidem Ptolomaeo Regi, cur Divinórum librorum nulli, neque historici, neque poetae meminissent, Demetrius Phaleraeus respondit, ut ex Aristaeo referunt Josephus *lib.* 12. *Antiqu. c.* 2., et Eusebius *lib.* 8. *Praep. Evang. c* 1., Divinam hanc Scripturam esse, atque a Deo ipso datam. Propterea si qui profanorum hominum eam attingere voluerunt, eos a Deo perculsos, continuo resiliisse. Affirmavitque, Theopompum quemdam, quod aliquid Divinorum voluminum graeca oratione ornare voluerat, subito, mentis quadam agitatione divinitus immissa, vehementer perturbatum ab incoepto opere coactum fuisse desistere: Theodorum vero Tragoediarum Scriptorem, quod nescio quid e Divina Scriptura ad fabulam quamdam transferre decreverat, luminibus captum, orbatumque esse; et ita repentina calamitate insignem temeritatem continuo fuisse repressam.

3.° Ex consensu qui inter libros veteris, et novi Testamenti reperitur; quae enim a Prophetis in Veteri Testamento praedicta fuerant de Christo, omnia cum suis circumstantiis completa leguntur in Novo Testamento; et quidem adeo, ut Ap. ad Coloss. c. 2. dixerit, omnia, quae gesta sunt in Veteri Testamento, fuisse umbram futurorum; quia nempe omnia, quae in Novo, semota obscuritate, completa sunt, fuerunt in

Veteri, quasi delineata, et variis figurarum involucris adumbrata, ut ex parte vidimus art. 2. §. IV. Hinc D.Aug. tr.35. in Jo. *Quid est Christus, dicit Paganus? Cui respondemus: Quem praenuntiaverunt Prophetae.* Et Athenagoras *in legatione pro Christianis* dixerat: *Eorum quae novimus, et credimus, habemus Prophetas testes, ac voces Prophetarum confirmant nostras ratiocinationes.* Non est autem, nisi solius Dei, ut cit. loco ostendimus, prophetiae sermo: Utriusque ergo Testamenti libros fuisse Deo afflante conscriptos, consequens est.

4.° Ex eo, quod si praedictiones rerum futurarum, in libris utriusque Testamenti contentas, veras fuisse, eventus postea comprobavit, cur vera non erunt rerum praesentium testimonia? Praedictiones autem rerum futurarum, in libris utriusque Testamenti contentas, veras fuisse, eventus postea comprobavit: Verum igitur, quod ait David lib. 2. Reg. c. 23.: *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* Verum quod ait Zacharias Luc. 1.: *Benedictus Dominus Deus Israel. sicut locutus est per os Sanctorum, qui a saeculo sunt Prophetarum ejus.* Verum quod ait Petrus ep. 2. c. 1.: *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Verum quod ait Paulus 2 ad Tim. c. 3.: *Omnis Scriptura divinitus inspirata.* Verum quod omnes Prophetae identidem repetunt: *Haec dicit Dominus. Cui enim melius* (apposite D.Aug.l.18. De Civ. Dei c.40.) *narranti praeterita credimus, quam qui etiam futura praedixit, quae praesentia jam vidimus?*

5.° Demum cum Deus nequeat in necessariis deficere, sitque revelatio, ut art. 1. §.1. ostendimus, hominibus necessaria, adesse profecto debet revelatio isthaec; et quidem, ut stabilior, atque explanatior esset, litteris consignata. Sicut autem hujus, vel illius libri Auctorem hunc, vel illum esse, ex eo discimus, quod hujus, vel illius Auctoris ab omnibus habitus est ex quo editus fuit; ita dicendum, Divinae auctoritatis, seu Deo afflante conscriptos fuisse illos, qui ab omnibus illius gentis, in qua editi fuere, semper continuata serie, tamquam Divini, habiti sunt; maxime cum nefas sit suspicari, Deum permittere potuisse, existimari ab omnibus, velut Divinos, libros, quos ipse non dictasset. nam circa quae specialem habuisse dicendum est providentiam, nisi circa ea, quae sui ipsius auctoritatem respiciebant, et a quibus omnis boni, sanctitatis, et justitiae regula generi humano proficiscitur? Ita

quoque D. Aug. *l. cont. Faustum Manich. c.* 6: argumentatur.

Objicitur quidem adversus Divinam SS. Scripturarum auctoritatem, difficultates, et antilogias per plurimas in iis occurrere. Sed resp. 1.°, eas tam a PP., quam ab Interpretibus explanari; maxime vero ex his ab Alapide, Calmeto, et Duclot, qui possunt consuli. Ac 2.°, nullam extare veterem historiam, in qua difficultates, et antilogias hujusmodi lectores non offendant, quippe quod quae earum Auctores litteris mandarunt, licet aetate, qua scribebant, omnibus nota fuerint, post tot saeculorum seriem, mutatis loquendi formulis, rerum circumstantiis ignoratis, et factis prius notis deinceps oblivione deletis, ex quibus vera Scriptorum intelligentia dependet, obscura evasere. Quod cum neminem lateat, et passim testentur tot in antiquorum libros commentaria ad perlustranda quae in iis occurrunt obscura, nemo etiam non videt, quaenam dicenda sit insania ex hoc capite, quibuscumque antiquis historiis communi, Divinam Scripturarum auctoritatem, tot fulcitam momentis, impetere.

Quod vero earum auctoritas hoc ipso, quod est Divina, sit quoque infallibilis, ex eo patet luculentissime, quod nedum fides, sed et ratio evidenter suadet, Deum nec falli posse, nec fallere; idque nec per se, nec per administrum; et nedum potentia, quae appellatur ordinaria, sed neque etiam potentia, quae extraordinaria, et absoluta appellatur. Et sane, est Deus Ens perfectissimum, ut suo loco, sola etiam ratione duce, patebit. Porro, nec falli, nec fallere cum idea Entis perfectissimi ullatenus cohaerere, caecus plane est, qui non videt: Ergo.. Nec solum fides, et ratio evidenter docent, id non posse per seipsum, sed neque etiam id posse per administrum; idem namque est praecipere, et facere malum; idemque aliquid facere per alium, et facere per seipsum. Deus autem nequit per seipsum fallere: Ergo. Nec tantum dicendum, id non posse potentia, quae appellatur ordinaria, sed nec etiam potentia extraordinaria, et absoluta; esset namque, et non esset Ens perfectissimum. Id autem contradictionem implicat: Ergo.. Hinc D. Aug. l. 1. de Symb. c. 1. *Cum sit Omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest.* Et l. 20. De Civ. Dei c. 25. *Dum de Omnipotentia Dei tam multa dixerimus, si volunt invenire, quod Omnipotens non potest, habent prorsus: Ego dicam, men-*

tiri non potest. Huc etiam referentur (quoniam et fidelibus scribimus) et verba Deut. 32. *Fidelis Deus, et absque ulla iniquitate.* Et Davidis verba Ps. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis , et sanctus in omnibus operibus suis.* Quod nempe Deus tam alienus est a falsitate., quam ab iniquitate ; quodque sicut nec per se , nec per alium potest iniquitatem facere , ita nec per se , nec per alium potest quempiam fallere. Huc quoque refertur illud. Num. 23. *Non est Deus , quasi homo , ut mentiatur.* Et Ap. ad heb. 6. *Impossibile est mentiri Deum.* Et ad Rom. 3. *Est Deus verax ; omnis autem homo mendax.* Sicut enim loquitur eo loci Apostolus de hominum natura, non de singulis hominibus , ex quibus innumeri constanter abhorrent a mendacio , ita eum loqui de Dei natura dicendum est ; quam proinde taliter appellat veracem , ut prorsus cum ea mendacium pugnet.

Objiciunt haeretici , quod Deus , ut legitur Gen. 4. , Caino formidanti , ne occideretur , *nequaquam* (ait) *ita fiet* : et tamen , ut eadem refert Scriptura , fuit deinde a Lamecho occisus. Quid clarius , quam quod Deus Caino mentitus fuerit ? 2.° quod Judaei , ut legitur c. 8. Exodi , Domino praecipiente , deceperunt Ægyptios : *Fecerunt enim filii Israel , sicut praeceperat Dominus Moysi ; et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea , et aurea. Dominus autem dedit gratiam populo suo coram Ægyptiis , ut commodarent eis ; et spoliaverunt Ægyptios.* Et l. 3. Reg. c. 20. habetur , quod cum Dominus interrogasset , *quis decipiet Achab ? Egressus spiritus , ego* (inquit) *decipiam illum.* Cui Dominus : *In quo ?* Tum ille : *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies , et praevalebis. Egredere , et fac ita.* 3.° quod habetur Job 12. *Qui immutat cor principum , et decipit eos ; et errare eos facit , quasi ebrios.* Et Is. 63. *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis?* Et Ezech 14. *Homo , qui posuerit immunditias in corde suo .... et venerit ad Prophetam interrogans per eum me : Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum ; et Propheta cum erraverit , et locutus fuerit verbum , ego Dominus decepi Prophetam illum.* Quibus similia alibi etiam habentur. Tandem in libro Tobiae plurima leguntur mendacia ab Arch. Raphaele prolata ; interrogatus enim , unde esset ? Respondit , se esse

ex filiis Israel. Et petitus, cujus esset domus? Respondit se esse *Azariam Ananiae magni filium.*

Sed resp. ad 1., quod Deus non praedixit Caino, nequaquam occidendum fore, sed non fore occidendum eo modo, quo Cain pertimescebat, *nequaquam* (inquiens) *ita fiet*; nec scilicet a primo occurrente, nec ex animo occidentis. Porro occisus fuit a Lamecho, qui nec primo illi occurrit, nec ex animo illum occidit, sed cum crederet, feram telo confodere. Ita D. Hier. ex hebraeorum traditione exponit *in ep.* 125. *ad Damas.*. Qua super re adiri et possunt Interpretes, penes quos aliæ quoque habentur interpretationes verborum Lamechi. Ad 2. Deum non jussisse Israelitis, ut Ægyptios fallerent, sed ut vasa argentea, et aurea commodato peterent. Praecepit vero postea, ne accepta redderent, tum quia Ægyptii eos presserant operibus duris luti, et lateris, omnique famulatu, ut ibidem legitur c. 1., nec iis de tot laboribus mercedem ullam reddiderant; tum quia in bello justo res hostium auferre poterant victoriae jure; tum quia universorum Dominus. Primam tamen, et posteriorem causam ipse Auctor Sap. affert c. 10.; priorem nempe illis verbis: *Et reddidit justis mercedem laborum suorum.* Posteriorem vero illis: *Ideo justi tulerunt spolia impiorum.* Ad 3., verbum imperandi non semper aut praeceptum, aut consilium in Scripturis significare, sed aliquando etiam permissionem; ut cum David ait de Semei: *Dominus praecepit ei, ut malediceret David* (2. *Reg.* 16.); et cum orare jubemur Matth. 5 *Et ne nos inducas in tentationem*; et cum Christus ait Judae apud Jo. 13. *Quod facis, fac citius*; quibus similia aliis quoque in locis occurrunt. Permissionem autem, non praeceptum verbis illis imperantibus exprimi, cum habent malum pro objecto, evidens ratio nos cogit, quod cum idea scilicet Entis perfectissimi nequit mali jussio ullatenus cohaerere: mali vero permissionem appellant Scripturae actionem, quia mali permissio non est, nisi in peccatorum poenam; quodque ordine Divinae justitiae fit, recte ab ipso Deo fieri dicitur. Ad 4. patet quoque responsio ex dictis; relatis nempe testimoniis significari, non quidem Deum decipere, deceptionem ipsam faciendo, sed permittendo, ut fiat. Qua etiam ratione corda et excaecare dicitur, et indurare: non quia, ut explicat D. Aug. l. de praed. et gr. c. 4., *operatur Deus in homine ipsam duritiam cordis,*

sed indurare eum dicitur, quem mollire noluerit; sic etiam excaecare, quem illuminare noluerit; et repellere eum, quem noluerit vocare. Quae omnia idem ipse facere dicitur, quia, ut supra advertimus, ordine ipsius justitiae fiunt: qua de causa ait quoque D. Jo. Damasc. l. de fide ort. c. 14., *morem esse Divinae Scripturae, permissionem Dei actionem ejus vocare.* Quoad ult. tandem, Arch. Raphael nec dum se dixit ex filiis Israel, nec dum se dixit Azariam Ananiae magni filium mentitus fuit: 1.m, tum quia, ut exponit Duhamel, Israelitis charitate conjunctus; tum quia ad Israelitarum custodiam, et maxime tribus Nephtali speciali providentia a Deo deputatus. Alterum, tum quia cum assumpserit formam Azariae, vere Azariam se dicere potuit, quemadmodum nempe alicujus imago a nobis vocari solet ipse prototypus, cujus est imago; tum ob munus ipsi demandatum, Azarias namque significat *auxilium Dei*, Ananias vero *gratiam Dei*; utque ex tota Tobiae historia colligitur, revera utrumque tam seniori, quam juniori Tobiae ipse fuit.

CAPUT II.

De libris Sacrae Scripturae tam Veteris, quam Novi Testamenti; eorum nempe canone, cujusque sit eorumdem tam auctoritatem, quam significationem definire?

Sacrae Scripturae, quam ant. cap. definivimus, volumen appellari etiam consuevit Vetus, ac Novum Testamentum, propterea quod singularis Dei erga homines voluntas per eam patet.

Praecise vero Vetus Testamentum dictum est *illa Sacrae Scripturae pars, quae continet libros ante Redemptoris nostri adventum Spiritu Sancto afflante exaratos.* Non defuerunt quidem ex Religionis hostibus, quorum alii Veteris Testamenti libros periisse asseruere in expugnatione urbis Jerusalem facta a Nabuchodonosor Chaldaeorum Rege; legitur enim l. 4. Reg. c. 25. et l. 2. Paral. c. 36., quod totam Jerusalem evertit, Templumque succendit: alii in ejusdem expugnatione facta ab Antiocho Epiphane Syriae Rege; ut enim legitur l. 1. Mach. c. 1., capta rursum Hierosolyma, sacris vasis comminutis, et asportatis, libros sacros combussit, et quemcumque, apud quem inveniebantur, trucidabat. Sed

refelluntur : in prima enim Jerusalem expugnatione non periisse, evincitur 1.° ex l. 2. Esd. c. 8., ubi legitur, quod, soluta captivitate per Nabuchonodosor facta, *dixerunt Esdrae Scribae, ut afferret librum legis Moysi. Attulit ergo Esdras legem coram multitudine.* An cum Esdras librum Moysis coram populo legit, tunc quoque temporis hunc ipse composuit? Tempore igitur captivitatis Babylonicae jam Sacri libri extabant. 2.° ex Susannae historia, quam legum Mosaicarum praecepta didicisse, scribit Daniel. Accidit autem Susannae historia tempore captivitatis Babylonicae : Sacrae ergo litterae, e quibus illa disceret, non perierant. 3.° quod, si Jeremias, ut legitur l. 2. Mach. c. 2., Arcam, Tabernaculum, et Altare incensi ab incendio servavit, multo magis dicendum est, sacros libros, qui in Templo servabantur, ab eo eripuisse, nam super iis, tamquam super fundamento, tota struebatur Religio. 4.° quia tum Jeremias ipse, tum Ezechiel, Mardochaeus, aliique Legis DD. absque dubio penes se habebant alia Sacrorum Librorum exemplaria, quae pereuntibus illis, quae in Templo servabantur, penes se superesse debuerunt. In altera autem Jerusalem expugnatione non omnes periisse, constat ex ipso l. 1. Mach. c. 11., ubi legitur, quod cum Machabaei in Maspha coetum indixissent, ibi sacros Libros a militum furore subductos aperuerunt, scripseruntque Lacedaemoniis quod *ipsos solatio habebant.*

Novum Testamentum vero *illa sacrae Scripturae pars dicitur, quae continet libros eodem Spiritu Sancto afflante exaratos post Redemptoris nostri adventum.* Quibus praemissis, en quod sub nomine eorum Canonis intelligitur : *Catalogus* nempe, *in quo tam Veteris, quam Novi Testamenti libri, tamquam fidei, et morum regulae, continentur, ac recensentur* : duo enim canon significat, *regulam* nempe, et *catalogum* ; quare cum dicitur de Sacrae Scripturae libris, quod sunt canonici, intelligitur et quod habendi sunt, tamquam fidei, et morum regula, et quod in catalogo hujusmodi librorum ab Ecclesia recensentur.

Libri autem, quos comprehendit tam Vetus, quam Novum Testamentum, sunt septuaginta duo ex Trid. sess. 4. ; nimirum 45. Veteris Test., et 27. Novi ; suntque (ait) infrascripti : *Testamenti veteris* 5. *Moysis, idest Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deutero-*

nomium : Iosue , Iudicum , Ruth , quatuor Regum , duo Paralipomenon , Esdrae primus , et secundus , qui dicitur Nehemias ; Tobias , Iudith , Esther , Iob , Psalterium Davidicum 150. Psalmorum , Proverbia , Ecclesiastes , Canticum Canticorum , Sapientia , Ecclesiasticus : Isaias , Ieremias cum Baruch , Ezechiel , Daniel , duodecim Prophetae minores , idest Osee , Ioel , Amos , Abdias , Ionas , Michaeas , Nahum , Habacuch , Sophonias , Aggaeus , Zacharias , Malachias ; duo Machabaeorum , primus , et secundus. Novi Testamenti , quatuor Evangelia , secundum Matthaeum , Marcum , Lucam , et Ioannem ; Actus Apostol. a Luca conscripti ; quatuordecim epistolae Pauli Apostoli , quarum una ad Romanos , duae ad Corinthios , una ad Galatas , una ad Ephesios , una ad Philippenses , una ad Colossenses , duae ad Thessalonicenses , duae ad Timotheum , una ad Titum , una ad Philemonem , et ad Hebraeos una ; S. Petri Apostoli duae ; S. Ioannis Apostoli tres ; S. Iacobi Apostoli una ; Iudae Apostoli una , et Apostoli Ioannis Apocalypsis. Pergitque idem Trid.: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus , prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt , et in veteri vulgata editione habentur , pro sacris , et canonicis non susceperit , anathema sit.*

Non eodem tamen modo quo nos , numerabat Synagoga Veteris Testamenti libros ; Pentateuchus namque unus olim erat liber , qui postea a 70. Interpretibus , quum eum ab hebraico in græcum sermonem transtulerunt , in quinque libros est tributus. Præterea libros Regum, qui, velut unus, numerabantur in Synagogæ canone , quatuor numerat Ecclesia. Item libri Paralipomenon nobis sunt duo , Synagogæ vero uterque unus ; a qua etiam , tamquam unus , habebantur duo libri Esdræ. Prophetarum quoque duodecim totidem sunt libri in Ecclesia , qui tamen nonnisi unum in Synagoga efficiebant. Circa quos advertendum insuper , quod non vixerunt , ac scripserunt , quomodo in canone numerantur , sed Prophetæ tam majores , quam minores hoc ordine spatio annorum 400. , quod circa annum 800. ante æram Christianam incipit: nimirum Osee, Joel, Amos, Isaias , Jonas , Abdias , Michæas , Nahum , Jeremias cum Baruch , Sophonias , Habacuch, Daniel , Ezechiel , Aggæus, Zacharias , Malachias.

Ex iis item non omnium certa semper fuit , et indu-

bitata auctoritas apud Catholicos ; quare subdistinguuntur in Protocanonicos, et Deuterocanonicos. Primi generis dicuntur , *qui semper , ubique , et sine ulla controversia , firma , et universali Traditione , ut Divini habiti , et crediti sunt in Ecclesia.* Secundi generis vero ii , *de quibus inter aliquos catholicos dubium aliquando fuit , essentne Divinae auctoritatis ?* His autem accensentur ex veteri Testamento Baruch ; cujus caeterum prophetiam , tamquam partem quamdam Jeremiae fuisse a veteribus computatam, scribit D Aug. *l.* 18. *de Civ. Dei c.* 33. , D. Ambr. *in Hexam. l.* 3. *c.* 14. , *et l.* 1. *de fide c.* 2. , ac VI. etiam Synodus sess. 8. , aliique. Item liber Tobiae , Judith , Sapientiae , Ecclesiastici , ac duo Machabaeorum. Ex Novo vero epistola ad Hebraeos ; epistola D. Jacobi ; epistola 2. D. Petri , ac 2. , et 3. D. Joannis ; epistola D. Judae , et Apocalypsis. Immo partes quaedam Protocanonicorum librorum dubiae auctoritatis quondam fuerunt : multa scilicet libri Esther in diversis capitibus sparsa. Item ex l. Danielis historia Susannae , oratio Azariae , historia Belis , et hymnus trium puerorum. Tandem cap. ult. D. Marci ; historia de sanguineo Christi sudore , et de Angeli apparitione, apud Lucam ; et historia de muliere adultera apud Joannem.

Hi igitur libri Deuterocanonici ; cum quibus confundendi non sunt ii , qui dicuntur apocryphi , idest ii , quorum ignoratur origo , nam graece *apocryphus* latine vertitur *absconditus*. Tales vero sunt Regis Manassis oratio libris Paralip. adjecta: Praefatiuncula. *Et factum est &c.*, quae in Vulgata Threnis Jeremiae praefigitur : Liber 3. , et 4. Esdrae ; nam quoad 3 m Esdrae , illum nec Synagoga , nec Ecclesia in canonem umquam retulerunt , nec in correctioribus Graecis codicibus extat , teste D. Hier. *Praefat. in Esdram* ; nec a 70. Interpretibus agnitus fuit. Quoad 4.m vero , a nullo canone hic refertur , atque in omnibus tam graecis , quam hebraicis codicibus deest. Cui accedit , quod multa prorsus fabulosa continet cap. 7. . Apocryphis demum accensentur 3. , et 4. Machabaeorum ; ut enim Calmetus advertit *in Prologo in h. libr.* , veteres catologi interdum quatuor , aliquando tres , saepe duos continent Machabaeorum libros ; ex quo infert , ancipitem antiquitatem esse de auctoritate tertii , et quarti , quos hodie Graeca pariter , et Latina Ecclesia ad apocrypha mandarunt.

Pro apocryphis quoque, immo omnino supposititiis, nulliusque auctoritatis habendi sunt Pseudo Evangelia, quae, ut refert idem Calmetus *Diss. in Evang. apoc.*, usque ad 39. olim numerabantur, ex quibus tamen quatuor, aut quinque hodie supersunt, ac caetera fauste interiere: nedum enim eorum rationem ullam umquam habuit Ecclesia, verum etiam adeo semper neglecta fuere, ut quae eorum supersunt in scriptis veterum fragmenta, tamquam fabellae, et suppositiones, rejecta semper fuerint, ac ea legisse, inquit laud. Calmetus, refutasse sit. Similis quoque reputatur ab Eruditis Christi epistola ad Abgarum Edessae Regem relata ab Eusebio l. 1. Hist. c. 1.; nec tribus namque prioribus saeculis ulli innotuit; nec Conc. Laodicaenum, nec 4. Carthaginense illam in canonem retulerunt, tametsi de illa scriptum fuerit ad D. Aug., qui huic Conc. interfuit: nec non Christi epistola, quae olim dicebatur a Coelo in Hierosolymam lapsa, quamque in Conc. Rom. II. an. 745. act. 2. Zacharias Papa retulit, et repudiavit: uti etiam Hymnus Domini, cujus Matthaeum meminisse illis verbis *Et hymno dicto, exierunt in montem oliveti*, quondam dictum fuit, cujusque aliqua fragmenta recitat, et refellit laud. D. Aug. *ep.* 237. *ad Ceret.*

Deducit quoque D. Th. ex c. 4. ad Coloss., D. Paulum litteras ad Laodicenses dedisse. Ita *in cap.* 4. *ad Coloss. lect.* 1.; ejusque epistolae exemplar affert Sixtus Senensis *l.* 2. *Bibl. S. in Paul*. Ab omnibus tamen, ut spuria, reputatur; neque enim Ecclesia in canone illam umquam scripsit, neque umquam PP. illa usi fuere. Ad locum autem Apostoli: *Et ea, quae Laodicensium est, vos legatis*, respondetur, quod non ibi Pauli epistola ad Laodicenses, sed Laodicensium ad Paulum designatur, ut tradunt prae aliis Chrysost. *hom.* 12. *in c.* 4. *ad Coloss.*, Theodoretus, aliique.

Perplurimae etiam circumferuntur Apostolorum Liturgiae, nempe D. Petri, D. Jacobi, D. Matthaei, et D. Marci; quae sintne genuinae, vel supposititiae, lis est adhuc sub judice. Extat quoque celeberrimus liber Pastoris, a D. Irenaeo *l.* 4. *adv. haer. c.* 4., aliisque PP. tamquam Divina Scriptura, laudatus, sed a D. Athan. *in Decr. Nycaenae Syn.*; a Theodoreto *l.* 1. *hist. c.* 14., et a Gelasio S. Pont. *in Conc. Rom. habito an.* 494., ut opus mere humanum habetur. Quamvis caeterum non sit

de numero Sacrornm librorum, utilem tamen esse ejus lectionem, ejusque Auctorem fuisse Hermam D. Pauli discipulum, cujus meminit in ep. ad Rom. c. ult., Eruditi omnes docent: qui et advertunt confundendum non esse cum alio sub eodem Pastoris nomine edito ab alio Herma, qui fuit Pii I. frater.

Circumferuntur demum canones Apostolorum, quos Clemens scripsisse fertur, suntque num. 85. Caeterum foetus Apostolorum non esse, Eruditi omnes inquiunt, nec eos umquam Apostolica Sedes recepit, ut auctor est Isidorus 16. *Dist. cap. Canones*: quod tum ex Leone IX. *c. Clementis ead. dist.* ostendi potest, tum vero magis ex Gelasio 15. *dist. c. Sancta Romana*. Neque etiam foetus Apostolorum esse Constitutiones Apostolicas, commune est.

Quibus praemissis, totum vetus Testamentum Manichaei rejecerunt, tamquam, ut ipsi ajebant, a Deo malo conscriptum; ex aliis vero haereticis quidam hos, quidam alios Scripturae libros, vel eorum partes, prout suis erroribus adversabantur, quemadmodum videre est ap. Bell. *l.* 1. *de Verbo Dei c.* 5., *et* 6.. Lutherani demum eos ex Veteri Testamento libros respuunt, qui in Judaeorum canone non reperiuntur, cumque iis conveniunt quoque Calvinistae; ex Novo vero epistolam ad Hebraeos, Jacobi, Judae, secundam Petri, secundam, et tertiam Joannis, et Apocalypsim, quas Calvinistae recipiunt: utrique tamen docentes, quemlibet fidelem, praesertim praedestinatum, immediate a Spiritu S. edoceri de ejusmodi controversiis, utque vera a falsis secernat, quin Ecclesiae judicium exposcat. Non defuerunt quoque ex haereticis, qui adulatione ducti ejusmodi controversiarum Judicem Supremum Principem dicerent. Contra quos docent e contrario omnes Catholici, fideliter adhaerendum canoni a Trid. confecto, quia infallibile de Scripturis canonicis judicium nonnisi ad Ecclesia, ejusque Capite petendum est.

Id tamen anteaquam ostendamus, praemittendum ducimus, quomodonam Ecclesia potuerit et apocryphos a Divinis secernere, et declarare, Deuterocanonicos libros Divinam habere auctoritatem. Et sane, agnoscere hos oportebat, tamquam Divinos, vel revelationis, vel Traditionis ope. Neutro autem modo videtur id potuisse agnoscere. Non primo, quia post Apostolorum tempora nullas novas revelationes in iis, quae ad fidem, ac mores spectant,

Ecclesia habuit, nam secus nec Spiritus Sanctus docuisset Apostolos juxta Christi promissionem apud Jo. 14. *omnem veritatem*; nec diceremur in ep. ad Eph. 2. *superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum*. Non alio, cum anceps quoad illos fuerit antiquitas: Ergo. . Sed resp. negando hoc postremum; libros enim Deuterocanonicos Veteris Testamenti priorum saeculorum Ecclesia ab ipsis Judaeis pro Divinis accepit, erant enim in Bibliis Judaeorum Alexandrinorum, et omnium Hellenistarum, seu graece loquentium: ac licet non essent apud omnes Judaeos in eodem pretio cum libris in canone relatis, in magno tamen pretio erant apud omnes. Immo, tamquam Canonicos in Synagogis lectos publice fuisse, probat Tournelius: et ideo in Judaeorum canonem non fuisse relatos, advertunt alii, quia illius canonis Auctor fuit Esdra Synagogae Scriba, qui post captivitatem Babylonicam omnes Sacrae Scripturae libros in unum corpus redegit; nec praefati libri vel scripti adhuc fuerant Esdrae tempore, vel ab eo post Babylonicam captivitatem, quae illos disperserat, nondum collecti. Addunt quoque alii, quod licet, tamquam Divinos, Judaeorum Synogoga illos non agnoverit, potuit tamen, ut tales, eos agnoscere Christi Ecclesia, cum qua foedus novum se initurum Deus per Jeremiam promiserat (31): cum enim Synagogae in plenitudine temporum successerit, eodem jure, quo olim licuit Synagogae canonem sacrorum librorum constituere, licuit etiam Christi Ecclesiae alios quoque libros Judaeorum canoni adjicere; immo tanto potiore jure, quanto ipsa praestat Synagogae ob amplitudinem privilegiorum perpetuitatis, diffusionis per omnes Gentes, peculiaris Spiritus Sancti assistentiae, communicationis cujusvis veritatis, &c., ipsi prae Synagoga collatorum.

Libros vero Deuterocanonicos Novi Testamenti pro Divinis Tridentinum accepit simul cum aliis libris Veteris Testamenti ex Concilio Laodicaeno an. 314. can. 59., ex Auctore Synopsis Athanasianae an. 375., ex Canonibus Apostolorum can. 85., ex Concilio Carthag. III. an. 397. can. 47., ex epistola 3. Innoc. I. ad Exuperium Tolosanum an. 405., ex Concilio Carthag. IV., cui interfuit D. Aug. an. 419., ex Decreto Gelasii Papae an. 494. edito in Synodo Rom., ac demum ex Conc. Gen. Florentino in Decreto pro Armenis an. 1439. . Quibus perpensis, mirum nemini esse debet, quod Tridentinum ex antiqua, et con-

stanti Traditione, nedum illustrium, sed et longe plurium Ecclesiarum, ac praesertim Romanae, quae omnium Mater est, et Magistra, judicare potuerit, Spiritu Sancto assistente, juxta illam Christi promissionem, *Docete. . . Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (*Matth. ult.*), et libros illos Divinam semper habuisse auctoritatem, et caeteros, tamquam apocryphos, habendos esse. Hinc non negamus, Ecclesiam non posse fidelibus proponere de fide, nisi quod Apostolis fuit revelatum, ipsis namque omnes fidei articuli crediti fuere, nec novae post ipsos factae sunt Ecclesiae revelationes. Si tamen de illorum librorum auctoritate fuit antiquitus dubitatum ab aliquibus Ecclesiis, id contigit, quia non omnibus Ecclesiis satis perspecta erat Apostolorum, et primitivae Ecclesiae de iis sententia; quae cum aliis e contrario nota fuerit, hinc dissidium de illorum librorum auctoritate inter peculiares Ecclesias oriebatur. Ita quoque nonnulla Dogmata, antequam definirentur ab Ecclesia, ab aliquibus Patribus aut negata, aut uti dubia habita sunt, dum Traditio de eorum veritate caeteris Patribus, eorumque Ecclesiis satis, superque innotuerat. Sed ex dicendis clarius; sit enim.

Prop. 1. Judicium tam de Scripturis canonicis, quam de germano earum sensu unice petendum non est ab ipsis Scripturis. Ita communiter.

Prob. = Et 1.° ex illis Malach. verbis c. 2. *Labia Sacerdotis custodient Scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Si autem de ore ejus, non de lege ipsa: Ergo. 2.° ex c. 15. Act., ubi legitur, quod non ad Scripturam appellaverunt Antiocheni, ut intelligerent, an verba Pauli Divina essent, sed ad Apostolos, et Seniores, qui erant Hierosolymis. Nec Apostoli, et Seniores Scripturam Judicem, sed semetipsos, et Spiritum Sanctum dixerunt, *Visum est* (ajentes) *Spiritui Sancto, et nobis.* Si autem hæc fuit primorum fidelium, ipsorumque Apostolorum praxis, eadem quoque a nobis habenda est: Ergo.. 3 ° ex illis D. Petri verbis ep. 2. c. 3., quod plura in Scripturis nonnumquam occurrunt adeo *difficilia intellectu, ut ea indocti, et instabiles depravent ad suum ipsorum perditionem.* Hinc D. Ambros. ep. 44. ad Constant., *Mare* (inquit) *est Scriptura Divina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum aenigmatum.* Si autem aenigmatum plena, et adeo intellectu difficilis, ut aliquando

indocti, et instabiles eam depravent ad suam ipsorum perditionem, profecto nec de Divina ejus auctoritate, nec de germano ejus sensu ab ipsamet petendum est judicium : Ergo. 4.° ex eo quod controversiae adsunt Catholicos inter, et hæreticos, quae solis finiri nequeunt Scripturis ; ut ex. gr. quinam libri sint canonici, et quinam apocryphi, quod ex Scripturis petendo, idem per idem probaretur ; quinam sit Sacramentorum numerus ; licitusne sit usus Missæ privatæ ; sintne parvuli ab hæreticis baptizati iterum baptizandi; sitne controversiarum Judex Scriptura ipsa, etc. Quod si in tot fidei controversiis alius præter Scripturas necessarius est Judex ad illas finiendas, ex quarum numero ipsa est de Scripturis canonicis controversia, nequit profecto Judex hic deesse, quin Deus in necessariis suæ Ecclesiæ defuerit, quod dictu nefas : Adest igitur ; a quo proinde, non ab ipsis Scripturis, petendum est de iisdem judicium. 5.° ex eo quod si in humana aliqua Republica talis esset judiciorum forma, ut nulli essent Judices vivi, sed solis exaratis litteris controversia quæcumque de illius Reip. Scripturis exorta finiretur, et stultissima esset hujusmodi judicandi forma, et nullus umquam esset litigandi finis, Scriptura enim Judex est mortuus, qui litigantes non audit, quibus proinde numquam esset litibus finis. Blasphemiam autem Christo irrogaret, qui diceret hoc illum modo suam Ecclesiam instituisse : Per vivum ergo Judicem, non per ipsas Scripturas, de iisdem judicium hadendum est.

Prop. II. Idem de Scripturis Judicium neque etiam a Majorum Traditione unice est petendum. Ita quoque communiter.

Probatur 1.ª, 3.ª, et 5.ª ex supra allatis rationibus. Quibus accedit, quod cum tot circumferantur, præsertim apud hæreticos, Traditiones, quæ nonnisi eorumdem sunt inventa, opus est Judice, qui veras e tot, tantisque inventis secernat.

Prop. III. Idem de Scripturis judicium nequit privatis quibuslibet tribui. Est de fide.

Prob. = Et 1.° ex c. 17. Deut., ubi graves quæstiones, qualis ea est, de qua agitur, non ad privatos Judices jubentur deferri, sed ad Sacerdotes Levitici generis, et Judicem, qui fuerit eo tempore. Quibus accedunt et Malach. verba c. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Et Agg. 2. *Interroga Sacerdotes legem.* 2.° ex c. 4. ad Eph. *Ipse dedit quosdam*

quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores . . . Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae. Si autem Spiritus S. immediate cuilibet revelaret fidei veritates, ubinam adesset periculum, quod fideles omni vento doctrinæ circumferrentur, ad quod cavendum egerent Pastoribus, et Doctoribus? 3.° ex illis D. Petri verbis ep. 2. c. 1., *quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione* non fit. Quid autem expressius? 4.° ex c. 15. Act., ex quo constat, quod exorta Antiochiæ controversia, an Pauli verba essent Dei, necne, nemo, ut supra diximus, idoneum se censuit ad judicandum ea de re; sed miserunt ad Apostolos, et Seniores, qui erant Hirosolymis. Quod cum ita sit, nemo quoque idoneum se ad id censere debet. 5.° ex eo quod homo privatus nec ullam habet in Ecclesia auctoritatem, nec apud cæteros fideles exploratam veritatem. Quodnam autem judicium a Judice, qui utroque careat, nisi infirmum, et quod quisque pro suo arbitratu despiceret? 6.° ex eo quod neque etiam in humana Republica permittuntur privatis hominibus hujusmodi judicia. Quod cum ita sit, multo magis dicendum est, neque etiam Christum in Ecclesia illis permisisse de hujusmodi judicare. 7.° quia si præfatum judicium esset cujuslibet privati, liberum cuique esset rejicere veras Scripturas, vel earum legitimam interpretationem, ne de errore convinceretur, et obtrudere falsas, tamquam veras, et genuinas, quia ipsis faventes. Id autem vastum aperiret campum hæresibus, schimatibus, et cujusvis generis abominationibus in Ecclesia, quin ulla adesset ratio hujusmodi fanaticos compescendi, quia nihil pro vero haberent, nisi quod spiritu privato tale judicassent. Quod et experientia recentiorum haereticorum confirmat, qui vel ipsi inter se dissident, et digladiantur de Scripturarum judicio; cum unisquisquo credat pari jure definiendi gaudere; et plebs ignara modo huic, modo illi Magistro adhaereat.

Prop. IV. Præfatum de Scripturis judicium non est, nisi ab Ecclesia petendum. Est de fide.

Prob.= Et 1.° ex illis Christi verbis Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus, et publicanus.* Hic autem loci nedum Christus loquitur de iis injuriis, quas unus ab alio accipiat, verum etiam de iis, quae Ec-

clesiam afficiant, si enim ex Christi praecepto deferendus est ad Ecclesiae judicium qui in hominem peccet, multo magis ad ejus judicium deferendus est, qui fidei depositum aggrediatur: Ecclesiæ ergo est de hujusmodi judicare, ejusque judicium, tamquam inappellabile, est habendum.

2. Ex verbis D. Jo. Evangelistæ c. ult.: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scimus, quia verum est testimonium ejus.* Quorsum autem illa numeri tam subita mutatio *Hic est etc.*, ac *Et scimus etc.*, nisi quia, ut Canus argumentatur, Joannes perhibet testimonium Evangelii, et Ecclesia probat, inquiens: *Et scimus etc.* Ergo.

3.° Ex ep. ad Gal. c. 2., ubi Ap. scribit, quod cum accepisset Evangelium per revelationem J. C., et mansisset cum Petro, et Jacobo diebus quindecim, *iterum ascendit Ierosolymam secundum revelationem, et contulit cum Apostolis Evangelium, quod praedicabat in Gentibus; seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset.*. Si autem Ecclesiæ probatio non esset necessaria, certe non fuisset sollicitus Paulus, ut ascenderet ad conferendum Evangelium, ne forte etc. Ergo.

4.° Ex eo quod legitur c. 15. Act., quod nempe cum apud Antiochenos dubitaretur, an Paulus, et Barnabas recte sentirent, et docerent de cessatione legalium, statutum fuit, ut ascenderent Paulus, et Barnabas, et quidam alii ad Apostolos, et Presbyteros in Jerusalem. Id autem ostendit, quod nec doctrina cuivis se esse divinam manifestat, nec id unusquisque per se cognoscit, sed Ecclesiæ opus est approbatione: Ergo.

5.° Ex SS. Aug.. et Hier., gravissima enim sunt D. Aug. verba l. cont. ep. Manich. c. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas.* Et paullo post loquens de libro Actuum Ap., *cui libro* (ait) *necesse est, ut credam, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi Catholica commendat auctoritas.* Nec minus urget D. Hier. in ep. ad ipsum Aug., relata Ap. verba ad Gal. pertractans, ubi *ex his* (inquit) *ostendit, se non habuisse securitatem Evangelii praedicandi, nisi Petri, et qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum.*

6.° Ex Conc. Tolet. I. *Si quis dixerit, aut crediderit, alias Scripturas esse canonicas, praeter eas, quas Ecclesia Catholica recepit, anathema sit.*

Tandem ex ostensis prop. 1., 2., et 3., si enim nec unice ex Scripturis ipsis, nec unice ex Tradit., nec ex privata cujuscumque opinatione ejusmodi judicium est ferendum, aliunde sane illud petendum esse, consequens est. Non est autem, unde satius, et firmius petere illud possimus, quam ab Ecclesia, quae ajente Ap. I. ad Tim. c. 3., est *columna, et firmamentum veritatis*: Ergo.

Confirmatur autem, quod judicium quoque de germano Scripturarum sensu nonnisi Ecclesiæ esse potest, 1.° ex eo quod legitur Js. 59. *Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in sempiternum.* Idem autem dictu est, quod Ecclesia custodit, custodietque semper et verbum, et spiritum verbi, quodque ipsius est de germano Scripturarum sensu judicium: Ergo.

2.° Ex Christi verbis apud Jo. 14., quibus Ecclesiæ promisit spiritum veritatis, qui cum illa maneret æternus, eique omnia suggereret, quæ illi Christus dixisset. Quod si Ecclesia est, cui Christus suggerere promisit, quae illi ab eo sunt dicta, nonnisi ipsius dicendum est de germano Scripturarum sensu judicium: Ergo.

3.° Ex eo, quod et hæretici Scripturas proferunt, easque et Diabolus Christo protulit: ex quo sequitur, quod cum verum Dei Evangelium, ut advertit D. Hier. in ep. ad Gal. c. I., *non in Scripturis sit, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in verborum foliis, sed in radice rationis*, hinc si Ecclesia Scripturam haberet, non autem legitimum Scripturae sensum, nec haberet verum Dei Evangelium, atque adeo ne fidem Christi quidem, quæ sine vero Dei Evangelio non est; nec cum inter Catholicos, et hæreticos de alicujus Scripturæ sensu controversia ageretur, ullus unquam esset dissidiorum finis, ulla fidelium consensio, ulla fidei unitas. Primum autem veram Christi fidem eliminat; alterum vero quam sit Ecclesiæ injuriosum, nemo non videt, nulla enim sub tali hypothesi Respublica adesset stultius constituta: Ergo.

4.° Ex Trid. sess. 4., ubi: *Ad coercenda petulantia ingenia, decernit S. Synodus, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctri-*

nae Christianae pertinentium Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, et tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum SS., aut etiam contra unanimem consensum PP. ipsam Scripturam interpretari audeat.

Demum, ubi de Religione agatur, vel cum Catholicis agnoscendus est Judex, qui omnes quoad Religiones controversias infallibili, et irreformabili judicio definiat; vel cum Deistis dicendum, solam rationem in Religionis negotio datam nobis esse ducem, quam sequamur. Hoc autem quam falsum sit, luculenter tract. 1. c. 1. art. 1. ostendimus; estque germanus Scripturarum sensus gravissimum religionis negotium, cum hic nos doceat quidquid ad Religionem spectat: Agnoscendus ergo est cum Catholicis Judex, qui eum nobis infallibili, et irreformabili judicio definiat, cumque D. Aug. dicendum: *Vera Religio sine gravi quodam auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest* (*l. de util. cred. c.* 21.). Judex autem ejusmodi nequit esse ipse Sacrarum Scripturarum Codex, cum quisque eas pro libito interpretari posset: nec Tradidio, cum quisque posset falsas Traditiones proferre: nec privatus cujusque spiritus, cum de se sit fallibilis, fueritque semper omnium haeresum, et sectarum origo: quae et omnia pluribus supra ostendimus: Non igitur ejusmodi Judex, nisi Ecclesia.

Prop. V. Per Ecclesiam, ad quam pertinet praefatum de Scripturis judicium, soli intelligendi sunt Episcopi, communione, et consensu juncti cum eorum Capite, quod est Rom. Pontifex. Est de fide.

Prop. = Et 1.° ex c. 3. Jer., ubi fideles *pascere in scientia*, *et doctrina* proprium munus Pastorum dicitur. Pastores autem in Ecclesia non sunt, nisi Episcopi; iis namque dicitur 1. Pet. c. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Et Act. 20. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo . . Diximus vero *communione, et consensu juncti cum eorum Capite, quod est Rom. Pontifex*, quia huic universam Ecclesiam pascendi munus demandatum fuit a Christo in persona Petri illis verbis: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (Jo. ult.), utpote quibus quemadmodum praeclare explicat D. Eucherius

Lugd., *non solum Pastorem, sed Pastorem Pastorum eum constituit.*

2.° Ex c. 18. Matth., ubi legitur, quod Apostolis simul cum Petro ait Christus: *Quaecumque alligaveritis super Terram, erunt ligata et in Coelis; et quaecumque solveritis super Terram, erunt soluta et in Coelis*: iisdemque post suam Resurrectionem, ut legitur Luc. 24, *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas*; quod profecto, non propter illos tantum, sed multo etiam magis propter Ecclesiam fecit. Qui autem succedunt Apostolis simul cum Petro, sunt Episcopi communione, et consensu juncti cum Rom. Pontifice: Et hi ergo sunt, ad quos pertinet quæstiones solvere circa fidem, ac germanum Scripturarum sensum aperiendo, fideles ligare ad credendum.

3.° Ex c. 28. Matth., et ult. Marci, ubi legitur, quod solis Apostolis, iisque seorsim vocatis, ait post suam Resurrectionem Christus: *Euntes docete omnes gentes.* Episcopi autem communione, et consensu juncti cum Rom. Pontifice ii sunt, ut diximus, qui illis succedunt. Ergo qui et fideles docere debent.

4.° Ex c. 4. ad Eph., ubi Apostolus enumerans varios gradus, qui sunt in Ecclesia, distinguit Apostolos a Prophetis; hosque ab Evangelistis: non distinguit tamen Pastores a Doctoribus, sed Doctorum, ac Pastorum una simul meminit, dicens: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores*; ut nempe, quemadmodum D. Aug. explicat, *Pastores, et Doctores eosdem esse, et non alios Pastores, alios Doctores intelligamus* (*ep.* 146. *ad Paulinum*). Et quemadmodum in eumdem locum ait D. Hier., *ut qui Pastor est, esse debeat et Magister.* Pastores autem, ut diximus, non sunt in Ecclesia, nisi Episcopi, ac præcipue qui omnium Caput est, Rom. Pontifex: Ergo.

5.° Ex c. 15. Act. ubi legitur, ut diximus, quod exorta inter fideles controversia, num legalia essent, necne deinceps observanda, non ad fidelium plebem, sed ad Apostolorum, et Seniorum Synodum fuit quæstio delata, nec, nisi post sententiam a Petro prolatam illis verbis: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis, etc.*, nullus amplius superfuit quæstioni locus. Quod cum ita sit, æque etiam omnes fidei quæstiones resolvendæ non sunt, nisi per Episcopo-

rum judicium, ejusque sententiam, qui est Petri successor: Ergo.

Tandem estne Regnum, vel etiam Civitas, quæ in rebus momenti repræsentetur ab aliis, quam a solis Primatibus? Ecclesia autem in Scripturis modo Regnum, modo Civitas appellatur: Neque ergo in rebus momenti ab aliis, quam a solis Primatibus, nempe Episcopis, repræsentatur. Cumque, si inter se dissidentibus, deesset, qui, ut Judex, irreformabili judicio definiens, eorum dissidium dirimeret, non esset certe Ecclesiæ a Deo provisum in rebus necessariis, quod dictu nefas, hunc ergo adesse, ac præcise Romanum esse Pontificem, utpote quem, nec alium semper agnovit Ecclesia, consequens est. Nemo autem est, qui non videat, quam magni momenti sit præfatum de Scripturis judicium: Per Ecclesiam ergo etc.

Prop. VI. Praecise etiam ab reliquis Episcopis, solius quoque Rom. Pontificis est, de quo agimus, judicium. Ita major, et sanior T. T. pars.

Prob. = Et 1.° ex illis Christi verbis supra relatis, *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, quibus universam Ecclesiam pascendi munus ipsi in B. Petro demandatum fuit. 2.° ex illis quoque Christi verbis, quod quidquid ipse ligasset, vel solvisset in Terris, fuisset etiam ligatum, vel solutum in Coelis. 3.° ex illis Petri verbis c. 15. Act., quod *per os ejus elegit Deus audire Gentes verbum Evangelii, et credere.* 4.° ex constanti Ecclesiae Traditione, ex qua liquet, quod majores quaeque Ecclesiae causae ad Rom. Pontificem delatae semper fuere, et deferendae sunt. Quaenam autem major, quam de libris canonicis causa? Tandem ex eo quod si contingeret esse dissidium inter Patres in Concilium coactos; nec esset in Ecclesia Judex, qui irreformabili judicio eorum dissidium dirimeret, certe, ut supra etiam diximus, non esset Ecclesiae a Deo provisum in rebus necessariis. Quis autem hoc dicere audebit?

Objic. 1.° ex c. 5. Jo., quod non ad Synagogam, sed ad Scripturas misit Christus Scribas, et Pharisaeos, ut de ejus Divinitate deciderent; illis nempe inquiens, *Scrutamini Scripturas.* Item quod Apostolus in controversia cum Galatis de Legalium cessatione, ad Scripturas eos provocat c. 4. illis verbis: *Sed quid dicit Scriptura?* Actuum denique c. 17. legitur, quod cum Beroae Dei verbum praedicaret Paulus, Beroæenses omnia, quae audie-

bant, num essent Scripturae conformia, perscrutabantur. Scriptura est igitur, quae, tamquam omnium fidei controversiarum judex, habenda est.

R. neg. cons.; non enim in allatis textibus provocatur ad Scripturas, tamquam ad controversiarum judicem, sed tamquam ad regulam judicii, qualis profecto est Scriptura in quaestionibus fidei, et morum; per Scripturas enim ut diximus, sicut etiam per Traditiones, ut infra dicemus, Deus nobis locutus est; estque verbum Dei fidei, et morum regula. Porro praeter regulam judicii, necessarium quoque esse Judicem, qui illam recte cognoscat, et applicet, nemo est, qui non videat.

Objic. 2.° quod Christus ait Jo. 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet ex doctrina, utrum ex Deo sit.* Cui simile est illud c. 10. *Oves meae vocem meam audiunt.* Utrumque autem significat, ipsos per se fideles, modo voluntatem Dei faciant, et oves Christi sint, idoneam habere discernendi Scripturas facultatem: Ergo. Item illud ipsius Jo. ep. 1. c. 2. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est.* Et ep. 2. c. 4. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint.* Ac demum quod Ap. ait 1. ad Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; spiritualis autem judicat omnia.* Et c. 14. *Si quis videtur esse spiritualis, cognoscat quae scribo vobis, quod Domini sunt mandata.* Cujusque ergo fidelis proprium est verba Domini cognoscere, eaque discernere.

R. neg. pariter cons.; allatorumque textuum sensum esse, quod facienti ex Dei gratia quod in se est, Deus non denegat ulteriorem gratiam, qua per se cognoscat quidquid suo statui necessarium est, ut salutem recte credendo, et agendo assequatur. Cum autem ex iis, quae ad salutem credenda sunt, unum, ipsumque potissimum, sit (ut ex ipsis Scripturis, quae profecto nequeunt sibi contradicere, ostendimus), quod judicium de rebus fidei, non ad fideles spectat, sed ad Ecclesiam, per suos Pastores communione, et consensu junctos cum Rom. Pont., qui omnium Caput est, repraesentatam, hinc facienti ex Dei gratia, quod in se est, Deus ulteriorem gratiam non denegat, qua in rebus fidei pendeat ab Ecclesiae judicio, et non sit ex iis, qui fidentes sibimetipsis se se in Judices attollunt, ac potestatem sibi arrogant de

rebus fidei judicandi. Accedit, quod cum vox Episcoporum, utpote eorum, qui in charactere Apostolis succedunt, quibus Christus ait Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*, sit vox Christi, hinc Christi oves non sunt, nisi qui corpus Episcoporum, idest Ecclesiam, audiunt: eamque audiendo, vocem ipsius Christi audiunt. Sicut etiam, quod si sensus, quem haeretici relatis textibus tribuunt, locum haberet, nec necesse fuisset, quod D. Jo. suis epistolis fideles doceret, et instrueret: nec D. Paulus scripsisset ad Eph. 4. quod Deus in Ecclesia constituit Pastores, et Doctores, *ut non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris*.

Objic. 3.° illud Ap. ad Rom. 13. quod *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Cui simile est illud D. Pet. ep. 1. c. 2. *Subjecti estote omni humanae Creaturae propter Deum, sive Regi, quasi praecellenti, sive Ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Ad Saeculares ergo Principes spectat de fidei etiam, et morum controversiis judicium ferre, iisque in hoc etiam omnes eorum subditi subesse debent.

R. neg. cons.; praefatis enim verbis praecipitur tantum, ut Principibus Saecularibus subditi simus, et obediamus in rebus temporalibus, nec non spectantibus tum ad Reipublicae pacem, tum ad legum Divinarum, et Ecclesiasticarum custodiam, utpote quarum custodes, et propugnatores sunt: non vero insinuatur, quod sint fidei, et morum controversiarum judices: 1.° enim eorum, quae ad Deum quovis modo spectant, praecipuas partes semper Sacerdotum fuisse, non Principum, expresse habetur ex l. 2. Paral. c. 19., ubi: *Amarias autem Sacerdos, et Pontifex vester in his, quae ad Deum pertinent, praesidebit. Porro Zabadiat filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quae ad Regis officium pertinent.* Et c. 6. *Non est tui, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum.* Quibus similia habentur quoque l. 1. Reg. c. 13. Ac 2.°, potestatem fideles pascendi, regendi, ac ligandi Apostolis, eorumque Successoribus, non vero Principibus Saecularibus, Christum dedisse, caecus plane est, qui ex relatis Scripturae locis non videat. Hinc Osius Cordubensis Episcopus in ep. ad Constantium Imp., *ne te* (ait) *de rebus misceas Ec-*

Digitized by Google

clesiasticis, *nec nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit*, *nobis Ecclesiastica concredidit.* Hinc etiam Theodosius junior in ep. ad Conc. Ephes. Candidianum Comitem ad illud misisse, ait; *sed ea lege*, *ut in fidei controversiis nihil quidquam commune haberet. Nefas est enim*, *qui Sanctorum Episcoporum catalogo adscriptus non est*, *illum Ecclesiasticis negotiis*, *et consultationibus sese immiscere.* Hinc denique dictum fuit in Conc. Constant. IV., quod de rebus fidei *investigare*, *et quaerere Patriarcharum est*, *et Pontificum*, *et Sacerdotum*, *qui regiminis Ecclesiastici officium sortiti sunt*, *qui sanctificandi*, *ligandi*, *et solvendi potestatem habent*, *qui Ecclesiasticas*, *et Coelestes adepti sunt claves.*

Objic. 4.° quod a nobis de Scripturis ab Ecclesia, et de Ecclesia a Scripturis judicatur. Id autem et circulus est vitiosus, nam Scripturarum auctoritas per Ecclesiam, et Ecclesiae auctoritas per Scripturas dignosci praesumitur; et contradicit effato illi, quod nemo sit judex in causa propria. Quare et Christus ait Jo. 5. *Si ego testimonium perhibeo de meipso*, *testimonium meum non est verum.* Ergo.

R. neg. min.; Scripturarum enim auctoritas et per Ecclesiam, et simul ex motivis credibilitatis ope rationis evidenter dignoscitur; eo fere modo, quo Dei existentia, unitas, omnipotentia, veracitas et lumine naturali cognoscitur, et creditur simul assensu supernaturali, ac vero fidei actu: quo posito, non habetur amplius circulus vitiosus, ut in tract. de fide c. 1. luculenter declaravimus; qua super re consulatur etiam quod diximus in introd. ad Theol. c. 1. prop. 3. §. *Nec dicas*, *&c.* . Effatum vero, quod nemo esse potest Judex in causa propria, locum non habet, dum agatur de Iudice supremo; quare et Rex, Respublica, et Ecclesia universalis utique in causa propria judicare possunt, tum quia alium non habent, qui jus ipsis dicat, tum quia causa Supremi Judicis non est privata, sed communis, ut fert quoque tritum illud: *Bonum Principis est bonum gentis*; ex quo sequitur, quod Judex quidem inferior judicare non debet in causa propria ob periculum, ne studium procurandae rei vel suae, vel societatis, cujus est membrum, sit illi causa, ut inique judicet; non tamen Judex supremus, cujus bonum cum sit bonum commune, etsi de causa propria id-

circo agatur, a recte judicando ob id non impeditur. Ad allatum vero Christi testimonium resp., quod cum nemo dicere se possit ab alio missum, nisi id probet, aeque et Christus, qui se dicebat a Patre missum, rejici a Judaeis potuisset, nisi operibus stupendis evidenter id probasset. Quare ejus testimonium in se quidem verum, et firmum erat; sed respectu Judaeorum probatione egebat. Quemadmodum tamen, postquam Christus suam Missionem probaverat, aliud opus non erat, ut illi in omnibus haberetur fides; ita cum nobis constet a credibilitatis motivis, quod Ecclesia Divinam habet auctoritatem, aliud opus non est, ut ejus judiciis, tamquam infallibilibus, acquiescamus.

Objic. 5.°, quod si judicium de Scripturis canonicis petendum esset ab Ecclesia, sequeretur inde, tum quod inferior de Superiore judicaret; tum quod Sacrae Scripturae veritas ab hominum testimonio penderet, sicque fides nostra non in Deum tandem, sed in homines revocaretur; tum quod hominibus plus, quam Deo, crederemus, ut enim ait Aristotiles: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.* Cuncta autem haec totidem absurda: Ergo.

R. neg. sequ. maj.; quoad 1. enim, asserimus Ecclesiam de Scripturis canonicis ferre judicium *discretionis* tantum, quatenus nempe, Spiritu Sancto assistente, juxta illam Christi promissionem: *Docete etc.. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, discernit humanas a Divinis, verum a falso: at nullatenus judicium aliquod *auctoritatis*, nisi tantum erga fideles, illos obligando ad accipiendas Scripturas, ut Divinas, quas tales esse judicaverit. Facta autem discretione, cum a Scripturis Canonicis, et Traditione, quam ipsæ Scripturæ commendant, omnia ejus judicia in rebus fidei et morum dirigantur, hinc tantum abest, quod Ecclesia superiorem se agnoscat, atque ostendat Scripturis Canonicis, ut potius illam morem iis gerere, ac subesse, nemo sit, qui non videat. Quoad secundum vero, et tertium, verum quidem est, quod juxta communem legem aliqua exteriora, et humana incitamenta necessaria sunt, quibus ad Evangelii fidem inducamur: tamen nec praedicta incitamenta, nec humanae omnes, et externæ persuasiones satis sunt ad credendum, prout credere tenemur, sed necessaria est insuper causa interior, idest Divinum quoddam lumen incitans ad credendum, et oculi quidam

interni Dei beneficio ad credendum dati : adeo ut nec ipsa Ecclesiæ auctoritas, quatenus credimus, eam esse veracem per credibilitatis motiva, est ratio formalis fidei, sed quatenus per fidem supernaturaliter infusam ejus veracitatem credimus. Et sane quod exteriora quædam, et humana incitamenta necessaria sint, quibus ad Evangelii fidem inducamur, probatur ex Christi verbis Jo. 15. *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Si opera non fecissem, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et ex ep. ad Rom. 10. *Quomodo enim credent ei, quem non audierunt. Quomodo autem audient sine praedicante?* Hinc quoque illud Marci ult. *Praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Hinc etiam Luc. 23 prius dicitur de Regulo: *Cognovit Pater, quod illa hora esset, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit.* Ac deinde : *Et credidit ipse, et Domus ejus tota.* Et c. 23. *Videns Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens : Vere Filius Dei erat iste.* Et Act. 13. legitur, quod *Sergius Paulus vir prudens, cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini.* Quod tamen nec prædicta incitamenta, nec humanæ omnes, et externæ persuasiones satis sint ad credendum, prout credere tenemur, sed necessaria sit insuper causa interior, seu Divinum quoddam lumen, et oculi quidam interni Dei beneficio ad credendum dati, patet tum ex Deut. 29., ubi *viderunt* (inquit Moyses) *oculi tui signa illa, portentaque ingentia, et non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, et aures ad audiendum, nec oculos ad videndum*: tum ex Christi verbis Jo. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Est scriptum in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Et Petro inquit : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro, et Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Coelis est.* In quem locum advertendum, quod Petrus et audierat Joannis Baptistæ testimonium, quo aperta voce clamaverat, Christum esse Filium Dei; et multa insuper Christi miracula viderat : et tamen post hæc omnia non testimonio Joannis, non miraculis visis ejus fidei confessionem Christus assignat, sed Divinæ revelationi. Item ex Ap. ad Thessal. *Gratias agimus Deo, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus fidei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est ve-*

re, *verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Et, ad Cor. 12. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Quod tandem nec ipsa Ecclesiæ auctoritas, quatenus credimus, eam esse veracem per credibilitatis motiva, sit ratio formalis fidei, sed quatenus per fidem supernaturaliter infusam ejus veracitatem credimus, ex eo liquet 1.°, quia secus fides nostra non inniteretur, tamquam fundamento, Divinae veritati, sed humanae. 2.° quia cum assensus conclusionis nequeat esse certior principiorum assensu, hinc si fides infusa credibilitatis motivis niteretur, neque etiam fides infusa, qua credimus, Deum esse unum in essentia, et trinum in personis, Verbum carnem assumpsisse, &c., esset motivis illis, quibus credimus Ecclesiae veracitatem, certior: quod dictu nefas. 3.° quia numquam hominem quemvis ita per quaelibet motiva credimus esse veracem, ut non formidemus, eum posse vel falli, vel fallere. Quapropter si assensus Catholicae fidei ex motivis credibilitatis penderet, firmus quoque, et absque formidine esse non posset. Quae cum ita sint, non est quidem, nisi ab Ecclesia, judicium de Scripturis Canonicis petendum: credimus tamen, prout credere tenemur veracitatem Ecclesiae non per motiva credibilitatis, sed per fidem supernaturaliter infusam, neque ex alia causa, nisi ex interiori causa efficiente, idest speciali Dei auxilio moventis ad credendum. Quibus perpensis, ruit, et quod Sacrae Scripturae veritas ab hominum testimonio pendeat, et quod fides nostra non in Deum tandem, sed in homines revocetur, et quod hominibus plus, quam Deo, credamus. Sed consulantur quoque hac super re quae scripsimus in tract. de fide c. 1.

CAPUT. III.

De primigenio Sacrae Scripturae textu, ejus versionibus, earumque authenticitate.

Docet Huetius in Dem. Evang. c. 13. pr. 4., *ex probabiliori sententia, linguam hebraicam Mundo ipso recentiorem non esse, et Adami, priorumque Patriarcharum usu concelebratam.* Pergens, quod Abraham, cum e Chaldaea Chananaeam venisset, hanc quoque linguam, ut morem regionis sequeretur, didicit: idque ex eo etiam suaderi potest, quod, ut Eruditis constat, nihil, aut

certe parum Chananaeam inter, et Hebraicam linguam, Phoenicum, nempe, et Israelitarum, discriminis est; unde Isaiae 19. v. 18. lingua Hebraica eadem Chananaea appellatur. Immo linguam hebraicam non ab Heber Semi pronepote nomen suum habuisse, scribit prae aliis Duhamel, sed ab Abrahamo, qui primus hebraeus vocatus est a Chananaeis, quod Euphratem transiisset; vox enim *Heber* significat *trans*, seu *ultra*; et nos quoque Ultramontanos appellamus, qui ultra Alpes sunt positi. Postquam tamen Hebraei captivi abducti sunt Babylonem, ex Chaldaeorum, inter quos dispersi erant, commercio, patriam inquinarunt loquelam; et ex Chaldaicae, et Hebraicae linguae confusione tertia prodiit, quae Syriaca dicta est, quaque, tamquam vulgari apud Hebraeos, Christus ipse, et Apostoli usi sunt. Quibus praemissis, investigandum hoc loco suscipimus, quinam fuerit primigenius Sacrae Scripturae textus; quaenam subinde prodierint ejus versiones; ac tandem quidnam de earum authenticitate, earum nempe conformitate cum textu originali, judicandum sit, opus enim authenticum intelligitur, *illud, quod perfecte suo originali respondet.*

Et quoad 1.m, tantum libros Esdrae, et Danielis lingua mixta ex hebraica, et chaldaica, seu, ut D. Hier. docet, *hebraicis litteris, sed chaldaico sermone*, exaratos fuisse ex libris Protocanonicis veteris Testamenti, Eruditi docent; ex libris Deuterocanonicis vero Tobiam, et Judith: caeteros vero omnes hebraico idiomate, excepto tantum secundo Machabaeorum libro, qui in Graeco legitur. Ex libris autem Novi Testamenti solus Matthaeus syriace, caeteri vero graece ab Apostolis editi fuere. Ambigitur tamen de S. Marci Evangelio, quod multi existimant, inter quos Baronius, et Lucius Ferraris, primum latina lingua ab illo editum fuisse in gratiam Romanorum, et deinde lingua graeca in gratiam Alexandrinorum; nec non de epistola ad hebraeos, de qua lis est, an primum syriace, vel graece scripta fuerit.

Quoad alterum vero antiquissimus est veteris Testamenti Pentateuchus Samaritanus; cum enim decem Tribus populi hebraici a Roboamo defecissent, et Jeroboamum sibi elegissent in Regem, duabus relictis Tribubus, quae Roboamo obtemperabant, Juda scilicet, et Beniamin; Samariam incoluere, unde Samaritani dicti sunt, ac peculiarem sibi condiderunt Sacrarum Litterarum codicem,

solum nempe Moysis Pentateuchum; quem, caeterum ita multi laudant, ut purissimum putent prae ipso hebraico. Adeatur Calmetus *in Dict. Bibl. v. Pentat*, et Gotti *tr.* 3. *c.* 2. §. 1.

Sequitur Versio Chaldaica, quae a Babylonica captivitate ortum habuit; in qua nimirum cum patriae legis, et linguae obliti essent hebraei, necesse fuit illis Sacra Biblia Chaldaice exponere. Quidquid autem sit de ea, quae primum prodiit, Chaldaica tamen, qualis vulgo circumfertur, tamque illa, cujus Auctor Onchelos, seu Onchelosus quidam dicitur, quam illa, quae Jonathano Uzielis filio tribuitur, quam demum illa, quae tribuitur Josepho cuidam caeco non ante V. Ecclesiae saeculum, nec de verbo ad verbum, sed de sensu ad sensum Scripturam reddit, additis interdum explicationibus nonnullis, quamobrem paraphrasis chaldaica dicta est, etiamque *Targum*, quod idem est, ac *expositio*, seu *interpretatio*; utraque, inquam, nullius est momenti in Ecclesia, cum majori ex parte Judaicis fabulis, et Thalmudistarum nugis sint refertae.

Sequitur versio Syriaca, quae fuit tantum Novi Testamenti, et quorumdam librorum Veteris. De ea autem, sicut certum est, antiquam esse in Ecclesia, ita incertum, vel prorsus ignotum a quonam prodierit; ac de ejus authenticitate, licet nullum adsit Ecclesiae judicium, recte tamen judicant linguae illius periti. Quare licet tanta non gaudeat auctoritate, ut illi standum sit omnino, ejus tamen utilitas non modica esse potest.

Ad versionem modo 70. Interpretum quod attinet, cusa hæc fuit Alexandriæ a 72. Interpretibus Judæis, qui numero rotundo 70. enuntiantur, ac hebraicam simul, græcamque linguam callebant, illuc missis ad instantiam Ptolomæi Philadelphi Regis Ægypti a Summo Judæorum Pontifice Eleazaro: qua super re alii addunt, quod 72. illi Interpretes totidem cellulis inclusi, eadem tamen prorsus scripserunt; quam tamen cellularum historiam, velut meram fabulam, explodit D. Hier. *Praef. in Pentat.*, dicens: *Nescio, quis primus Auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitarunt, cum Aristhaeus, et Josephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant.* Nec tantum aliquos veteris Testamenti libros ex hebraico in græcum transtulerunt, ut quidem opinati sunt,

sed omnes Veteris Testamenti libros; tum quia Ptolomæus cunctis totius Orbis Codicibus Regiam suam Bibliothecam exornare cupiens, omnes quoque Judæorum Codices Eleazaro petiisse, consequens est; tum quia ita communiter tradunt PP., inter quos D. Chrys. *hom.* 4. *in Gen.*, et D. Aug. *l.* 2. *De Doctr. Christ.*, quibus Iosephus ipse *l.* 2. *cont. Appion.* præiverat, inquiens: *Desideravit Ptolemaeus agnoscere nostras leges, et Sacrarum Scripturarum volumina concupivit.* Propendit quidem D. Hier. *in quaest. hebraicis*, *in c.* 3. *Ezech.*, et *in* 2. *Mich.* in contrariam sententiam: sed cum dicat, Psalterium, et Salomonis libros juxta 70. emendasse, et in Commentariis, quæ in Prophetas scripsit, ejusdem versionis meminerit, solum proinde circa id dubius fuit. Hac autem versione Christus, et Apostoli usi sunt; eademque utuntur etiamnum Græci; quamvis enim multis in locis olim vitiata fuerit, et corrupta, ut testantur D Justinus *in Dial. cum Tryph.*, et D. Hier. *Praefat. in libros Paralip.*, et *in Esdram*, eam tamen Xistus V. anno 1582. ex antiquissimo Bibliot. Vatic. Codice emendari jussit: editamque probavit his verbis: *Volumus, et sancimus ad Dei gloriam, et Ecclesiae utilitatem, ut Vetus Graecum Testamentum juxta* 70. *ita recognitum, et expolitum ab omnibus recipiatur, et retineatur, quo potissimum ad latinae vulgatae editionis, et veterum SS. PP. intelligentiam utantur*; *prohibentes, ne quis de hac nova graeca editione audeat in posterum quicquam immutare.*

Præter versionem 70. Interpretum, aliæ etiam prodierunt græcæ versiones Veteris Testamenti. Altera scilicet, auctore Aquila Pontico, anno Christi 128., qui primum Ethnicus, deinde Christianus, denique Proselytus fuit Iudæorum. Tertia, auctore Symmacho, anno Christi 200., qui Samaritanus genere, cum a suis defecisset, ad Hebræos transivit, inde ad Nazaræos, ac demum ad hæreticos Ebionitas. Quarta auctore Theodotione circa eadem tempora, qui Tatiani hæretici quondam auditor, deinde Marcionis sectator fuit. Ob perversam proinde Auctorum fidem caute est de eorum versionibus utendum; non nihil tamen utilitatis inde capi posse, constat tum ex D. Hier., qui Theodotionis versione usus est, ut testatur *Praefat. in Psalterium*; tum ex Ecclesia, quæ olim Danielem juxta Theodotionis versionem legebat ex eod. D. Hier. *praefat. in Daniel.*, et etiam nunc juxta eamdem legit c. 13., et

14., et plures cap. tertii versus. Accessit et quinta, quæ dicta fuit Hierichuntina, eo quod sine ullo Auctoris nomine reperta in doliis quibusdam in urbe Hierico: nec non et sexta, quæ dicta fuit Nicopolitana, eo quod similiter reperta absque nomine Auctoris in doliis occlusa apud Nicopolim. Deinde Origenes versionem 70. Seniorum, Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis in uuum volumen redegit, distinctis quatuor columnis, ita ut omnes, et singulæ unico aspectu possent videri; appellavitque opus a quatuor colonnis *Tetrapla*. Iis deinde e regione addidit textum hebraicum, quem duabus columnis descripsit, in una hebraicis characteribus, in alia græcis; appellavitque opus a sex columnis *Hexaplà*. Quibus demum addidit quoque versionem Hiericuntinam, et Nicopolitanam; appellavitque opus ab octo columuis *Octapla*. Septimam quoque Veteris Test. versionem elucubravit, græce S. Lucianus Presbyter, et Martyr sub Diocletiano; ipsiusque M. manu descripta reperta fuit Nicomediæ sub Constantino M. Imp.: edíditque graece et alteram Hesychius ex Monacho Episcopus eodem anno, quo S. Lucianus Martyr.

Apud Orientales alias quoque extare Sacrarum Litterarum Versiones, Arabicam nempe, Ægyptiam, seu Copticam, Æthiopicam, Persicam, Armenam, testatur D. Chrys. *hom.* 1. *in Jo.*; quæ tamen magnæ non sunt auctoritatis. Latinas vero adeo prae caeteris excrevisse, ut fere innumerae D. Hier. tempore circumferrentur, testis est ipse S. D. *praef. in Iosue* his verbis: *Cum apud Latinos tot sint exemplaria, qnot codices, et unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit quod ei visum est.* At prae omnibus una fuit in usu apud Occidentales, ac dicebatur Itala, de qua ita D. Aug. l. 2. de doct. Christ. c. 15. *In ipsis interpretationibus Italâ caeteris praefertur, nam est verbornm tenacior cum perspicuitate sententiae*: donec D. Hier. jussu Damasi Papae illàm edidit, qua deinceps, à tempore saltem D. Greg. M., usa semper fuit Ecclesia Latina, ac sub nomine Vulgatae Latinae intelligitur. Praecise autem S. D. quoad Novum Testamentum veterem Italam ad graecum textum accurate emendavit. Quoad Vetus Testamentum vero illam S. D. transtulit ex textu hebraico; exceptis Psalterio (scribit Bellarm.), quod tantum emendavit translatum ab antiquo interprete ex editione graeca S. Luciani; exceptisque libris Sapientiae, Ecclesiastici, Baruch., et Machabaeo-

rum, qui sunt ex antiqua versione latina, cujus auctor ignoratur, et S. D. non vertit, forte quia illos hebraicos non invenit, ut ipsemet de Sapientia declarat *praefat. in Proverbia*, et de Baruch *praefat. in Ieremiam*. Eam porro Trid. authenticam declaravit sess. 4. his verbis: *Insuper eadem Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accidere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, et declarat, ut haec ipsa vetus, et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, praedicationibus, et expositionibus, pro authentica habeatur, et ut nemo illum rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.*

Innumeras demum quoque extare Sacrarum litterarum versiones in lingua vulgari editas, in lingua nempe Gallica, Hispanica, Germanica, Italica, etc., nemo in dubium vocare potest. Super quibus advertendum, haereticorum sententiam fuisse, necessarium esse, Sacras Scripturas omnibus legendas tradere, ac lingua propria populi legi. Ita Brentius, Calvinus, Chemnitius, aliique; quibus novissime accessit etiam Quesnellus. Sed contra Ecclesia.

Quaestiones modo, quae discutiendae occurrunt super iis, quae exposita fuere, sunt 1.°, an textus primigenius Sacrarum Litterarum corruptionem passus fuerit? 2.° an jure merito Trid. declaraverit Vulgatam Latinam authenticam; et quo sensu? 3.° an scite Ecclesia providerit, quod Scripturae lectio in vulgari lingua non omnibus permitteretur? Sit proinde.

Prop. I. Nec Veteris, nec Novi Testamenti Codices a Judaeis, vel quibusvis aliis corrupti umquam fuere.

Prob. 1. pars, quod nempe libros Veteris Testamenti numquam Iudaei corruperint: vel enim, ut D. Hier. argumentatur in c. 6. Is., id egissent ante, vel post Christi aventum. At non 1.m, nedum enim *numquam Dominus, et Apostoli, qui caetera crimina arguunt in Scribis, et Pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent*, verum etiam, ut Christi Missionem agnoscerent, e ipse Christus eos ad Scripturas misit illis verbis *Scrutamini Scripturas, illae sunt, quae testimonium perhibent de me* (*Io.* 5.); et post Christum idem egerunt

quoque Apostoli, ut videre est et 2. ad Cor. 3., et Act. 15. . Non alterum; 1.° enim cum loca omnia a Christo, et Apostolis laudata ita fere legantur in Textu hebraico, ut ab illis laudata fuere; quis dicet, quod *Salvator* (pergit idem S. D.), *et Evangelistae, et Apostoli ita testimonia protulerint, ut Iudaei postea falsaturi erant?* 2.° quia non defuerunt quovis saeculo Iudaei, qui ad Christianam converterentur Religionem. Quomodo autem ab aliis depravari poterant exemplaria, quae in illorum manibus extabant? 3.° quomodo item depravari poterant exemplaria, quae in aliis quoque Christianorum Bibliothecis servabantur? 4.° quia, et hi, et Iudaei ad fidem conversi rem profecto exploratam habuissent, nec silentio praetermisissent. Nihil autem hac super re illis umquam redarguerunt. 5.° quia si eos corrupissent post Christi tempora, profecto id egissent in odium Christianae Religionis, ideoque ea prae caeteris sustulissent vaticinia, quae Christum probant esse Messiam. Id autem adeo praestitum non est, ut praeclare D.Aug. scripserit l. 18. de Civ. Dei c. 46. *Codicem portat Iudaeus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, isti legendo proficiant. . Sic apparent Judaei de Scriptura Sancta, quam portant, quomodo apparet facies caeci de speculo; ab aliis videtur, ab ipso non videtur.* Additque, huc referendum esse, illud Davidis oraculum: *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Disperde illos in virtute tua*; iis nempe inquiens, Regium Psaltem praedixisse, per totum Terrarum Orbem Judaeos disperdendos fore, ut illis per totum Terrarum Orbem Scripturas sacras circumferentibus, ab ipsis etiam ejus infensissimis inimicis veritas Christiana testimonium acciperet, et praedictiones de Christo, et Ecclesia in Scripturis Sacris contentae dici non possent fuisse a Christianis confectae. Demum Judaeos adeo semper Sacros Codices in reverentia habuisse, ut velut inexpiabile peccatum habuerint aliquid iis addere, vel ex iis detrahere, in comperto est apud omnes. Qua super re et Josephus *l. cont. Appion.* scribit, paratos semper fuisse, mortem potius obire, quam vel unum apicem in Sacris Codicibus immutare: et ap. D. Just. *in Dial. cum Tryphone* habetur, detestabilius apud ipsos fuisse aliquid in Sacris litteris immutare, quam vitulum aureum colere, aut filios Daemoniis immolare, aut prophetarum sangui-

nem fundere. Eadem vero reverentia, qua veteres, Judaei etiam moderni Sacros Codices prosequuntur; quare nedum earum verba, sed ipsas etiam litteras numeratas habent. Nec quidquam officit, ut advertit *Bell.* l. 2. *de verbo Dei c.* 2., additio punctorum ab iis facta, cum extrinsecus tantum addita sint, ideoque textum non mutant, unde detrahi facile possunt, et aliter textus sacer legi.

Prob. 2. pars, quod nempe neque etiam libri Novi Testamenti corrupti umquam fuerint; quomodo enim fieri poterat, ut et omnia exemplaria, quae innumera, et per totum Orbem sparsa extabant, in manibus haberentur; et vigilantia, qua Ecclesia, ejusque Doctores ipsos Sacrorum Codicum apices semper custodierunt, eluderetur? Quod si neutrum fieri poterat, numquam fuisse corruptos, dicendum est: Ergo. Qua super re videantur et dicta l. 1. tr. 1. c. 1. art. 2. §. 1. in fine.

Probatur demum utraque prop. pars ex eo, quod si Deus umquam permisisset, sacros codices corrumpi, non fuisset ei curae revelationem tueri et hominum saluti necessariam, et in qua Religionis summa consistit: dumque ejus benignitas constituto naturae ordini non deest, sivisset tamen, quod Sacri Codices, quibus ejus cultus, et morum informatio nituntur, perniciosis erroribus foedarentur. Id autem quam injuriosum sit ejus Providentiae, nemo est, qui non videat. *Il dire* (ita apposite Nicolaus Jamin in Opere, cui titulus *Pensieri relativi agli errori de' nostri tempi c.* 4.), *che la Rivelazione ha potuto alterarsi nel pervenire fino a noi, è un dare ad intendere, che la Providenza avrebbe potuto mancare a se stessa; il che è una bestemmia contro Dio: imperocchè se l' Esser Supremo avesse potuto permettere la corruzione de' libri, ai quali fu affidata la sua parola, dovrebbe conchiudersi in* 1.° *luogo, che Dio avrebbe stabilita una Religione, senza provedere alla conservazione di essa: in* 2.° *luogo, che avrebbe istruiti gli uni intorno alla sua volontà, senza conservare agli altri i mezzi di conoscerla: in* 3.° *luogo, che avrebbe giudicata necessaria la rivelazione, e poscia, come inutile, l' avrebbe trasandata: in* 4.° *luogo, che avrebbe tesi dei lacci agli spiriti umili, e docili, permettendo, che quei libri, i quali hanno acquistata presso loro una sacra autorità, siano poi mescolati di vero, e di falso. Or tutte queste*

conseguenze vengono ad insultare, come ognun vede, la Providenza di Dio. La Divina Sapienza nella sua condotta opera conseguentemente, poiche quando ella proponesi un fine, vi proporziona sempre i mezzi. Non vi ha dunque uopo di alcuna discussione, per ricevere dai Giudei, e da' Cristiani la raccolta delle Scritture, come un deposito, di cui la Providenza ha presa una special cura, e la cui conservazione trovasi fondata sopra le medesime ragioni, ch' ebbe la Sapienza di Dio nel far registrare i suoi Voleri.

Objic. D. Iustinus *in Dial. cum Tryphone*, nec non Euseb. *l.* 4. *hist. c.* 18., aliique etiam ex Veteribus, qui conqueruntur, Iudaeos quaedam erasisse ex Scripturis, quædam vero adulterasse.

Sed resp., omnes loqui non de textu, sed de versionibus tam 70. Interpretum, quam Aquilae, Symmachi, et Theedotionis ut videre est ap. Bellarm. *l. cit*, et Gotti *De Vera Relig. tr.* 3. *c.* 8. Aliud autem dictu est, textum ipsum corrupisse, estque id, quod negamus; aliud vel corrupisse versiones, vel eas ed disse a textu in aliquibus dissonas, quod non negamus factum: sicut etiam non negamus, ipsum textum primigenium suis non vacare nævis, cum enim prima exemplaria jamdiu perierint, hinc quae deinde scripta sunt, eadem pene subierunt discrimina, quae libri caeteri, naevis quoque hujusmodi, dum de novo eduntur, obnoxii, quin scilicet vel in factis prodigiosis, quae referuntur, vel in Prophetarum praedictionibus, vel in iis, quae ad fidem, et mores spectant, ullum paterentur dispendium.

Prop. II. Merito, optimoque jure Trid. declaravit, Vulgatam Latinam esse authenticam: quo intelligitur, nedum in rebus ad fidem, vel mores pertinentibus originali esse conformem, verum etiam immunem ab omni errore quoad praecipuam rei, quae significari intenditur, sententiam.

Prob. I. pars = Et 1.° ex usu, quem per fere mille annos obtinuerat ante Tridentinum in Latina Ecclesia; a tempore enim D. Greg. M. totam Ecclesiam Latinam solam versionem illam vulgatam adhibuisse in lectionibus, expositionibus, et definitionibus fidei, et morum, liquet tum ex libris ab eo tempore editis, tum ex Actis Conciliorum. Nefas autem dictu, quod Ecclesia Latina, quae apud se totius Ecclesiae Capitis, et Supremi Christi Vica-

ri Sedem habet, et quae a multis saltem saeculis majorem Ecclesiae Catholicae partem constituit, falsa Scriptura usa fuerit per fere mille annos; quia enim major Ecclesiae pars simul cum suo Capite errasset in re gravissime ad fidem, immo ad fidei regulam pertinente, sumendo falsum Dei verbum pro vero, ubinam Ecclesiae amplius infallibilitas? Non igitur falsa, sed authentica, seu originali conformis dicenda est. 2.° Nullatenus verisimile, ac Dei Providentiae consentaneum videtur, Latinam Ecclesiam, penes quam Ecclesiae principatus extat, nullam adhuc Scripturam Latinam habuisse, cui posset in fidei dogmatibus stabiliendis tuto inniti, et Adversarios quosvis solida auctoritate refellere. Si autem id nec verisimile, nec Dei Providentiae consentaneum videtur, dicendum profecto est, hanc Scripturam Latinam habuisse; nec aliam esse, evidens est, nisi Latinam vulgatam, cum hac, et non alia a tot saeculis usa fuerit: Talis ergo habenda est Latina Vulgata, qua semper usa fuit, ut in fidei dogmatibus stabiliendis tuto illi inniti, et ad quosvis Adversarios revincendos solide illa uti possit; ac proinde authentica. 3.° Latina Vulgata posthabita, vacillaret ubique legentium fides, quippe quod fideles graecas, hebraicasque litteras ignorantes, (qui sunt fere omnes), ideoque Scripturas nonnisi in latino idiomate legentes, ancipiti semper sententia penderent, siquidem nescirent absoluta certitudine, utrum quae latine legunt, itane, vel aliter in autographo graeco, ac hebraico habeantur. Si autem Latina Vulgata posthabita, vacillaret ubique legentium fides, vel dicendum profecto, tutam esse vulgatam ipsam legentium fidelium anchoram; vel (quod dictu nefas) ubique fidem defecisse, quippe quae cum formidine constare nequit: Tuta igitur legentium fidelium anchora; cumque ejusmodi non esset, nisi esset authentica, talis igitur.

Quod demum probatur ex dignitate Auctoris; hic enim fuit D. Hieronymus; *homo* (ut illum appellat D. Aug. l. 18. De Civ. Dei c. 43.) *doctissimus, et omnium trium linguarum peritus*; ingenio item praestantissimus, praeditusque exemplaribus tum hebraicis, tum graecis emendatissimis, ut ipsemet testatur *in praf. super Job.* Maxima item in vertendo, ac emendando tum diligentia, tum fidelitate suscepto operi incubuisse, eximia, ac mundo nota ejus sanctitas dubitare non sinit: hisque omnibus

accedit quod speciale insuper a Deo auxilium ad non errandum habuit. Et sane quod peculiari Spiritus Sancti dono opus sit, ut quis Sacras Litteras recte intelligere, ac interpretari possit, testatur Ap. in priori ad Cor. ep. c. 2., ubi id inter reliqua Spiritus Sancti dona commemorat illis verbis: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiae: alii interpretatio sermonum.* Et ap. Luc. ult. dicitur, quod Christus *aperuit* discipulis *sensum*, *ut intelligerent Scripturas*; quo testimonio probat D. Hilar. *in Ps* 115., Scripturarum intelligentiam donum Dei esse; quas proinde, ut Canus colligit *De loc. Theol. l.* 2. *c.* 14., nemo etiam sine speciali Dei dono potest in aliam linguam vertere; nam, ut argumentatur, si Scripturarum intelligentia donum Dei est, Scripturas autem interpretari nemo, nisi qui intelligit, potest, donum quoque Dei esse debet illas in aliam linguam vertere. De quo etiam rationem reddit D. Petr. ep. 2. c. 1., ubi cum dixerit, quod *Scriptura propria interpretatione non fit*, pergit: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*: quasi dicat, spiritum quemdam propheticò vicinum, et proximum necessarium esse sacris litteris interpretandis; quia eodem spiritu iis interpretandis opus esse, dicendum est, quo fuerunt conditae. Hoc autem spiritu, seu peculiari Spiritus Sancti dono fretum D. Hieronimum fuisse innuere Ecclesia videtur, quum in oratione ejus officii precatur: *Deus qui Ecclesiae tuae in exponendis Sacris Scripturis B. Hieronymum Doctorem Maximum providere dignatus es.* Unde Correctores Romani in praefat. ad Biblia jussu Clem. VIII. impressa haec ajunt: *Non immerito Catholica Ecclesia S. Hieronymum Doctorem Maximum, atque ad Scripturas Sacras interpretandas Divinitus excitatum, ita celebrat, ut jam difficile non sit, illorum omnium damnare judicium, qui tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certe paria praestare se posse, confidunt.*

Prob. 2. pars = 1.° enim authenticum illud dicitur apud Iurisperitos, *quod ex se fidem facit in judicio, et supremae est auctoritatis, ut a nullo rejici, vel in quaestionem vocari queat.* Hujusmodi autem non esset Vulgata, quam Trid. authenticam declaravit, nisi et esset in rebus ad fidem, vel mores pertinentibus originali conformis, et immunis ab omni errore quoad praecipuam rei, quae sit

gnificari intenditur, sententiam : Ergo . . 2.° nemo est, qui nesciat, quam accurata prae caeteris Tridentini mentem Card. Pallavicinus assecutus fuerit. Scribens autem hac super re ille Eminentissimus *in hist. Trid. l.* 6. *c.*17., Tridentinum, ait, declarando Vulgatam Latinam authenticam, declarare intendit, illam neque *data opera corruptam quacumque parte quantumvis minime, et ad praecipuam rei sententiam spectante, neque umquam plane ex inconsiderantia ab archetypo difformem in iis, quae rem constituunt*: Ergo . . 3.° quia si ejus Auctor D. Hieronymus dicatur in rebus levis momenti errasse, ut homo, nemo est, qui non videat, quod haec ratio aeque valeret, pro rebus gravioribus, aeque enim homo erat in utrisque scribendis. Specialiter autem adjutus creditur a Spiritu Sancto, ne in gravioribus erraret: Et in rebus igitur levis momenti, maxime cum Deus aeque id facere potuerit, et Ecclesiae bono id quoque non parum expediret.

Diximus *quoad praecipuam rei, quae significari intenditur, sententiam*; a levissimis enim quibusdam mendis neque ad fidem, neque ad mores, neque ad praecipuam rei, quae significari intenditur, sententiam pertinentibus, immunem non esse, Tridentini Decreto non adversatur, ut advertit Bellarm. *l.* 2. *De Verbo Dei c.* 10., cumque eo communiter DD.; quare et addunt communiter, quod praefato Decreto nec prohibuit Concilium fontes consuli, nec iis aliquatenus derogavit; maxime cum Vulgatam non cum ipsis fontibus comparaverit, sed cum aliis dumtaxat, quae circumferebantur, Latinis versionibus.

Prop. III. Scite Ecclesia prohibuit, quod Scripturae lectio in vulgari lingua omnibus indistincte permitteretur.

Prob. = Et 1.° ex verbis S. Petri ep. 2. c. 3., ubi in epistolis D. Pauli, sicut et in caeteris Scripturis, *multa* (ait) *esse difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem.* Quod si indocti, et instabiles eas depravant ad suam ipsorum perditionem, earum lectio neque depravantibus, neque depravatas habentibus, ac proinde non omnibus permittenda est: Ergo. . Hinc D. Hilar. *l. ult. de Synod.*, omnes haereses ortas esse, dicit, ex male intellecta Scriptura. 2.° ex Trid. in Reg. 4. Indicis, ubi haec habet: *Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri*, hac in parte ju-

dicio Episcopi, *aut Inquisitoris stetur*, *ut cum consilio Parochi*, *aut Confessarii*, *Bibliorum ab Auctoribus Catholicis versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint*, *quos intellexerint ex ejusmodi lectione non damnum*, *sed fidei*, *atque pietatis augumentum capere posse*, *quam facultatem in scriptis habeant*. *Qui autem absque tali facultate ea legere*, *seu habere praesumpserit*, *nisi prius Bibliis Ordinario redditis*, *peccatorum remissionem percipere non possit*. Verum Decreto S. Cong. Judicis sub die 13. Iunii 1757. provisum fuit, *quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatae*, *aut editae cum annotationibus desumptis ex SS. Ecclesiae PP.*, *vel ex doctis*, *Catholicisque Viris*, *conceduntur*. Addit Nicolaus L'Herminier in Summa Theol., introd. ad Script. S., quod *lex illa*, *qua tenentur fideles*, *scriptis habere facultatem legendi Scripturas in vulgari lingua*, *numquam viguit in ulla Orbis Christiani parte*. 3.° auctoritate Clem. XI., qui Const. *Unigenitus* has Quesnelli prop. proscripsit: *Utile*, *et necessarium est omni tempore*, *omni loco*, *et omni personarum generi studere*, *et cognoscere spiritum*, *pietatem*, *et mysteria Scripturae*. Et: *Lectio Scripturae est pro omnibus*. 4.° ex eo quod Scripturae omnibus indistincte traditae in naturali, et vulgari lingua nedum vilescerent, sed et frustra eorum manibus tererentur, cum eas Commentariorum ope vix, qui latinam linquam callent, intelligant.

Objic. illud Christi Jo. 5. *Scrutamini Scripturas*. Nec non quod ait Ap. ad Coloss. 3. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter*. Et 2. ad Tim. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*, *ad arguendum*, *ad erudiendum in justitia*, *ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. Sed resp. ad 1., Christum misisse ad Scripturas, non quoscumque, sed Scribas, Pharisaeos, et Legis Doctores ejus Divinitatem negantes, cum quibus disputabat. Ad 2., Apostolum Colossenses monere, ut verbum praedicatum diligenter custodiant, atque operibus comprobent. Ad 3., aliud esse, quod Scripturae illas intelligentibus, ac iis, quibus explicatae fuerint, utiles sunt; aliud, quod ejus lectio in naturali, et vulgari lingua sit pro omnibus. Primum autem Apostolus ait, non alterum.

CAPUT IV.

De modo, quo Spiritus Sanctus Scriptores Sacros afflaverit.

Sacras Scripturas Divinam habere auctoritatem, utpote Deo afflante conscriptas, jam c. 1. ostendimus; idque hic addimus, dogma fidei esse, utpote idipsum ab eodem Deo revelatum. Huc sane referuntur et quae habentur Lucae 1. *Sicut locutus est per os Sactorum, qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus.* Et Act. 3. *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda.* Et 2. Pet. c. 1., *quod Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Ubi in graeco legitur: *Spiritu Sancto acti, et impulsi.* Et ad Rom. 3., ubi libri sacri vocantur *eloquia Dei.* Et 1. ad Thess. c. 2. *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei.* Et ad Heb. 1., quod *multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, etc.* Et 2. ad Tim. 3., quem cum laudaret, quod ab infantia Sacras litteras noverat, pergit, quod *omnis Scriptura Divinitus inspirata utilis est etc.* Accedit quoad Scripturas Novi Testamenti, et quod Christus Apostolis promiserat, ut legitur Jo. 14. *Spiritus Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, docebit vos omnem veritatem*: et quod iis dixerat, ut legitur Marci 13.: *Nolite praecogitare quid loquamini, sed quod vobis dictum fuerit in illa hora, id loquimini, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus*; ubi notandum, non dixisse *eritis tunc loquentes*, sed *estis loquentes*. Hinc. Ap. 2. ad Cor. c. 13.: *An experimentum (inquit) ejus quaeritis, qui in me loquitur, Christus?* Quis autem dicet, quod non aeque in suis scriptis, quam in sermonibus, et concionibus Spiritu Sancto afflati fuerint: quodque si cum docebant, et concionabantur erant Spiritu S. afflati, eodem quoque afflati non erant, quum scribebant?

Verum quidem est, quod aliquando quae litteris mandarunt, ex testimonio sensuum confirmant; ut cum D. Jo. ait ep. 1. c. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt, annuntiamus vobis*; non tamen

quia id non scripserint ex Divina inspiratione, ut inde Religionis hostes colligere ausi sunt, sed ut praeter auctoritatem Divinam, quae suis narrationibus inerat, humanam quoque contulissent ex certissimis testimoniis petitam, una quippe certitudo aliam nôn destruit; immo utramque conjungi posse, innuit Christus Jo. 15. Apostolos alloquens: *Cum venerit Paraclitus . . ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Neque etiam facessit, quod in l. 2. Mach. c. ult. auctor veniam a lectoribus deprecatur, *si minus digne* scripserit; quod a Divina auctoritate longe alienum est, qui enim scripta sua indigere venià fatetur, is Spiritus Sancti oracula non esse, eo ipso asserit. R. enim, 1.° quod nihil impedit, ut Spiritus Sanctus Scriptori inspiret, qui in quibusdam tamen humano more ex modestia loquitur. Sic et Ap. ep. 2. ad. Cor. 11. *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia.* Et c. 12. *Ut minus sapiens dico, plus ego.* Et iterum: *Donate mihi hanc injuriam.* 2.° quod aliud est loqui de ipsius historiae veritate, aliud de ejus narrationis modo. Ibi autem Scriptor veniam petit, non falsitatis, quae nulla erat, sed elocutionis, quae respectu eorum, quae infra dicemus, ab homine erat. Quoad errores demum, et contradictiones falso Sacris Litteris imputatas, adeantur Sacri Interpretes, praesertim Alapide, Calmetus, et Duclot, a quibus diluuntur; ne enim in iis enim immoremur, suscepti operis brevitas, et Institutionum ratio nos revocat. Qua super re consulantur etiam quae diximus c. 1. art. 4. *Objicitur quidem etc.*

Quibus praemissis, tria distinguenda sunt in Scripturis: verba; stilus, seu verborum constructio; et sensus, seu res verbis expressae. Item distinguendum inter revelationem, inspirationem, et assistentiam; revelatio enim proprie, ac stricte sumpta *est rei antea ignotae facta Divinitus declaratio, seu manifestatio.* Inspiratio *est motus quidam, seu incitatio interior, qua Deus movet Scriptorem, et excitat ad scribendum, et ad delectum eorum, quae vult ab eo scribantur.* Assistentia *est specialis directio, seu singulare Divini Spiritus auxilium, quo fit, ut Auctor sacer nihil umquam falsi scribere possit.* Jam vero nedum sententias, seu res verbis expressas fuisse a Deo Sacris Scriptoribus inspiratas, et dictatas, docuerunt Tostatus, Estius, aliique, sed et Lovanienses,

ac Duacenses oppositam sententiam notarunt, ut minus orthodoxam, dixeruntque: *Intoleranda prorsus, et grandis blasphemia est, si quis vel verbum asserat in Scripturis reperiri otiosum. Singula verba Sripturarum singula sunt Sacramenta; singuli sermones, syllabae, apices, puncta Divinis plena sunt sensibus; ait enim Christus Matth.* 5. *Iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege.* E contrario solam Dei assistentiam Sacris Scriptoribus adfuisse in iis, quae et eorum captui erant accommodata, et iis innotescebant, plures alii ex Theologis docuere; ac in iis tantum, quae cum impervia ipsis essent, aut ignota, nonnisi per Dei revelationem cognosci poterant, inspirationem, etiamque revelationem: stilum vero, verborum delectum, et scribendi ordinem in omnibus cujusvis Sacri Scriptoris indoli relictum fuisse; unde factum, quod cujusvis etiam indoli respondet. Quibus praemissis, media cum cordatioribus Theologis, praecipue ex Soc. Jesu, incedentes via, dicimus.

Prop. = Sola utique Spiritus S. assistentia Sacrarum Litterarum Scriptoribus tribuenda non est: at in rebus quidem supra humanum captum positis, ut in Mysteriis, prædictionibus rerum futurarum, ac legibus, quæ positivæ dicuntur, tribuenda iis est revelatio quoad res, et inspiratio quoad verba; in rebus vero juxta eorum captum, ipsisque notis, satius dictu videtur, has ipsis Deum non revelasse, sed earum scriptionem inspirasse; et verborum delectum, eorumque structuram, seu stilum uniuscujusque Sacri Scriptoris ingenio, et indoli reliquisse, ipso tantum assistente, ne vel minime errarent.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex illis Psalmistæ verbis: *Lingua mea calamus scribae* (*Ps.* 44.). Quod si Scriptores sacri in exarandis Sacris Litteris Scribæ assimilabantur, dicendum profecto est, ut Mazochius in hunc locum disserit, quod *sicut Scribae, seu Notarii, cum dicta aliorum excipiunt, nihil aliud de suo afferunt, quam exarandi diligentiam, sic quae Scriptores Divini, Divino Spiritu suggerente scripserunt, ad Numen illud, quo pleni erant, sunt referenda* (*Spicil. c.* 2.); idque solam assistentiam excedit: Ergo. 2.° ex illis Christi verbis Jo. 14., quod Spiritus Sanctus omnia Apostolos docuisset, ac omnia illis suggessisset: *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis*; idest, ut Canus exponit De locis Theol. l. 2. c. 18., *alias etiam*

oblita suggeret; *alia etiam vestris auribus audita suggeret*; *quae alias natura*, *sponteque sua in mentem venire poterant*, *ea quoque suggeret*; *non supernaturalia modo*, *sed et naturalia suggeret*, *et quae alias humano more scriberentur. Omnia*, *inquit*, *quaecumque dixi vobis.* Idem autem dictu est, quod omnia iis suggessisset, quodque omnes Scripturae particulae ex peculiari Spiritus Sancti instinctu, afflatuque, non vero eo tantum assistente fuerint scriptae: Ergo. . 3.° quia si solam Dei assistentiam in scribendo Sacri Scriptores habuissent, non esset quidquid scripserunt Dei verbum, tum quia ejusmodi assistentia nihil, ut consideranti fit perspicuum, in sententias influxisset, sed merum fuisset ex parte Dei praesidium, ne Scriptor errasset; tum quia Ecclesiae canones conditi quoque sunt Spiritu Sancto assistente, nec tamen sunt Dei verbum. Quidquid autem scripserunt est Dei verbum, ut fides docet, et quae initio hujus capitis adduximus, abunde ostendunt: Ergo.

Prob. 2. pars; quod nempe in iis, quae humanum captum supergrediuntur, sententiae revelandae erant, quia revelatio est *rei antea ignotae facta Divinitus declaratio*, *seu manifestatio.* Quae autem humanum captum supergrediuntur, hoc ipso a Sacris Scriptoribus ignorabantur; quibus proinde a Deo erant declaranda, seu manifestanda: Ergo. . Verba vero dicendum est, fuisse iis inspirata; quia ad exponenda quae proprium captum supergrediuntur, neque etiam naturalis loquendi facultas videtur sufficere, hoc ipso enim, quod res aliqua non est juxta captum, neque etiam est juxta loquelam; ex quo sequitur, a Deo hanc dirigi debuisse. Idem autem dictu est, quod in rebus supra humanum captum positis, opus fuit, quod Spiritus Sanctus manum Sacrorum Scriptorum dirigeret, quodque motione quadam, seu incitatione interiori ipsemet suggereret Sacris Scriptoribus delectum verborum, quibus uti deberent: Ergo.

Prob. 3. pars, 1.° enim ipsi Scriptores Sacri alia se via, quam per revelationem, nonnulla cognovisse, non semel indicant; ut cum Lucas initio Evangelii ex oculatis testibus asserit, se accepisse, quae scripsit: *Sicut tradiderunt nobis*, *qui ab initio ipsi viderunt*, *et ministri fuerunt sermonis.* Et D. Jo. dicens, c. 9, se scribere, quod propriis oculis vidit: *Et qui vidit*, *testimonium perhibuit.* Et ep. 1. c. 1. *Quod audivimus*, *quod vidimus oculis*

nostris, *quod perspeximus*; *et manus nostrae contrectaverunt*, *annuntiamus vobis*. 2.° quia revelatio, ut non semel diximus, est *rei antea ignotae facta Divinitus declaratio*, *seu manifestatio*. Implicat autem contradictionem, quod id, quod manifestum est, manifestatione egeat; ac proinde quod ipsas res juxta captum Sacrorum Scriptorum, ipsisque notas, opus fuerit, Deum illis declarare, seu manifestas facere: Ergo.

Prob. 4. pars; sententias enim, de quibus agimus, Deum, stricte loquendo, iis non revelasse, modo ostendimus; quas neque etiam ipso tantum assistente scriptas fuisse, ostendimus quoque in prima hujus prop. parte; maxime cum, hoc posito, non essent, ut vere sunt, Dei verbum. Si autem nec Deo revelante, nec ipso tantum assistente exaratæ fuere, quid dicendum superest, nisi quod earum scriptionem Deus illis inspiraverit, cum hæc sufficiat, ut vere sint Dei verbum? Sic nonne vere epistola Principis dicitur, quae per ejus Secretarium scripta fuerit, facta huic prius declaratione à Principe hoc, istud, atque illud scribendi; maxime si eam Princeps proprio sigillo obsignaverit? Hujusmodi autem sunt Sacrae Litterae, etsi tantum quoad sententias, de quibus agimus, fuerint inspiratae; maxime cum Deus eas quoque, velut proprio sigillo, obsignaverit et innumeris miraculis, et futurorum praedictione: Patet igitur propositum.

Prob. 5. pars; quod enim praedictarum modo rerum respectu tam verba, quam verborum structura, seu stilus uniuscujusque Sacri Scriptoris ingenio, seu indoli Deus reliquerit, probatur 1.° ex eo quod uniuscujusque Sacri Scriptoris ingenio, seu indoli respondet. Hinc Isaiae viri nobilis, et urbani sermo nobilis quoque est; et elegans. Ezechielis Sacerdotalis generis nec disertus, nec rusticus, sed ex utroque temperatus. De Amos ait D. Hier., quod cum fuerit Pastor, et Custos armenti in urbe Thecua, *artis suae usus est sermonibus*, *ut vocem Domini terribilem*, *atque metuendam rugitum leonum*, *et fremitum nominaret* (*In c.* 1. *Am.*). Utque idem S. D. observat de Scriptoribus Novi Testamenti, D. Lucas, quia graeci sermonis peritus, elegantius scribit, quam D. Marcus, et Joannes; quibus et alia hac super re addi possent. 2.° ex eo quod scribit Auctor l. 2. Mach. c. 2., non parum scilicet se laborasse, et insudasse in confectione suae historiae: cui addit c. ult., veniam se petere, si *minus*

digne scripserit (ut nempe exponit Duhamel, *stilo forte minus eleganti, et polito*), *et ut historiae competit*. Neutrum autem scribere potuisset, si nedum sententiae, ut nemini dubium esse potest, ipsi inspiratae fuissent, sed et verba, eorumque structura, seu stilus: Ergo.

Diximus porro *Deo tamen assistente, ne vel minime errarent*; nihil namque in sacris Libris, quod non sit verissimum, sive in dogmatibus, sive in historiis, sive in chronologia; quidquid enim in iis legitur, verbum Dei est. *Est autem Deus verax, et Deus veritatis, neque est quasi homo, ut mentiatur* (*Ad Rom*.3., *Ps*.30.; *Num*.25). Hinc D. Aug. ep. 32. ita de iis ait: *Didici iis hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo errasse aliquid, firmissime credam. Ac si aliquid in iis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse Codicem, vel Interpretem assecutum non esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam.*

Objic. 1.° quod nonnisi quod revelatum est, de fide esse potest. Quidquid autem in Scripturis continetur est de fide: Ergo et revelatum.

Sed resp. dist. maj.; quod nempe nonnisi quod revelatum est, de fide esse potest, si pro revelatione intelligatur Dei verbum, non vero si intelligatur revelatio stricte sumpta, rei scilicet antea ignotae facta Divinitus declaratio, seu manifestatio. Porro tam revelatio, quam inspiratio, qua Sacrae Litterae exaratae fuere, aeque efficit, ut quidquid continent, sit Dei verbum; quare et efficit, ut quidquid continent, sit de fide.

Objic. 2.° D. Chrysost., et D. Hier., quorum primus ita hom. 22. in Gen. *Nihil hic scriptum est, quod non multas sensuum divitias habeat, quandoquidem Divino Spiritu afflati Prophetae locuti sunt. Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in Sacris Litteris, in cujus profundo non sit grandis thesaurus.* Alter vero ita in c. 6. Matth., et in c. 3. ad Eph. *Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in Divinis Scripturis plena sunt sensibus.*

Sed resp., utrumque id scripsisse, 1.° quia interdum simplex apiculus habet revera in iis Divinam aliquam significationem, mysteriumque reconditum. Sic in ipso exordio Evangelii D. Jo. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, posito cum

Socinianis puncto post verba *et Deus erat*, ea, quæ sequuntur, verba alium inchoant sensum, et Verbo Divinitatem eripiunt. 2.° Quia de omnibus Scripturæ verbis vere dicitur, quod multas habent divitias, non materialiter quidem quoad sonum, et syllabas, sed formaliter quoad earum sensum sumptis.

CAPUT V.

De variis Sacrae Scripturae sensibus.

Sensum alicujus propositionis, proprie loquendo, esse genuinam, et simplicem ejus terminorum significationem, omnes norunt. Duplex tamen distinguitur 1.° apud TT. Sacrarum litterarum sensus, litteralis nempe, et mysticus. Litteralis est, *qui ab ipsis verbis significatur*. Cumque verba et proprie, et improprie, seu metaphorice sumi possint, hinc subdistinguitur in proprium quoque, et improprium, seu metaphoricum. Proprius est, quem initio definivimus; seu aliter *quem verba in communi, et grammaticali significatione praeseferunt*; ut cum dicitur Christus natus ex M.V., significatur, quod e castissimo ejus sinu absque ullo Maternæ Virginitatis detrimento in lucem prodiit. Improprius, seu metaphoricus, *quem verba, non quidem grammaticaliter, sed per similitudinem quamdam significant*; ut cum dicitur Christus sedere ad dexteram Patris, significatur, quod in æquali gloria cum eo est, utpote cum eo unus Deus. Quo etiam sensu dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, vitis, ostium, etc.; eodemque sensu ipse dixit Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, etc.*; eodemque etiam humana membra, et humanæ passiones passim Deo tribuuntur: ac generatim *quidquid in sermone Divino* (ait D. Aug. l. 3. de doctr. Christ. c. 10) *neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas*; quare improprie, seu metaphorice accipienda non raro esse Sacrarum Litterarum verba, innumeris earum exemplis declarari posset.

Sensus vero mysticus ille dicitur, *qui significatur, non per verba seu proprie, seu improprie accepta, sed per res ipsis verbis significatas*. Seu aliter, *quem res significata per sensum litteralem denotat*. Cumque etiam quia res per sensum litteralem significatæ interdum sunt

res Veteris Testamenti, quae præfigurabant aliquod in Novo Testamento futurum; interdum ad mores formandos ducunt; interdum denique referuntur ad Patriam Cœlestem, hinc subdistinguitur quoque sensus mysticus in allegoricum, tropologicum, et anagogicum. Allegoricus nempe dicitur *sensus mysticus praefigurans in Veteri Testamento aliquod in Novo Testamento futurum*; ut serpens æneus in Deserto exaltatus (Num. 2.) præfigurabat Christum in Cruce exaltandum, ipso teste apud Jo. c. 3. Quod Judæis præceptum fuerat, ne Agni Paschalis os aliquod confringerent (Ex. 12.), præfigurabat ex Jo. c. 19., quod Christi in Cruce mortui non forent crura confringenda. Legem quoque Deut. c. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, allegorice exponit Ap. 1. ad Cor. 9. de Ministris Ecclesiæ alendis. Quibus similia sexcenta etiam alia haberentur. Tropologicus dicitur *sensus mysticus ducens ad morum formationem*; ut circumcisio carnis, quæ apud Judæos in usu erat, significabat, teste Ap. ad Rom. 2., vitiorum, et cupiditatum resectionem. Anagogicus demum dicitur *sensus mysticus rationem habens ad Patriam Coelestem*; ut ingressus Pontificis in Sancta Sanctorum in lege veteri, significabat, teste eodem Ap. ad Heb. 9., introitum Christi in Cœlum. Immo, ut DD. advertunt, omnes hi sensus simul cum litterali tribuuntur in Scriptoris soli huic voci *Ierusalem*, quæ aliquando in iis significat *litteraliter* Palestinæ Urbem, aliquando etiam *allegorice* Ecclesiam militantem, *anagogice* Ecclesiam triumphantem, et *tropologice* animam hominis: omnesque simul his versibus ab iisdem comprehenduntur:

Littera gesta docet; quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Prætermittendum autem non est, quod hæc sensus Sacrarum Litterarum partitio ex ipsis Sacris Litteris colligitur, 1.° enim hos duos sensus significari per *librum foris, et intus scriptum*, de quo Ezech. c. 2., et Apoc. c. 5., docet D. Hier. *in c. 2. Ezech.*; 2.° expresse Apostolus testatur ep. 1. ad Cor. c. 10., quod Judæis *omnia in figura contingebant*, eaque *ad correptionem nostram*. Quid autem his Apostoli verbis significatur, nisi quod præter sensum litteralem, quem nobis exibet tot, tantorumque eventuum narratio, alius quoque sensus latet in ipsis eventibus aliquid nos docens? Cum ergo hic sit sensus mysticus, *qui scilicet significatur per res ipsis verbis expres-*

sas, en proinde in Scripturis, teste Apostolo, sensus litteralis, et mysticus. 3.° idem quoque non obscure indicat Apostolorum Princeps ep. 1. c. 1. dicens de Veteris Testamenti Scriptoribus, quod inter Judæos quidem vitam agebant, sed nobis potius, quam Judæis scripsere: *Quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quae nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis.* Quisnam autem ex his D. Petri verbis magis magisque non videt, præter sensum litteralem, alium quoque spiritalem, seu mysticum, persæpe in eorum verbis latere?

Prætermittendum quoque non est, quod præter sensum litteralem, et mysticum, non raro etiam Sacris Litteris tribuitur sensus, quem Sacer Scriptor nec quidem secundario intendit, et tamen ad rem aliquam applicant Scriptores Ecclesiastici; quare appellatur *accomodatitius.* Sic de quovis Confessore, et Pontifice canit Ecclesia: *Inventus est justus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio*; quod de Abraham dixit Ecclesiasticus c. 44., nullum profecto alium illis verbis indicare volens. Ecclesiæ tamen exemplo nonnisi ad pios, ac religiosos usus usurpari potest, graviter namque prohibuit Trid. Sess. 4., *ne quisquam quomodolibet verba Scripturae Sacrae ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos famosos, et simulia audeat usurpare*; jussitque, ut *omnes hujus generis homines, temeratores, et violatores verbi Dei, juris, et arbitrii poenis per Episcopos puniantur.* Quibus præmissis, sit

Prop. 1. A litterali Scripturarum sensu, et quidem proprio, seu quem verba in communi, et grammaticali significatione præseferunt, numquam recedendum est, nisi evidens cogat ratio.

Prob. Si enim relicto naturali verborum sensu, ad tropos, et metaphoras earum verba liceret convertere, 1.° quidem Scripturæ exaratæ fuissent, non ad docendum, sed ad decipiendum. 2.° quidquid in iis diceretur, vel præciperetur, semper responderi posset, metaphorice id asseri, et præcipi. Primum autem blasphemum dictu; alterum omnia fidei dogmata, morumque præcepta pessumdaret: Ergo. Apposite idcirco Salmeronus t. 1. proleg. IX. c. 33. *A verbis Sacrae Scripturae secundum rationem Grammatices, et a propria vocum significatione minime recedendum est, nisi valida aliqua ratio occurrat, quae*

ad figuratam aliquam locutionem cogat. Alias enim tota Scriptura Sacra periret, et sensus ejus litteralis; haberetque tantum vanas allegorias, et importunas intelligentias, quas quisque pro suo arbitrio, et voluntate illi affingeret; et sic semper Scriptura diceret quod nos volumus, non quod Spiritus Sanctus intelligere nos vellet. Subscribunt quoque omnes, ac singuli DD.: cumque hac in re peccaverit aliquando Origenes, adversus eum Conc. V. Generale, Constantinopoli secundo habitum, decies ea de causa anathema pronunciavit.

Prop. II. In una, eademque dictione multiplex in Scripturis esse potest sensus litteralis.

Prob. ipsarum Scripturarum exemplis; Genesis enim 1. illis verbis, *In principio creavit Deus Coelum, et Terram*, litteraliter significatur, tum quod Deus omnia creavit, tum quod nihil ante Coelum, et Terram creaverit. Item illa Davidis verba Ps. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, et de æterna Christi generatione intelliguntur ab Ap. ad heb. 1., ubi: *Cui dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*; et de Resurrectione Christi Act. 13., ubi: *Hanc promissionem Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Iesum, sicut et in Ps. 2. scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sic etiam quod ait Caiphas apud Jo. c. 11.: *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat*, duplicem quoque litteralem sensum complectebatur: et eum nempe, quem immediate intendebat Caiphas, existimans ex humanæ Politicæ regulis, quod Christi morte Judæorum Gens e temporali ruina eriperetur; et eum, quem præcipue intendebat Spiritus Sanctus, quod nempe Christus sua morte totum humanum genus e morte æterna erepturus esset. Hinc pergit Evangelista: *Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Sic etiam quod de populo Judaico legitur Osee 7. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, de Christo dictum refert D. *Matth. c. 2.*: Patet igitur, in una, eademque dictione plures in Scripturis esse posse sensus litterales. Nec mirum; quod per eamdem litteram possit Deus multa significare, pertinet namque ad ejus verbi fœcunditatem, ut multa significet.

Prop. III. Ex solo sensu litterali firma depromi pos-

sunt argumenta ad fidei dogmata probanda ; non vero ex sensu Mystico, nisi quatenus illum a Spiritu Sancto intentum fuisse, aliunde constet; ac multo minus ex sensu accommodatitio.

Prob. ; verba enim Scripturae ad alios sensus, quamvis pios, et cum veritate minime pugnantes, detorta, non sunt sub illo respectu, quoad sensum nempe, qui illis tribuitur, verba Dei, sed verba hominis, cum, ut supponitur, Deus per ea non dixerit, quod ipsis affingitur. Nonnisi autem verbum Dei per Ecclesiam manifestatum fidei dogmata constituit : Neque igitur, nisi ex solo sensu litterali, firma depromi possunt argumenta ad fidei dogmata probanda. Diximus vero *nisi quatenus illum a Spiritu Sancto intentum fuisse, aliunde constet*, ut in exemplis supra allatis ex Exod., Num., etc. ; tunc enim sensus est simul mysticus, et litteralis, ut considerauti fit perspicuum. Qua super re operae pretium est advertere, quod aliquando sensus mysticus, nedum verus, et intentus a Spiritu Sancto dicendus est, sed verus etiam, et intentus potius, quam litteralis. Sic cit. Ex. loco voluit quidem Deus et Agni Paschalis ossa non comminui, et Christi Domini in Cruce pendentis ossa non frangi ; sed hoc, licet remotius, praecipua tamen quadam ratione volebat. Quo proinde in loco sensus litteralis prior est, et quasi fundamentum ; sed spiritalis, seu mysticus est ipso potior. Tandem ex sensu accommodatitio multo minus diximus depromi posse argumenta ad fidei dogmata probanda, quippe quod Spiritus S. nec primario, nec secundario illum intendit.

C A P U T. VI.

De Scriptoribus librorum utriusque Testamenti; *aliisque de his magis scitu utilibus.*

Primi, ut omnes norunt, Sacrarum Litterarum libri sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, et Deuteronomium, sub uno volumine comprehensi, quod proinde *Pentateuchus* nuncupatur. *Genesis*, idem sonans, ac *generatio*, *ortus*, historiam ab ortu Mundi usque ad Josephi mortem refert. *Exodus* idem sonans, ac *exitus*, a morte Josephi ad erectum Tabernaculum extenditur, ac duram Israelitarum servitutem, miram illorum per Moy-

sen liberationem, et primam Legis promulgationem narrat. *Leviticus* sic dictus fuit, quia de coeremoniis, ritibus, victimis, caeterisque ad functiones Leviticas pertinentibus agit. *In libro Numerorum* Moyses, et Aaron populum recensent, ex quo Numerorum nomine signatus fuit; ac in eo habentur Judaeorum gesta in deserto per 39. annos, et 42. in eo Jsraelitarum mansiones. Per *Deuteronomium* denique significatur secunda lex, non quod alia data Judaeis fuerit ab ea, quae in Monte Sinai data fuerat, sed quod denuo repetita fuit a Moyse in gratiam eorum, qui primam in deserto promulgationem non audiverant.

Porro horum omnium librorum Scriptorem fuisse Moysen, ultimum cap. Deut. si excipias, ubi magni illius Legislatoris mors narratur; ac forte etiam nomen subinde datum aliquibus Civitatibus, quod Josue, vel Eleazarum, vel Esdram Pentateucho inseruisse, Eruditi docent, ut scilicet a populo melius Libri Sacri intelligerentur, certum est contra Hobbesium, Spinozam, atque his adhaerentes. Idque invictissime probatur 1.° ex verbis Ex. 34. Dixitque Dominus ad Moysen: *Scribe tibi verba haec, quibus et tecum, et cum Jsrael pepigi foedus.* Moysem autem ea omnia litteris consignasse, expresse habetur c. 31. Deut., ubi: *Scripsit itaque Moyses legem hanc.* Et c. 34. *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini.* Et l. 2. Paral. c. 34. dicitur: *Reperit Helcias Sacerdos librum legis Domini per manum Moysis.* 2.° ex c. 5. Jo., ubi Christus Judaeos arguens, ait: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* Nihil autem in mente, et existimatione Judaeorum scripserat Moyses praeter Pentateuchum; iisque alludebat Christus, quae ibi leguntur de Messia Gen. c. 3. v. 15., c. 22. v. 18., et c. 49. v. 10.; nec non Deut. c. 18. v. 15. 3.° tum ex Traditione penes Judaeos, quae Pentateuchum, ut Jueninus scribit, *suis posteris transmisit, tamquam genuinum Moysis foetum*; tum ex ipsorum Ethnicorum consensu.

Objic. 1.° quod legitur initio Deut: *Haec sunt verba, quae locutus est Moyses trans Iordanem.* Moyses autem, Magnus Judaeorum Legislator, numquam fuit trans Jordanem: Alius ergo Moyses eorum Scriptor.

R. neg. cons., tum quia vox, quam Latinus Interpres vertit *trans*, aliquando apud hebraeos *ulteriora*, ali-

quando *citeriora* significat, ut advertunt Pagninus, Buxtorfius, aliique hebraicae linguae periti: tum quia recte dici potest, regionem illam campestrem, in qua Moyses locutus est, trans Jordanem fuisse Terrae Sanctae, cum respectu ad hanc soleant Scriptores Sacri locorum situs designare.

Objic 2.°, quod Auctor Pentateuchi loquitur de Moyse, tamquam de aliena persona, ejusque etiam laudes celebrat Num. 12., et Deut. 36. Alius igitur.

R, neg. cons.; ut enim D. Greg. M. advertit. Praef. in Job. c. 1. *Moris Scripturae Sacrae est, ut ipsi, qui scribunt, sic de se in illa, quasi de aliis loquantur. Hinc est enim, quod Moyses ait: Erat Moyses mitissimus super omnes homines, qui morabantur in Terra. Hinc Ioannes dicit: Discipulus ille, quem diligebat Jesus. Hinc Lucas ait, quod ambularent duo ex discipulis in via, Cheophas, et alius. Quem profecto alium, dum tam studiose tacuit, nisi seipsum fuisse, monstravit?* Immo idem in profanis Scriptoribus, Caesare praesertim, ac Tullio, passim in usu fuisse, deprehendi potest.

Liber Iosue hujus Judaeorum Ducis post Moysen gesta continet, ingressum populi in terram promissionis, ac hujus divisionem per Tribus, et familias. Ipsius vero Josue fœtum fuisse, ac tantum ejus mortis narrationem, quae ultimo habetur, fuisse aliena manu additam, patet tum ex c. ult. ejusdem libri, ubi legitur: *Scripsit quoque Josue omnia verba haec in volumine legis Domini*; tum ex c. 46. Eccli., ubi dicitur Josue Moysis successor *in Prophetis*, vel in *Prophetiis*. Hinc scribit Gravesonius, quod de hoc *nemo*, *nisi intemperantioris Critices*, *dubitare potest.*

Sequitur *liber Iudicum*, historiam nempe continens eorum, qui post mortem Josue populum Jsraeliticum gubernarunt, et Judices dicti sunt: fueruntque Othoniel, Aod, Debora, Gedeon, Abimelech, Thola, Jair, Jephte, Abelan, Ahialon, Abdon, Samson, Heli, et Samuel, qui postulantibus Hebraeis Saulem in eorum Regem inunxit. Ejus Scriptorem, verisimilior sententia docet, fuisse Samuelem, ne scilicet Judicum, quorum postremus fuit, historiam oblivione extingui, pateretur. Idemque censetur Auctor libri Ruth, qui tamquam pars, ac veluti appendix libri Judicum habetur. Dicitur vero liber Ruth, quia

unicam Ruth historiam continet, quae cum Booz, in cujus agro spicas colligebat, iniit conjugium, eique peperit Obed Davidis Avum.

Hinc sequuntur *quatuor libri Regum*, ita dicti, quia Regum Juda, et Israel facta recensent; quorumque Auctor, licet certo assignari nequeat, tamen 24 priorum primi libri capitum auctor vulgo creditur Samuel, cujus mors describitur c. 25; reliquum vero libri primi, et secundus integer Nathan, et Gad Prophetis tribuuntur ob verba illa l. 1. Paral. c. 29. *Gesta autem David Regis priora, et novissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis, et in libro Nathan Prophetae, atque in volumine Gad videntis.*

Succedunt *libri duo Paralipomenon*, quod latine redditur *Praetermissa*; atque ita appellati fuere, quia in aliis Scripturae libris praetermissa ab Adami creatione usque ad Babylonicae captivitatis solutionem per Cyrum compendiose referunt. In ipsis omnem eruditionem Scripturarum contineri, scribit D. Hier. *ep. ad Domnionem*, et in *Prologo Galeato*; utque addit *ep. ad Paulinum c.* 7., sine illis Scripturae scientia haberi non potest. Eorum vero Auctor, licet controversus, communius tamen creditur Esdras, sive eos ex integro composuerit, sive ex iis, quae litteris mandata fuerant, illos collegerit.

Subsequuntur *duo libri Esdrae*, quorum primus continet historiam populi post reditum e captivitate Babylonica in patriam; ejusque auctor unanimi fere omnium consensu censetur ipse Esdras. Posterior vero dicitur quoque Esdrae, quia res conjunctas cum praecedentibus enarrat; auctorem tamen habuit Nehemiam, qui semper in prima persona loquitur in hoc libro, et cujus titulum praefert, sic enim incipit: *Verba Nehemiae.* Ita saltem communius; putantibus aliis, quod Nehemias accuratas regiminis sui ephemerides reliquerit, atque ex iis hic secundus liber fuerit consarcinatus.

Sequitur *Tobiae liber*, sic nuncupatus, quia utriusque Tobiae, patris scilicet, et filii, gesta continet; pietatis in Deum, charitatis in proximum, tolerantiae in adversis exemplis plenus; omnesque edocens, quantis haec muneribus a Deo compensentur. Ejus Auctor creditur uterque Tobias; praeceperat enim illis Angelus, ut quae facta fuerant, litteris consignarent; illis nempe verbis c. 12. *Narrate omnia mirabilia ejus*; seu; ut hebraicus, et

graecus textus legunt : *Scribite omnia , quae evenerunt , in libro* : idque proculdubio fecisse , dicendum est. Ac praecise usque ad cap. 12. inclusive creditur libri Auctor Tobias senior : deinde vero junior , ita enim hebraicus , graecusque textus c. 13. auspicatur : *Et scripsit Tobis* (ad differentiam Tobiae senioris , qui semper dicitur Tobias) *orationem cum gaudio*. Adjectis demum aliena manu ultimis duobus versiculis, in quibus mors junioris Tobiae refertur.

Sequitur *liber Iudith* , cujus lectio ostendit , Deum infirma Mundi quandoque eligere , ut fortia quæque confundat. Lis quoad eum adhuc est inter Eruditos , an historia , quæ in eo narratur , contigerit ante , vel post captivitatem Babylonicam. Censent non pauci , quod postea , ex c. 5., ubi dicitur de Judæis, quod *ante hos annos, cum recessissent a via , quam dederat illis Deus , ut ambularent in ea , exterminati sunt praeliis a multis nationibus , et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione , qua dispersi fuerant , adunati sunt , et ascenderunt montana haec omnia , et iterum possident Ierusalem , ubi sunt Sancta eorum.* Hæc autem omnia nonnisi post captivitatem Babylonicam locum habent. Cui accedit , quod , ut constat ex eodem libro , omnia ad Sacerdotis nutum , et imperium tunc fiebant apud Judæos , nulla habita Regiæ auctoritatis mentione. Tempus autem , in quo non Reges , sed Sacerdotes imperarunt , non fuit pariter , nisi post Babylonicam captivitatem. Hinc huic sententiæ adhaesit D. Aug. *l.* 18. *De Civ. Dei c.* 26. ; eamque sequitur prae caeteris Nat. Alex. *Hist. Eccl. t.* 5. . .

Bellarminus tamen, et quidem probabilius, adhæret sententiæ, quod ante Babylonicam captivitatem contigerit : 1.° enim dicitur Nabuchodonosor, de quo loquitur liber Judith, *Rex Assyriorum (Judith. c.* 1.), ideoque Babylonis , teste enim Strabone , Assyriae nomen comprehendebat Babylonem , et maximam circumjacentium Regionum partem. Nusquam autem legimus , Reges Persarum , sub quibus post Babylonicam captivitatem fuit Babylon , appellatos Nabuchodonosor nec in Sacra , nec in profana historia. 2.° quia Nabuchodonosor ille , ut ibidem dicitur , *regnabat in Ninive*. Porro post Babylonicam captivitatem Ninive non extabat ; everterat enim illam Urbem Nabuchodonosor Rex Chaldæorum primo anno Regni sui , ut Genebrardus scri-

bit *in Chronico*; vel, ut volunt Herodotus *l.* 1., et Eusebius *in Chronico*, Ciaxeres Rex Medorum. Cui accedit et quod Nahum, qui prophetavit tempore Ezechiæ, aperte prædixerat; eversionem Ninive brevi futuram fuisse: et quod Reges Persarum numquam regnarunt in Ninive, sed in Susis, aut Babylone, ut ex libro Daniel., ex libro Esther, et ex profanis omnibus historicis. 3.° quia, ut dicitur c. 4., filii Israel paraverunt se ad pugnam contra Nabuchodonosor. At post captivitatem Babylonicam nullatenus poterant resistere ullis Regibus, et maxime Regibus Persarum, quibus adeo subjiciebantur, ut ad eorum nutum vel inciperent, vel desisterent Templum reædificare, ut ex 1., et 2. Esdræ liquet. 4.° quia, ut habetur ex c. 5., Holofernes interrogavit Judith, quis esset populus, qui habitabat in Judaea, quæ ejus potentia, quis Rex, quæ multitudo? Rex autem Persarum, et Principes ejus nihil profecto horum ignorare poterant, cum paullo ante Judæos a se dimisissent. Ita ergo probabilius Bellarm. *l.* 1. *De Verbo Dei* c. 12. Nec facessit quod 1.° loco allatum est; cum enim in captivitate Babylonica, non quidem plurimi Judæorum, sed totus populus illuc captivus abductus fuerit, hinc oppositæ sententiæ adversatur potius, quam favet. Et neque etiam alterum: refertur enim historia Iudith ab iis, qui eam fuisse asserunt ante captivitatem Babylonicam, ad tempora Manassis Regis Juda; quo tempore regnabant Assyriorum Reges in Ninive, ut constat ex l. 4. Reg. c. 19., et l. Tob. c. 1.; et extabant tum Hierosolyma, tum Templum Domini, quorum meminit historia Judith c. 4., et bene intelligitur tempus illud longissimae pacis, quod fuit toto tempore vitae Judith, et deinceps multis annis: cum enim Manasses prius sceleratissimus fuerit, ac propterea Deo permittente victus fuerit a Rege Babylonis, qui ipsum vinctum in Babylonem abduxit, deinde tamen peccatum suum agnovit, et in patriam remissus tranquillissime vixit, ut habetur l. 2. Paral. c. 33. Fortasse autem bellum, de quo agitur in l. Judith, incidit in ipsam captivitatem Manassis; quare cum Rex esset absens, Regni negotia per Pontificem procurabantur. Fortasse etiam non fit Regis mentio, quia bellum non accessit ad ipsam Urbem Jerusalem, ubi Rex erat. Quinam vero fuerit libri Auctor, omnino est incertum.

Sequitur *liber Esther*, ex cujus lectione, dum Judaeorum liberationem per Estherem factam admiramur, mone-

mur simul, quod omnes bonae conscientiae testimonium habentes spem in Deo, ac fiduciam collocare debent, quod eos a malis imminentibus eripiat, quaevis licet pericula urgeant, eosque obvolvere, ac destruere minentur. Quo tamen tempore ejus historia contigerit, incertum est; ambigitur enim, quis ille fuerit Assuerus Estherae Maritus, quem alii dicunt Darium, alii Artaxersem Ochum, nonnulli Artaxersem Longimanum. Sicut etiam incertum est, quis fuerit illius Auctor; Serarius enim, Calmetus, alii que Mardochaeo, et Estheri ipsi illam tribuunt; sed nonnisi levibus conjecturis nituntur.

Sequitur *liber Iob*, cujus Auctor incertus quoque est apud Eruditos: communius tamen Moysi tribuitur, qui in solatium gentis suae illum in Deserto scripserit. Ita præ aliis D. Hier., quem recentiores bene multi sequuntur; inter quos Huetius, qui praecipue id colligit ex manifesta stili, et characteris similitudine. Veram tamen esse, non fabulam, Jobi historiam, adversus Lutherum, aliosqne haereticos tenet Ecclesia; 1.º quia de Job, ut de vero homine, qui extiterit, loquitur Scriptura, recensens ejus nomen, Terram, quam habitabat, liberos, eorumque numerum, ac demum ejus possessiones, et amicos. Haec autem fabulam non redolent. Quibus accedit illud Ezech. 14. *Etsi fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, et Iob.* Quis autem vocare in dubium potest Danielem, et Noe veros homines fuisse? 2.º quia, ut pietatis simul, et patientiae exemplar in Scripturis commendatur; ut Tob. c. 2. v. 12., ubi: *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiae ejus, sicut et Sancti Iob.* Et v. 15. *Nam sicut B. Iob insultabant reges* &c. Et iu ep. Jac. c. 5. *Sufferentiam Iob. audistis &c.* Si autem numquam extitisset, ac mera ejus historia esset fabula, ubinam ejusmodi exemplar? 3.º ex consensu Ecclesiae, tam Latinae, quae B. Jobi memoriam colit die 20. Maji, quam Graecae, quae illius memoriam colit die 6. ejusdem. 4.º ex consensu PP., a quibus omnibus laudibus extollitur. ap. Nat. Alex. *t. 1. hist. Diss* 13. Sunt caeterum in hoc libro multa figurate scripta, ut commune est apud DD.

Sequitur liber Psalmorum, qui cum pulsato psalterio decantarentur, ita proinde appellabantur: opus mire elegans, piis excitandis affectibus valde efficax, praedictionesque non paucas complectens ad Christum, et Ecclesiam

pertinentes. Psalmorum omnium Davidem Auctorem fuisse, putavit Theodoretus *Praef. in Ps.*; immo et Chrysost. *in Ps.* 1.; Ambros. *praef. in eumd.*, et Aug. *De Civ. Dei l.* 14. : At D. Hieron. prae aliis in ep. ad Cyprian., *errare* (docet) *eos*, *qui omnes Psalmos David arbitrantur*, *et non eorum*, *quorum nominibus inscripti sunt*. Et in ep. ad Sophron. : *Psalmos omnes eorum testamur Auctorum*, *qui ponuntur in titulis*, *David scilicet*, *Asaph*, *Idithun*, *Filiorum Core*, *Eman Ezraithae*, *Moysis*, *Solomonis*, *et reliquorum*, *quos Esdras primo volumine comprehendit*: Huic autem sententiae adhaeret prae aliis ex recentioribus Huetius, invictis probans argumentis, Psalmos, non tantum a Davide, sed et ab aliis, diversisque temporibus exaratos fuisse; eorumque numerum determinasse Esdram, sepositis quibusvis aliis praeter illos 150, quos in Canone habemus. Sub Davidis autem nomine commendantur in variis Scripturae locis, non quod omnes ab uno Davide fuerint compositi, siquidem nonnulli manifeste sunt ipso posteriores, ut iste: *Super flumina Babylonis illic sedimus*, *et flevimus*, *cum recordaremur tui*, *Sion*, qui profecto post captivitatem Babylonicam fuit decantatus, sed quia maxima eorum pars est Davidis.

Quoad libros Sapientiales, ita nuncupatos, quia veram, Sanctorum nempe, sapientiam docent, suntque liber Proverbiorum, Ecclesiastes, Cantici Canticorum, Sapientiae, et Ecclesiastici, certum, et commune est, trium priorum auctorem fuisse Salomonem: quoad 1.m namque, illius se auctorem profitetur Salomon in fronte operis his verbis: *Parabolae Salomonis*, *filii David*, *Regis Israel*. Cui accedit, quod dicitur l. 3. Reg. c. 4. Salomon tria millia parabolarum scripsisse. Quoad 2.m, id quoque satis innuit ipsum Ecclesiastes initium: *Verba Ecclesiastae*, *filii David*, *Regis Ierusalem*. Cui etiam accedit et quod Auctor non semel suae Sapientiae plenitudinem commendat, ut in ipso c. 1. illis verbis: *Praecessi omnes sapientia*, *qui fuerunt ante me in Ierusalem*; et quod c. 12. multas se parabolas composuisse, testatur, dicens: *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes*, *docuit populum*, *et investigans composuit parabolas multas*. Utrumque autem uni Salomoni convenire potest. Quoad 3.m ita indicat ipse titulus, qui Salomonem Auctorem prodit tam in exemplari Hebraico, quam in versione 70

Interpretum, ita nempe se habens: *Canticum Canticorum Salomonis*. Cui accedit Sponsae, quam alloquitur, nomen, quae a Salomone *Sulamitis* dicitur. De hujus vero libri dignitate scribit prae aliis Tournelius, quod *spirituale est epithalamium unionis Ecclesiae cum Christo, B. Virginis cum Deo, animae justae cum Spiritu Sancto*. Auctorem tamen libri Sapientiae Salomonem fuisse, negant prae aliis D. Hier. *in Prologo Galeato*, et D. Aug. *l.* 19. *De Civ. Dei c.* 20. At ipsius quoque fuisse foetum, docent non improbabiliter alii, atque ex recentioribus Huetius: 1.° ob verba, quae c. 9. leguntur: *Tum me elegisti Regem populo tuo, et Iudicem filiorum tuorum, et filiarum; et dixisti me aedificare Templum in Monte Sancto tuo*. 2.° quia in textu et Graeco, et Syriaco, et Arabico titulum Salomonis praesefert. 3.° quia, ut scribit Euseb. l.4. hist. c. 22., *et Irenaeus, et omnis antiquorum chorus librum, qui adtitulatur Sapientia, Salomonis* esse dixerunt. 4.° ex Concilio Carthag. III., et Innoc. I., qui illum Salomoni quoque tribuerunt. Illud denique extra dubium est, quod ipsi tribuendus non est liber Ecclesiastici, quem scripsisse Jesum filium Sirach, patet ex c. 50. ejusdem, in quo aperte legitur: *Doctrinam Sapientiae, et disciplinae scripsit in codice isto Iesus filius Sirach*.

Libros Sapientiales excipiunt libri Prophetarum, de quibus extra controversiam est, quod eorumdem sint foetus; ultimo Jer. capite excepto, quod profecto Divinum quoque est, sed incerti Auctoris. Ex iis autem quatuor dicuntur majores, Isaias nempe, Jeremias, Ezechiel, et Daniel, et caeteri minores, quia alii plura, alii pauciora praenuntiarunt; non vero (quod nefas dictu), quia alii majorem, alii minorem auctoritatem habeant. Primus itaque ex majoribus est *Isaias*, qui sub Ozia, Joathan, Achaz, et Ezechia Regibus Juda prophetavit ad initium usque Regis Manassis. Ex stirpe et ipse Regum Juda ortus martyrium sub Manasse subiit; ejus enim jussu sectum fuisse, Judaeorum traditio est, veterum quoque Patrum auctoritate confirmata; ac de Isaia illud ep. ad Hebr. 11. interpretantur, ubi Ap. de Sanctorum persecutionibus verba faciens, *alii* (inquit) *secti sunt*, pluralem numerum adhibens pro singulari, more in Scripturis usitato. Christi autem Incarnationem, Nativitatem, Praedicationem, Passionem, Mortem tam dilucide praenuntiavit, ut Propheta Evangelicus a Sanctis Patribus merito appelletur.

Sequitur *Ieremias* e Tribu Sacerdotali, Helciae nempe Sacerdotis filius, et in ipso utero Matris suae a Deo sanctificatus. Vaticinari cœpit adhuc puer, ac spatio annorum 45. vaticinatus fuit sub Regibus Joachim, Jeconia, et Sedecia. Capta vero Jerosolyma, cujus excidium multo jam ante praenuntiaverat, Babylonem non petiit, sed in Ægyptum exulavit, ibique mansit quatuor annis, peccata populi sui increpans; donec lapidibus obrutus a popularibus, ejus increpationes ferre nolentibus, supremum ibi diem obiit. Hujus quoque Prophetae Threnos, seu lamentationes esse, quibus Urbis, populique vastationem, et desolationem deflevit; quemadmodum et epistolam ad populum captivum directam, et in calce libri Baruch allatam, nemo denegat, et aperte constat ex cap. 25., 29., et 55. ejusdem Jeremiae. Eum vero proxime excipit Baruch, quia ejus Scriba, ac veluti appendix, et supplementum. Quod tamen libri Baruch auctor fuerit Baruch ipse, liquidum est ex verbis in fronte praefixis: *Et haec verba libri, quae scripsit Baruch filius Neriae*.

Sequitur *Ezechiel*, vir quoque de genere Sacerdotali, et Jeremiæ coaevus; sed cum Jeconia Rege in captivitatem deportatus, ubi anno captivitatis quinto prophetare cœpit. Plura praenuntiavit de Christo, de Ecclesia, de populo Judaico, ac cœteris: ejus tamen sermo, quia obscuritatibus involutus, oceanus est, ut scribit D. Hier. *ep. ad Paulin.*, et Mysteriorum Dei labyrinthus; ob quod forte dicitur c. 24. Judaico populo datus *in portentum*. Tandem ab Iudice populi interfectus fertur, quia liberius populi Idololatriam increparet.

Tandem *Daniel*, majorum Prophetarum postremus; translatus et ipse fuit Babylonem cum Ieconia Rege adhuc adolescens. Ille Tribu Iuda, et quidem e stirpe Regia oriundus, tempus praesertim adventus Messiae non semel designavit, ac si digito praemonstrasset, ut ubi de Incarnatione videbimus. Commendatur ejus Sanctitas cap. 14. Ezech.; et ab ipsa Ecclesia colitur ejus memoria in Rom. Martyrologio die 21. Julii.

Sequuntur deinde 12. Prophetae minores, quorum elogium Iesus filius Sirach reliquit Eccli. c. 49 *Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo; nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis*. Post quos demum finem Veteri Testamento imponunt duo Machabaeorum libri, quorum primi auctor creditur Ioannes Hircanus; secundi Iudas Essaeus.

Quoad Novum Testamentum vero, quod ejus libri illorum foetus sint, quorum nomina praeseferunt, nemini dubium umquam fuit. Actus tantum Apostolorum sub nullius nomine inveniuntur: a tota tamen antiquitate eorum auctor creditur D. Lucas Evangelista. Quidquid autem de Christo, ejusque gestis quatuor priores scripsere, Evangelium nuncupatum fuit; Evangelium namque bonum nuntium significat; ac merito hoc nomine insignita fuit Christi historia, per quem hominibus salus reddita est. In conscribendis Apostolorum Actibus id consilii potissimum D. Lucas habuisse creditur, ut confictis aliorum fraude Apostolicis Actibus veram, et genuinam ab Apostolis, Petro, et Paulo praesertim, rerum gestarum historiam opponeret. Epistolis D. Pauli haereses pene omnes, quae subinde emerserunt, proscriptas, et profligatas esse; virtutes item, quas sequi, vitia, quae oportet fugere, ac caetera pietatis Christianae officia in iis declarari, concors est DD. sententia, ut merito idcirco, tamquam prima in Evangelium Commentaria, habeantur. Idem, qui D. Pauli, fuit quoque D. Iacobi scopus in scribenda epistola, quae D. Pauli epistolis succedit; ut quaedam nempe fidei, et morum praecepta omnibus traderet, tum adversus haereses, quae incipiebant emergere, tum adversus corruptionem morum, quae futuris temporibus imminebat. Ambarum epistolarum, quas D. Petrus scripsit, argumentum partim est dogmaticum, admirandum scilicet Dei consilium in Mysterio Incarnationis, ac beneficium Redemptionis, atque haereditatem Regni Cœlestis, ad quam vocati sunt fideles, commendans; ubi etiam, ac praecise in secunda, de Christi transfiguratione, tamquam testis oculatus, loquitur: partim est paraeneticum, et exhortatorium, cum universim ad omne virtutum genus cunctos fideles hortetur, et accendat. Argumentum 1: ep. D. Ioannis est tum Divinitatis Christi contra Ebionis, et Cerinthi haereses, quae nuper emerserant, tum humanitatis ejusdem contra Basilidem assertio; astruens simul, et inculcans mandatorum Dei observationem, et bonorum operum, charitatis in primis erga proximum, necessitatem contra Simonem Magum, et alios, qui postea extiterunt, haereticos, qui solam fidem ad salutem esse necessariam, ventitabant. In 2.ª epistola rursum omnes ad caritatem erga proximum hortatur, et ad haereticorum fugam, quibus nec *Ave*, docet, dicendum esse. Ac demum in 3.ª Gajum quemdam propter

hospitalitatem laudat. In sua D. Judas epistola in fidelium memoriam revocat, quae Princeps Apostolorum de haereticis tum illorum temporum, tum qui extremis temporibus venturi essent, admonuerat. Apocalypsis demum, seu revelatio, unicus e libris Novi Testamenti Propheticus, fœtus quoque fuit praeter Evangelium, et supra laudatas epistolas D. Jo. Apostoli, ut aperte colligitur ex initio ipsius libri: *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis quae oportet fieri citò, et significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Deo, et testimonium Jesu Christi quaecumque vidit.* Adeo autem mira, et arcana continet Mysteria, ut recte scripserit Tournelius, quod certam eorum enucleationem tribuere ille solus potest, qui ea revelavit. Praeiverat D. Hier., inquiens in ep: ad Paulinum, quod *Apocalypsis Joannis tot habet Sacramenta, quot verba. In verbis singulis multiplices latent intelligentiae.* Ejus sermo passim est allegoricus, et figuratus, more Prophetarum; atque, ut scribit D.Aug. l. 20. De Civ. Dei c. 8., *totum hoc tempus complectitur, quod a primo adventu Christi usque in saeculi finem, quo erit secundus adventus, excurrit*: ex quo sequitur, quod cum a primo adventu 18. jam saecula effluxerint, fieri non potest, quin Prophetiae hoc libro comprehensae magna ex parte impletae non fuerint. Caetera apud Interpretes, cum non sint de Institutionum Theologicarum ratione.

Coronidis tamen loco ad ea, quæ hactenus de Sacrâ Scriptura protulimus, duo adjicienda sunt, ut Juvenes Theologiæ operam dantes sciant saltem generatim errores, quibus *portae inferi* hoc sæculo Ecclesiae Dei bellum indixere.

Et 1.° cum Londini in Anglia innotuerit anno 1804., totam fere Valliam esse destitutam Bibliis, ac neque in cæteris Angliæ Provinciis suppetere tot, quæ satis erant, exemplaria, cum omne etiam vulgus soleat Biblia ibi legere; statim quidam Londini coiverunt, et Societatem inter se fecerunt ad edenda typis Biblia, quæ ideo appellata etiam est *Societas Biblica.* Incredibile autem dictu est, quam celeriter propagata fuerit ad omnes ditiones Anglicanas, etiamque in America: et anno 1814. transiit etiam in Hollandiam, Daniam, Sveciam, Borussiam, et Russiam, ita ut Societatum harum Biblicarum numerus ad 120. in continente Europæ, in America, atque in Asia quoque, et Africa brevi excreverit, et anno 1815. jam hæ Socie-

tates fuerint 484. Ab his porro Societatibus editis Scripturæ versionibus in omnes linguas, annorum 12. dumtaxat spatio in sola prodierunt Britannia non minus, quam 1500000. ejusmodi versionum exemplaria: utque factæ jam sunt, et in dies fiunt novæ Scripturæ versiones, quo facilius, et celerius earum exemplaria disseminentur, levissimo pretio venduntur, vel etiam gratuita dantur.

Hæc igitur *Societas Biblica*; quæ sibi tamen hujusmodi versionibus proposuit non tam *vertere*, quam *pervertere* Divina oracula, sublatis proinde ex iis quibusvis etiam adnotationibus, et explicationibus; ac tollere e Sacris Litteris per multiplicis versionis fucum quidquid controversiarum argumentum est inter varias Christianorum sectas, veramque Religionem a falsis distinguit, atque hoc pacto *Indifferentismum*, quo tenebricosa nostræ ætatis Philosophia enixis viribus tendit, propagare, et obfirmare. Adeatur Cl., et omnigenæ eruditionis Vir Angelus Antonius Scotti in Dissert., cui titulus: *Sugli sforzi della Società Biblica di Londra* (Nel giornale degli Apologisti della Religione Cattolica T. I. p. 125.-Firenze 1825.).

Hinc Summus Pontifex Pius VII. fel. rec., datis litteris ad Archiepiscopum Gnesnensem in Polonia die 29. Jun. an. 1816., et iterum die 3 Sept. ad Archiepiscopum Mohileviensem in Lithuania, declaravit, instituta hæc Biblicarum Societatum ab institutis Ecclesiæ Catholicæ esse aliena: laudans simul Episcoporum Poloniæ vigilantiam in opponendo se propagationi harum Societatum. In iis etiam ait, ex perlatis ad se harum aliquibus versionibus, Scripturam perspexisse in pravos sensus esse linguis vernaculis contortam; quo fiat, ut fideles ex iis fontibus lethale ebibant venenum, ex quibus haurire debuissent aquas Sapientiæ salutaris. Affert quid ab ejus Prædecessoribus, et Tridentino constitutum fuit de Scripturæ lectione in vulgari lingua non omnibus promiscue permittenda, cum observatum sit, plus inde detrimenti, quam utilitatis oriri; *nec* (quemadmodum D. Aug. scribit tr. 18. in Jo.) *natas esse hæreses, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod in iis non bene intelligitur, etiam temere, et audacter asseritur.* Additque, quod si viris etiam pietate, et sapientia spectatissimis accidit, ut in Scripturarum interpretatione non raro defecerint; quid non timendum est, si imperito vulgo, quod ut plurimum non de-

lectu aliquo, sed temeritate quadam judicat, translatæ in vulgarem quamque linguam Scripturæ Sacræ pervolvendæ tradantur ?

Hinc etiam cum nonnulli Neapolitani Sacram Indicis Congregationem interrogassent, num posset edi versio vernacula Martini sine textu, et notis, responsio fuit negativa : tum quia nefas est, Catholicos imitari hæreticos, qui vernaculis his versionibus adeo delectantur : tum quia sola illius versio sine textu, et notis spiritui privato in intelligendis Sacris Litteris locum dare videretur, ac propterea faveret hæreticorum errori : tum quia approbatio a Pio VI. Versioni Martini impertita *In tanta* etc. XVI. Kal. Aprilis 1778. præcipue adnotationes respicit, quæ adpositam versionem SS. Patrum auctoritate explicant, et hæresum deceptiones, antilogiæ, ambiguitates, etc., quomodo evanescant, edocent. Quibus positis, laudatus Pontifex Pius VII. in virtute S. Obedientiæ præfatis Neapolitanis mandavit, ne talem Versionis Martini editionem, ab emissariis Societatis Biblicæ insinuatam, efficerent : quod ea, qua par erat, fidelitate fuit præstitum.

Omnes item esse admonitos operæ pretium est, quod etiam in Germania innumeri propemodum errores in Sacrarum Litterarum interpretatione nuper eruperunt : impio enim ausu a quibusdam nuperis Scriptoribus modo dubitatur de autentia quarumdam partium Scripturæ ; modo textus loca, ad probanda dogmata præcipue opportuna, per linguarum Orientalium abusum ad alia significanda detorquentur ; modo miracula in Scripturis enarrata vel naturaliter explicantur, vel mystico tantum sensu exponuntur ; modo Deuterocanonicos libros inferioris esse dignitatis, dicitur : ac cætera hujusmodi monstra ita prodeunt a præfatis Scriptoribus, ut interim videri velint, se et Catholicos esse, et a Catholicæ Religionis regulis non discedere.

TRACTATUS II.

DE SACRIS TRADITIONIBUS.

CAPUT UNICUM.

De existentia, et auctoritate Sacrarum Traditionum.

Cum veritates fide Divina credendae contineantur, ut ait Trid. sess. 4., *partim in Sacris Scripturae libris, partim in Traditionibus non scriptis, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt*; absolutis proinde iis, quae de Sacris Scripturæ libris dicenda existimavimus, ad ea, quæ de Sacris Traditionibus sunt magis scitu necessaria, progrediamur.

Intelligitur per Sacras Traditiones *quidquid ad Religionem pertinens, scriptis tamen canonicis, seu Divinis consignatum non extat.* Diximus *scriptis canonicis, seu Divinis*; utique enim Sacrae Traditiones in scriptis SS. Patrum, et in Actis Conciliorum reperiuntur. Distinguuntur autem in Divinas, et humanas. Primi generis *sunt eae, quae Deum, seu Christum Auctorem habent.* Hinc etiam definiuntur *Verbum Dei ad nos absque scripto transmissum.* Alterius generis *sunt eae, quarum Auctores sunt homines.* Hae vero subdistinguuntur in Apostolico-Divinas, in mere Apostolicas, et in Ecclesiasticas. Apostolico-Divinae, quae caeterum referuntur quoque ad Divinas *sunt eae, quas a Christo acceptas Apostoli fidelibus transmisere, suntque idcirco immutabiles*; ut canon Scripturarum cum omnibus suis partibus a Trid. exaratus; septenarius numerus Sacramentorum; materiae, et formae Sacramentorum Confirmationis, Ordinis, et Extremae Unctionis; impressio characteris in anima per Baptismum, Confirmationem, et Ordinem; valor Baptismi infantibus, parvulisque ante rationis usum collati, nec non obligatio illos baptizandi; ejusdem valor ab ipsis haereticis, et infidelibus collatus cum debita materia, et forma, et intentione faciendi quod facit Ecclesia, praeceptumque illos non rebaptizandi; diremtio matrimonii non consummati per solemnem castitatis professionem, ejusdemque consummati per conversionem ad fidem, conjuge infideli discedente; aqua in ca-

lice miscenda cum vino, de qua ita D. Cyprian. l. 2. ep. 2. *Admonitos autem nos scias, ut in calice Domini offerendo Dominica traditio servetur, ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Item perpetua B. M. Virginitas post ipsum partum; cultus SS. Imaginum, etc.. Traditiones mere Apostolicae sunt *eae, quas Apostoli, non quidem, ut praecones eorum, quae a Christo audierunt, sed ut Ecclesiae Pastores propria auctoritate ad ejus utilitatem edixerunt*; quaedam namque, ut Christi praecones, quaedam, ut Ecclesiae Pastores, edixisse, testis est Ap. 1. ad Cor. 7., ait enim v. 10. *Praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro suo non discedere.* Et v. 12. *Ego dico, non Dominus, si quis uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Hujusmodi traditiones sunt Jejunium Quadragesimale ad Christi exemplum, qui per totidem dies jejunavit, observatio diei Dominicae loco Sabbati, nec non Festorum Nativitatis, Resurrectionis Christi, et Pentecostes, celebratio Paschatis post diem 14. Lunae vernale aequinoctium proxime sequentem; coerimoniae in Baptismo adhiberi solitae; usus Signi Crucis; et alia ejusmodi. Traditiones demum Ecclesiasticae sunt *eae, quae ab Apostolorum Successoribus sancitae fuere*; ut observatio aliorum festorum; abstinentia a carnibus, ovis, et lacticiniis certis anni diebus; aquae lustralis usus; et alia id genus.

Distinguuntur item Traditiones ratione temporis in Traditiones Legis naturae, idest ante Moysem, Legis Mosaicae, et Legis Evangelicae; 1.° enim cum tempore Legis naturae nullae extarent Scripturae, necesse fuit, Religionem, ac veri Dei cultum per Traditionem hominibus innotescere: per quam proinde cognoscebant existentiam unius Dei Remuneratoris, immortalitatem animae, poenam aeternam impiis, et beatitudinem aeternam justis in altera vita destinatam, peccatum originale, ejusque remedium, venturum Messiam, qui humanum genus redimeret, ritus Sacrificiorum Deo offerendorum, actus fidei, spei, charitatis, et contritionis perfectae, etc.; unde Gen. 18. ait Deus de Abraham: *Scio, quod praecepturus sit filiis suis; et domui suae post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium, et justitiam.* Legis vero Mosaicae tempore multa per Traditionem innotuisse, ut prae aliis Canonem Divinarum Scripturarum, remedium peccati originalis in gratiam feminarum, et masculorum,

qui ante octavum a nativitate diem ex hac vita rapiebantur, legitimus Legis scriptae sensus, etc., aperte liquet ex illis Deut. verbis c. 32. *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi.* Nec non ex Ps. 23. ubi. *Deus auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis.* Quoad Traditiones demum Legis Evangelicae jam paullo supra non pauca produximus exempla.

Quibus praemissis, quia ea vis Traditionum est, ut quemadmodum D. Ignatius *ap. Euseb. l. 3. hist. Eccl. c. 32.* inquit, *ea maxime ratione haereticorum vitantur contagia, si diligentius, ac tenacius Apostolorum Traditionibus inhaereatur*; quod Tertullianus confirmans *in l. de praes. haeret.*, monet, ut adversus haereticos *magis Traditionibus, quam Scripturis disseramus*; *Scripturae enim in varios sensus facile trahuntur, Traditiones non item*: omnibus proinde hereticis commune, ac solemne fuit bellum Traditionibus indicere, ac omnem probandi vim adimere. Omnium tamen maxime Lutherus, ejusque sequaces nihil praetermiserunt, ut sacras Traditiones de medio tollerent, cunctisque suaderent, nihil praeter Scripturas Sacras solidam habere auctoritatem, quippe quod, ut inquiunt, numquam probari potest, Traditiones, quae circumferuntur, a Christo, et Apostolis descendisse. Sit proinde:

Prop. Existunt Sacrae Traditiones a Christo, et Apostolis ad nos derivatae; atque ex iis firma depromuntur quoad fidem, et quoad mores argumenta.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ut ex 1. ad Cor. 13. *Laudo vos, fratres, quod sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis. . Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Et 1. ad Thess: *State, et tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Et 2. ad Tim. 1. *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti. Bonum depositum custodi.* Et paullo post: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Et D Jo. ep. 1. c. 2. *Quod audistis ab initio, in vobis permaneat*: multa enim non scripto, sed ore eos docuisse constat ex ejusdem verbis ep. 2. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, et atramentum, spero enim me futurum apud vos, et ore ad os loqui.* Si autem ipsi Novi foederis librorum Scriptores expresse hor-

tabantur fideles, quibus scribebant, quod non desererent, sed sollicite servarent Traditiones, quas acceperant, dicendum profecto est, et quod simul cum Scripturis depositum constituunt Ecclesiae concreditum, et quod simul cum iis, tamquam regula fidei, et morum, habendae sunt.

2.° ex PP.; ita enim D. Ignat. ep. ad Heronem: *Omnis, qui dixerit praeter ea, quae tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi jejunet, tametsi virginitatem servet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat* De quo et narrat Eusebius *l.* 3. *hist. Eccles. c.* 36., quod *cum per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus Civitatum, quas ingrediebatur, Ecclesias sermonibus, et cohortationibus suis confirmans, monebat in primis, ut sibi a pravis haereticorum opinionibus caverent. . Hortatusque est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent; quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit.* Ita quoque D. Irenaeus l. 3. c. 2., inquiens, hunc esse haereticorum morem, ut dum Scripturis arguuntur, Scripturas accusent: *Cum autem ad eam iterum Traditionem, quae est ab Apostolis, quae successione Presbyterorum in Ecclesia custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni.* Et c. 5., Gnosticis ex Traditione refutatis, eosdem Scripturis impetens, ait: *Traditione igitur, quae est in Apostolis, sic se habente in Ecclesia, et permanente apud nos, revertamur ad eam, quae est ex Scripturis, ostensionem.* Utroque autem ex loco, nemo non videt, Irenaeum et Traditiones a Scripturis distinguere, et tam Traditionibus, quam Scripturis ad fidei dogmata comprobanda usum fuisse. Ita quoque Tertullianus l. *de corona Militis c.* 4., ubi pluribus commemoratis, quae ad Baptismum, Eucharistiam, oblationesque spectant, *si legem* (ait) *expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix.* D. Chrysost. quoque in relatum Ap. locum ad Thess. *State, et tenete etc.*: *Hinc est perspicuum* (ait), *quod non omnia tradiderunt Apostoli per epistolam, sed multa etiam sine scriptis; et ea quoque sunt de fide Divina.* Disertus quoque est D. Epiphanii locus haer. 60: *Traditione* enim (inquit) *quoque opus est, neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, Traditione alia Sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod*

ipsum ita Paulus affirmat : Quemadmodum tradidi vobis. Item alio loco : Ita doceo, et ita tradidi in Ecclesiis. Item : Si meministis etc. . Concinit D. Basil. l. de Spir. S. c. 27. ubi *Dogmata* (ait), *quae in Ecclesia servantur, et prædicantur ; quaedam habemus e doctrina scripto prodita ; quaedam ex Apostolorum traditione in mysterio* (idest occulte) *tradita recipimus ; quae utraque parem vim ad veritatem habent.*

Ex Traditione demum multa haberi, quae ad fidem spectant, expresse docet D. Aug. *l. 2. De bapt. c. 7. n. 12.* ; loquens enim eo loci de Ecclesiae consuetudine non rebaptizandi baptizatos ab haereticis, utpote valide ab iis baptizatos, servatis servandis, *quam consuetudinem* (ait) *credo ex Apostolica Traditione venientem ; sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, et commendata creduntur.* Et l. 5. c. 23. n. 31. *Consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est ; sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiuntur.* Caeterisque omissis, existentiam peccati originalis ex eo probat *l. 6. contra Iulian. c. 5.*, quod Ecclesia *filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, et a principe mortis erueret.* Undenam porro in Baptismi administratione hujusmodi ritus, nisi ex Traditione? Et l. 2. *de pecc. orig. c. 24*, tum peccatum originale, tum futuri Reparatoris adventum antiquis Justis etiam ante Diluvium, et legis scriptæ tempus per Traditionem innotuisse, affirmat. Alia etiam S. D. verba quoad Traditiones religiose custodiendas, infra opportunius proferemus.

3.° ex Conciliis; ac praesertim ex VII. Gen. act. 7. ubi dictum fuit : *Fatemur nos Ecclesiasticas Traditiones sive scripto, sive consuetudine valentes retinere velle, quarum de numero est Imaginum effiguratio. Catholicae igitur Ecclesiae traditionem observantes, definimus SS. Imagines venerandas.* Et in fine sess. *Si quis Traditiones Ecclesiae sive scripto, sive consuetudine valentes, non curaverit, anathema sit.* Et Trident. sess. 4. *Sacrosancta Trid. Synodus prospiciens, veritatem Evangelii salutarem, et morum doctrinam contineri in libris scriptis,*

et sine scripto traditionibus ipsius Christi, quae ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt: Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia cum libris Sacris suscipit, ac veneratur. Et posterius: *Si quis autem Traditiones praedictas sciens, et prudens contempserit, anathema sit.*

4.° Multiplici ratione. Et 1.°, quod Scripturae in varium sensum torqueri, ac flecti possint, haereses omnes ex prava earum intelligentia profectae aperte ostendunt. Qua super re, *nemo haereticorum* (ait D. Hilarius ad Constantium Aug.) *est, qui se non secundum Scripturam praedicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.* Praeiverat D. Irenaeus l. 1. c. 1., *haeretici* (inquiens) *Scripturis nituntur sua dogmata confirmare, ne sine teste esse videantur. Sed deformant eloquia Dei, atque ex figura hominis vulpis, aut ursi figuram reddunt.* Ut namque pergit Vinc. Lirinensis, *faciunt haeretici, quod patrem suum fecisse vident, et auctoris sui callida machinamenta sectantur. Nam quid ille non faciet misellis hominibus, qui ipsum Dominum Majestatis Scripturarum testimoniis appetivit? Si Filius, inquit, Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, &c. . Ita quodcumque dogma haereticus proferat, statim ait: Scriptum est enim; et non unum, sed mille testimonia parat de lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo more interpretatis sententiam suam approbare conatur.* Si autem Scripturae in varium sensum torqueri, ac flecti possunt, quis non videt, sanum earum intellectum nonnisi Traditionis ope statuendum esse, omnemque ferme cum haereticis disputationem ad traditiones a majoribus acceptas esse referendam?

2.° Religionem longe antiquiorem esse Scripturis, nemo ibit inficias, qui advertat, tum quod vetustissimi primorum saeculorum PP., qui legis naturae tempore floruerunt ante Moysem, veri Dei cultores habiti sunt; tum quod lex ipsa Evangelica non fuit a principio litteris exarata, sed auribus praedicata. Quid autem id ostendit, nisi quod Traditiones ab ipso Mundi exordio, velut fundamentum Religionis, fuere; quodque ipsius fidei Christianae

doctrina, ut de ea D. Lucas ait illis verbis: *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, et Ministri fuerunt sermonis*, ipsius (inquam) fidei Christianae doctrina, non a Scripturis auctoritatem habuit, sed contra hae a Traditione?

3.° quae supra diximus, ubi de Traditionibus Apostolico Divinis, omnia credimus ex fidei doctrina; ex quibus tamen alia in Sacris Litteris non sunt expressa, alia in iis nec aperte, nec obscure continentur. Quod si talium fides Verbo Dei scripto non nititur, Verbo Dei tradito, dicendum profecto est, niti; nequit enim de fide esse, nisi quod fuerit a Deo revelatum: Ergo.

4.° principium, quo haeretici subnixi Sacras Traditiones respuunt, illud est, quod Sacrarum Litterarum intellectus unicuique in promptu est, ac per se sine Magistro, et docente patet. Id autem quam sit falsum, jam ostendimus tract. ant. c. 2. prop. 1., et sequ.. Ergo.

5.° ut egregie disserit Canus *De loc. Theol. l. 3. c. 3.*, duas tantum Petri Epistolas habemus. Si autem nihil aliud verbo docuit, quam quod epistolis duabus scriptum reliquit, mutumne dicemus annis 7. Antiochiae sedisse, et elinguem Romae annis 25.? Andreas item, Thomas, Bartholomaeus, Philippus sine ulla Scriptura, ac solo verbo Ecclesias sibi destinatas et fundarunt in fide, et in Religione continuerunt. Haec autem nonne ostendunt, fidei doctrinam, non scripto totam, sed solo etiam verbo ab iis traditam fuisse? Ergo.

Quibus demum accedit, quod sicut in rebus humanis oculatos testes, ita in fide auritos accipere debemus, quia *fides* (ut ait Ap. ad Rom. 10.) *ex auditu*. Ac sicut ridicula esset Respublica, quae in Judiciis scripto omnia, ac nihil sine scripto probaret; maxime quia Scripturae nonnisi ad lites vitandas fiunt, et alioqui boni viri solo verbo in veritate, et officio continentur: ita hujusmodi esset Christi Ecclesia (quod nefas dictu), si nihil sine scripto probaret, sed omnia scripto.

Objic. 1. ex Scripturis quod jussit Dominus Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo*; quodque jussit c. 17. *Facies quodcumque dixerint qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus.* Quidquid autem producitur ex Traditione additur ad verbum Dei, et praeter legem dicitur: Ergo:

2.° quod ait Ap. ad Gal. 1. *Licet nos, aut Angelus de Coelo evangelizet vobis, praeterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit. Et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit.* Cui etiam D. Jo concinit in Apoc. c. 22. *Si quis* (inquiens) *apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* At similiter quidquid producitur ex Traditionibus, producitur praeter id, quod per Scripturas fuit nobis evangelizatum, et apponit alia ad Scripturas: Ergo.

3.° Quod et ait 2. Tim. c. 3., quod per Scripturas *perfectus est homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Si autem praeter Scripturas attendendum quoque esset Traditionibus, nec perfectus, nec ad omne opus bonum instructus homo Dei esset per Scripturas: Ergo.

R. ad 1. neg. min.; ex iis enim, quae inter probationes produximus, Scripturarum testimoniis sequitur et quod præter verbum Dei scriptum extat quoque illud non scriptum, sed traditum; et quod lex verbo tenus tradita non minus habet nomen legis, quam ea, quae litteris edita habetur. Ad. 2. neg. cons.; non enim ait Ap. *praeterquamquod scripsimus*, sed *praeterquamquod evangelizavimus*, *et accepistis*; cui accedit, quod vox *praeter* ibi significat *contra.* Ex eo autem, quod ait D. Ioannes, puniendum scilicet fore a Deo, qui apposuerit ad Prophetias contentas in libro Apocalypsis aliquid aliud, tamquam earum partem; quid inde contra Sacras Traditiones? Ad 3. neg. etiam cons.; Scriptura enim Divina non de iis solum nos instruit, quæ scripta sunt, sed de iis etiam, quae non sunt scripta, ut idem Ap. docet in 2. ad Thess. c. 1. illis verbis: *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Immo in ipsa ad Tim. epistola, cum illi dixisset Apostolus: *Tu autem assecutus est meam doctrinam, et institutionem*, quibus verbis, ut quisque videt, complexus est et quod scripto, et quod instituto continetur, mox subjungit: *Permane in his, quæ didicisti, et credita sunt tibi.* His autem, praeter Scripturas, Traditiones innui, cuivis consideranti fit perspicuum.

Objic. 2.° Adesse Traditiones falsas, ipse Christus docuit Matth. 15.; Pharisæis exprobrans, quod propter traditiones, quas jactitabant, irritum mandatum Dei facerent. Deest autem modus discernendi veras a falsis Traditionibus: Et vim igitur fidei dogmata, quae ad Religionem pertinent, probandi Traditionibus deesse, consequens est.

R. neg. min.; 1.° enim, ut ait D. Aug., *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*.. Cujus ratio est, quia si consuetudinis cujusquam diu in tota Ecclesia observatæ originem, et principium nec ad Summos Pontifices, nec ad Concilia Episcoporum referre possumus, sed talis consuetudo ad Apostolorum usque tempora retrotrahitur, quid dicendum superest, nisi auctoritate Apostolica illam constitutam esse ? 2.°. Si Ecclesiae PP., ac subinde ejus Doctores semper, et ab initio aliquod habuerunt, ut fidei dogma, ajentes ex. gr. *credimus*, *confitemur*, *edocti sumus*, *Christus dixit*, *jussit*, *Apostoli tradiderunt*, *credit*, *vel tenet Ecclesia*, *etc.*; contrarium vero, ut haereticum refutarunt; ac simul illud in Sacris Litteris vel nullatenus continetur, vel saltem non habetur expressum, nemini dubium esse potest, quod per Apostolicam Traditionem illud habet Ecclesia. Quia enim Ecclesia post tempora Apostolorum nullas in fide novas revelationes habuit, nam secus, ut alibi diximus, nec Spiritus Sanctus docuisset Apostolos, juxta Christi promissionem ap. Io. c. 14, *omnem veritatem*, nec fideles dicerentur in ep. ad Eph c. 1., *superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum*, vel scripto ideirco, vel verbo omnia fidei dogmata àb illis eam accepisse, dicendum est. 3.° praxis in Ecclesia, unanimi DD. consensione probata, ac firmata, quam in illam invehere humana non poterat potestas, habendum proculdubio est, quod per Traditionem Apostolicam a Christo in ea sit. Hujusmodi est praxis dissolvendi vota, remittendi juramenta, etc.. Cujus ratio est, quia cum Ecclesia a Spiritu Sancto regatur, in iis proinde, quae sunt contra fidem, vel bonos mores, errare nequit: ex quo sequitur, quod potestatem non potuit sibi usurpare, quam nec humanitus, nec Divinitus habeat. 4.° consensus Theologorum, qui uno ore testentur, aliquod dogma, vel aliquam consuetudinem a Christo, vel Apostolis derivasse, satis demum est, ut taliter credamus, tum quia in quacumque arte peritis credendum esse, ratio monstrat; tum quia cum inter ipsos magna non raro dissensione certetur, profecto non idem omnes assererent, nisi eodem Divino Spiritu permoverentur; tum demum quia Ecclesia eorum communem errorem dissimulando, Christi fideles suo silentio deciperet: *Error*

enim (ut Innoc. ait 83. *Dist. c. Error*), *cui non resistitur*, *approbatur*, *et veritas*, *cum non defenditur*, *opprimitur*.

Objic. 3.° , quod D. Cyprianus parvipendit Traditionem de validitate Baptismi ab haereticis collati, cui standum ipsi D. Stephanus Papa ajebat illis verbis: *Nihil innovetur praeter id, quod traditum est*. Item quod D. Athan. scribit orat. contra Gentes: *Sanctae, ac Divinae Scripturae ipsae per se satis sunt ad veritatem indicandam*. Et ep. 1. ad Serap. *Ea tantum, quae Scripturis continentur, discere satis habeant*. Quod et D. Aug. confirmat l. 2. De Doctr. Christ. c. 9. *In iis enim* (ait), *quae aperte in Scripturis posita sunt*, *inveniuntur illa omnia, quae continent fidem*, *moresque vivendi*. Demum D. Hier. in c. 1. Aggaei, *quae absque auctoritate* (inquit), *et testimoniis Scripturarum*, *quasi traditione Apostolica*, *sponte reperiunt*, *atque confingunt*, *percutit gladius Dei*. Et ibidem: *Sine auctoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem*. Quibus similia habet quoque in c. 23. Matth., et in c. 1. ep. ad Tit.; habentque etiam alii ex Patribus. Nihili igitur Traditiones faciendae sunt.

R. neg. cons.; quoad 1. enim, non acquievit D. Cyprianus Traditioni, quam illi D. Stephanus objiciebat, quia cum fides super validitate Baptismi ab haereticis collati non esset adhuc declarata, et definita, falsam arbitrabatur Traditionem, quae illum validum asserebat, ut patet ex ejus ep. ad Pompejum, in qua, *unde* (ait) *est ista Traditio?* . . *Si ad Divinae Traditionis Caput*, *et originem revertamur*, *cessat error humanus*. At ubi supra produximus Traditionum Apostolico-Divinarum exempla non pauca, produximus quoque Cypriani locum, ubi servandam monet Dominicam Traditionem de aqua in calice miscenda cum vino. Quoad 2.m vero, alius non est verborum D. Athanasii, et D. Aug. sensus, quam quod illa dogmata, quae aperta sunt in Scripturis, satis quoque ex illis probantur: quodque cum Scripturae commendent quoque Traditiones, iisque firmiter esse inhaerendum, praecipiant, hinc qui eas didicit, didicit quoque morem gerere Traditionibus, estque in omnibus instructus, quae continent fidem, moresque vivendi. Quoad 3.m demum, Traditiones, contra quas scribit D. Hieronymus, ex ipsis ejus verbis patet, quod sunt Traditiones *sponte*, idest proprio arbitratu ab haereticis confictae; et quas *percutit gladius Dei*,

idest quae Scripturae, vel communi Ecclesiae fidei adversantur, nec sunt, nisi eorumdem *garrulitas*. Et sane si D. Hieron. aliud non existimasset credendum, nisi quod Sacris Litteris nobis est proditum, profecto adversus Luciferianos, Vigilantium, Helvidium Traditionum auctoritate non pugnasset. Alia vero, quae ab Haereticis producuntur Patrum testimonia adversus Traditiones, vel pro objecto habent Traditiones quoque proprio arbitratu confictas, et doctrinae Ecclesiae adversas; vel dum laudant Scripturae plenitudinem, nedum Traditiones, non impetunt, verum etiam implicite docent, sequendas quoque esse, et servandas Traditiones, utpote quae ab ipsis Scripturis nobis commendantur, et proponuntur sequendae.

Objic. 4.° Trinam in baptismo immersionem servandam ex Apostolica Traditione, docuisse Alcuinum *ep.* 81. *ad Paulinum*, et Walfridum *l. de Rit. Eccl. c.* 26; quod tamen Synodus IV. Toletana abrogavit. Alias quoque Romanam ipsam Ecclesiam abrogasse, ut de lacte, et melle porrecto Neophytis; de Eucharistia privatis in domibus sumpta; de eadem sub utraque specie Laicis ministrata, etc. . Si autem licet a Traditionibus discedere, infirmum dicendum est argumentum, quod ab iis petitur: Ergo.

R. neg. min.; potestas enim est penes Ecclesiam, ubi id fidelium bono expediens judicet, a Traditionibus discedere, quae spectant ad disciplinam, et ritum, non vero ab iis, quae spectant ad dogma. Primi autem generis sunt Traditiones, de quibus allata sunt exempla. Quare variari potuit disciplina de trina immersione in Baptismo servanda, quia, ut ait Magnus Gregorius ep. 41., sicut trina immersio significat *triduanae sepulturae Sacramentum*, ita una commonstrat *in tribus subsistentiis unam substantiam*. Potuit et variari usus tribuendi baptizatis lac, et mel, cujus meminit D. Hier. *in Dialogo adversus Luciferianos*, duravitque usque ad medium saeculi IX., quia insani homines adhibere coeperant illa symbola etiam in calicis consecratione: usus vero Eucharistiam sumendi in privatis domibus, quia tantum necesse id fuerat saevientibus persecutionibus, ne absque communione quis obiret, et dum unica Missa, cui omnes adesse non poterant, celebrabatur: sicut demum usus illam Laicis ministrandi sub utraque specie, et quia Apostolorum aetate, ac subsequentibus saeculis non semper servatus, et ob alias cau-

sas in tract. de Eucharistia allatas, ac praecipue ob haereticorum errorem obstinate contendentium esse, id jure Divino ad salutem necessarium.

Objic. 5.° Quae scriptis non sunt exarata, erroribus sunt obnoxia, ac tractu temporis oblivione etiam delentur. Quae igitur Christus ad salutem fidelium vidit esse necessaria, et quae in Ecclesia certa esse voluit, atque perpetua, ea litteris consignari vel jussit, vel suggessit.

R. dist. ant.; quod nempe quae scriptis non sunt exarata, erroribus sunt obnoxia, ac tractu temporis oblivione etiam delentur, si Divinam non habeant auctoritatem, non vero si ex Deo sint; ut enim ait Christus Matth. 20. *Coelum, et Terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Allatum ergo argumentum ratiocinatur haud secus, ac si non Divinitus res Ecclesiae gererentur; quo semel posito, nec Canonicos libros eosdem mansuros semper, etiamque aliquando perituros, consequens esset. Ait tamen Regius Psaltes, quod *non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel* (*Ps.* 120.).

TRACTATUS III.

DE ECCLESIA EXTRA CONCILIUM.

CAP. I.

De notione Ecclesiae.

Si ad id respectus habeatur, quod quotquot a Mundi exordio salutem consecuti sunt, non aliter illam consecuti sunt, nisi per fidem in Christum venturum, recte dicitur sub tali respectu, quod Christi Ecclesia fuerit Mundo ipsi coæva. Communis est hæc D. D. sententia cum D. Aug., qui ep. 190. ad Optatum c. 2., *profecto* (inquit) *quod scriptum est, non esse aliud nomen sub Coelo, in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum ex quo in Adam vitiatum est genus humanum; quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita et in regno vitae nemo sine Christo.* Et conc. 6. in Ps. 36. *Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus; et in ejus fide et ipsi sunt, in cujus et nos, ut esset et ipse totius caput civitatis Ierusalem.* Et in Ps 104. *Non enim quispiam praeter istam fidem, quae est in Christo Jesu, sive ante ejus Incarnationem, sive postea reconciliatus est Deo.* Quod etiam tr. 45. in Jo. confirmat testimonio Apostoli 2. ad Cor. 4., ubi omnes, ait, habuisse *eumdem spiritum fidei.* Licet tamen Christi Ecclesia fuerit sub tali respectu ipsi Mundo coæva; licet proinde una, et eadem substantialiter, et formaliter fuerit Ecclesia legis naturæ, legis scriptæ, et legis gratiæ, quemadmodum idem est numero homo et quando est infans, et quando adolescens, et quando adultus, quia nempe unum, idemque ab exordio Mundi semper fuit fidei objectum, Christus nimirum, ac solum juxta diversitatem temporum magis, vel minus explicite creditum: licet demum ex viatoribus, etiamque comprehensoribus, animabusque illis, quae in Purgatorio degunt, coalescat; quare dividitur a TT. in militantem, triumphantem, et patientem; hic ceterum nonnisi de Ecclesia legis gratiæ, et quidem tantum de militante agendum suscipimus; ac definitur: *Coetus hominum, unius, ejusdemque fidei professione, et eorumdem Sacramentorum.*

communione conjunctus sub regimine legitimorum Pastorum, ac praesertim Romani Pontificis. Singulas modo definitionis partes expendamus.

Coetus hominum; etenim Ecclesia græce idem est, quod latine *convocatio*; ac taliter dicta est, tum quia omnes ad se vocat, tum quia quicumque in eam conveniunt, non meritis, et justitia sua, sed Dei gratia, et vocatione conveniunt. *Unius, ejusdemque fidei professione*, nam 1.° *sine fide* (ut ait Ap. ad heb. 11.) *impossibile est placere Deo.* 2.° Ecclesia dicitur c. 4. Cant. Christi sponsa; nec Christus eam desponsavit, nisi per fidem, ut per Oseam vaticinatus fuerat, illis verbis: *Sponsabo te mihi in fide* (2). Hæc autem fides una, eademque in omnibus esse debet, tum quia, ut ait Ap. ad Eph. 4., *unus Dominus, una fides*; tum quia fides est quasi oculus corporis Ecclesiæ: unde diversa credentes eumdem scopum, ac finem habere non possent. *Et eorumdem Sacramentorum communione conjunctus*; ut enim ait idem Ap. 1. ad Cor. 12. *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*: quo in loco fecit Apostolus solius baptismi mentionem, quia sicut per circumcisionem fiebat olim professio Religionis Mosaicæ, ita per baptismum nunc fit professio Religionis Christianae, et homo fit capax caeterorum Sacramentorum. Hinc in eo inest cæterorum Sacramentorum communicatio; quare dicitur in decreto Eug. IV. *vitae spiritualis janua. Sub regimine legitimorum Pastorum, ac praesertim Romani Pontificis*; passim namque in Scripturis vocatur Ecclesia Christi Regnum; nec Regnum absque regimine esse potest. Porro ejus regimen est penes Episcopos juxta illud Actuum 13. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; ac praesertim penes Pontificem Rom., cum huic in persona Petri dictum a Christo fuerit Matth. 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Et Jo. 21. *Pasce oves meas*; quare licet spectet etiam ad Episcopos regere Ecclesiam, hoc tamen est cum subordinatione ad Rom. Pontificem.

Ex allata autem definitione fluit, quod, ut quis sit de corpore, et gremio Ecclesiae tria requiruntur, quorum si unum desit, nequit de ejus corpore, et gremio censeri: scilicet professio fidei Christianae; communio Sacramentorum; et subjectio legitimis Pastoribus, ac praeser-

tim Rom. Pontifici. Hinc 1.° sequitur, quod Infideles, idest *qui Christi Evangelium numquam audierunt, vel illi audito restiterunt*, sicut etiam notorii haeretici, idest *notorie cum pertinacia negantes veritatem aliquam a Deo revelatam, et per Ecclesiam propositam*, non sunt de Ecclesia. Ut enim aliquis sit de Ecclesia, necessaria est Christianae fidei professio. Utraque autem deest tam in Infidelibus, quam in notoriis haereticis. Ergo . . Quod et confirmatur quoad Infideles ex 1. ad Cor. 5., ubi Ap. loquens de Infidelibus, *quid mihi* (ait) *de iis, qui foris sunt. judicare?* Quoad haereticos vero 1.° ex Christi verbis Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, et Publicanus*. Constat autem, haereticos notorios Ecclesiam non audire: Habendi ergo sunt in ordine ad Ecclesiam, velut Ethnici, ideoque extra Ecclesiam. 2.° ex Ap. ad Tit. c. 3. *Haereticum hominem post unam, et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui hujusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus*. Pastor autem vitare non debet, qui sunt de suo ovili, immo debet de iis curam gerere: Ergo.. 3.° ex 1. Jo. c. 2., ubi de talibus loquitur Apostolus, tamquam de separatis, et abscissis a corpore aliorum fidelium: *Ex nobis* (inquiens) *prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. 4.° ex Conc. Constantinop. I. can. 1., in quo haeretici dicuntur *ab Ecclesia abdicati, et anathematizati*. Et in Conc. Carthag. IV., cui D. Aug. interfuit, vetitum fuit can. 7., nomen Ecclesiae dari *Conventiculis haereticorum*.

Nec obstat 1.° parabola ap. Matth. 13., in qua dicuntur, tria in eodem agro inveniri, granum, paleam, et Zizania. Per agrum autem Ecclesia, per granum Christi-fideles boni, sicut per paleam mali, per Zizania demum haeretici designantur: Ergo. . R. enim quod, ut Christus ipse exposuit, per agrum significatur, non Ecclesia, sed Mundus: *Ager autem est Mundus*. Per Zizania vero omnes peccatores in genere: *Zizania autem filii sunt nequam*, nullam tribuens paleis significationem, vel forte illis peccatores significans alios non inficientes.

Neque obstat 2.°, quod Ap. scribens ad Tim. ep. 2. c. 1., cum meminisset defectionis Hymenaei, et Phileti, statim subjunxit: *In magna domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia; et quaedam quidem in honorem, alia vero in contumeliam*.

Quid autem his verbis astruere voluit, nisi quod Hymenaeus, et Philetus, etsi post defectionem non essent amplius in Ecclesia, velut vasa in honorem, erant tamen in ea, velut vasa in contumeliam? R. enim D. Aug. *l.* 4. *de bapt. c* 12., quod Apostoli verba referenda sunt ad tempus, quo Hymenaeus, et Philetus nondum defecerant. Nisi etiam dicere velimus, quod verba Apostoli nihil commune habent cum quaestione, de qua agimus: cum enim dixisset, quosdam a veritate excidisse, etc., ne omnes fragiles existimarentur, ac proinde Ecclesiae fidei timeremus, subjicit: *Sed firmum fundamentum Dei stat, etc.* Quia tamen quaereret fortasse quispiam, cur Deus in Ecclesia sua alios firmos, alios infirmos haberet, hos stare, illos excidere permitteret, huic respondet Apostolus, in magna domo non solum esse vasa aurea, argentea, et in honorem, sed et lignea, testacea, et in contumeliam.

Neque obstat 3.°, quod haeretici possunt puniri ab Ecclesia. Possentne autem ab ea puniri, si de illa non essent? R. enim, quod etsi de illa non sint, quia tamen indelebiliter retinent characterem Baptismi, per quem in illam intraverunt, semper proinde Ecclesia potest in eos poenis animadvertere, eo fere modo, quo Princeps in desertores militiae.

Diximus vero, quod *notorii haeretici* non sunt de Ecclesia; qui enim non sunt notorii, sed occulti, adhuc sunt de Ecclesia, quamdiu scilicet unam, eamdemque fidem cum caeteris fidelibus exterius profiteantur. Id autem nedum sequitur ex allata Ecclesiae definitione, sed et confirmatur 1.° ex relatis verbis D. Jo.: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Dicendo enim, quod haeretici notorii, de quibus illic loquitur, exierant de Ecclesia per publicam haeresis professionem, hoc ipso ait, quod ante hujusmodi apertam haeresis professionem erant de Ecclesia, repugnat namque, aliquem exire de loco, in quo non est. Ac 2.° ex eo quod secus nemo scire posset, proprium Episcopum, et Pastorem esse de Ecclesia, cui proinde obtemperandum ab eo esset, nam certo scire non posset, intus, et in corde haereticum non esse.

Sequitur 2.°, quod catechumeni idest *qui fidem quidem Christianam didicerint, eamque amplexati fuerint, sed nondum sint baptizati*, neque etiam sunt de Ecclesia.

Ut enim aliquis sit de Ecclesia, praeter externam fidei professionem, requiritur etiam Sacramentorum communio. Hujus autem Catechumeni sunt incapaces ob defectum Baptismi: Ergo. . Idem tamen confirmatur 1.° *ex c. 2. Act.*, ubi: *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et appositae sunt die illa animae circiter tria millia.* Si autem posteaquam crediderunt, et baptizati fuere, tunc fuerunt de Ecclesia, dicendnm profecto, quod ante baptismum, tametsi credentes, non erant adhuc de Ecclesia: Ergo. . 2.° ex relatis Ap verbis 1. ad Cor. 12. *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* Per baptismum ergo, et non per solam fidem in Christi Corpus transimus. 3. ex relato Eug. IV. Decreto, ubi: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Sanctum Baptisma, quod vitae spiritualis janua est, per ipsum enim membra Christi, et de corpore efficimur Ecclesiae.*

Nec obstat, quod Catechumeni salvari possunt sine baptismo in re suscepto, per actus nempe fidei, spei, et charitatis perfectae, et votum suscipiendi baptismum. Nemo autem salvari potest, nisi sit de Ecclesia: Ergo . . R. enim, quod nemo salvari potest, nisi sit de Ecclesia vel *in re*, vel *in voto*. At salvari potest, qui de ea sit *voto* per praefatos actus, et desiderium suscipiendi Baptismum. Porro hujusmodi votum adest utique, vel saltem adesse potest cum gratiae auxilio in Catechumenis, unde salvari possunt; quare et ait de i s D. Aug. *tr.* 4. *in Jo.*, quod sunt in utero S. Matris Ecclesiae, quemadmodum infantes concepti, et nondum nati.

Sequitur 3.°, quod neque etiam excommunicati, excommunicatione scilicet majori, quae sola est excommunicatio totalis, sunt de Ecclesia. Ut enim aliquis sit de Ecclesia, in communione esse debet Sacramentorum. Hujus autem communionis expers est majori excommunicatione perculsus, cum Sacramenta nec administrare, nec suscipere, ac neque etiam Divinis officiis interesse possit: Ergo . . Idem tamen confirmatur 1.° ex lege veteri, vi cujus quicumque caeteris contumaciter esset scandalo, e Synagoga ejiciebatur; qua Judaei abutentes, comminabantur, ut qui *confiteretur Jesum esse Christum*, *extra Synagogam fieret* (*Jo.* 9). Cum autem Synagoga fuerit typus Ecclesiae, aeque etiam extra Ecclesiam dicendi sunt quicumque promeriti fuerint ab Ecclesia ejici per excom-

municationis sententiam : Ergo . . 2.° ex relatis Christi verbis Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, et Publicanus*; quibus verbis communiter omnes docent, et ex se patet, Christum tradidisse Ecclesiae obligandi, puniendi, et excommunicandi potestatem. Si autem excommunicati habendi sunt in ordine ad Ecclesiam, sicut Ethnici, profecto quemadmodum hi non sunt de Ecclesia, neque etiam excommunicati dicendi sunt de Ecclesia : Ergo . . 3.° tum ex formula excommunicationis *Can. Canonica* 11. *quaest.* 3. ubi : *Canonica instituta, et SS. Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei, et judicio Sancti Spiritus, a gremio S. Matris Ecclesiae, et consortio totius Christianitatis eliminamus* : tum ex formula absolutionis ab excomm., de qua ita in Rit.Rom. *Absolvo te a vinculo excommunicationis &c., et restituo te communioni, et unitati fidelium, et Sanctis Sacramentis Ecclesiae etc.* 4.° ex D. Aug. *l. de unit. Eccl. c. ultr.*, ubi ait, quod *quisque praeciditur* (scilicet a corpore Ecclesiae), *cum visibiliter excommunicatur.* Quod si *l. ad Donat. c.*20. ait : *Neque enim a populo Dei separamus, quos excommunicando ad humiliorem poenitendi locum redigimus*; ibi per populum Dei intelligit S. D. populum salvandorum ; ejusque sensus est, quod finis excommunicationis est delinquentem ad pœnitentiam per eam vocare, ut salvus fiat.

Neque etiam obstat, quod excommunicatus salvari potest, quamvis in excommunicatione moriatur, sibi scilicet gratiae statum comparando cum Dei adjutorio per actum contritionis perfectae, antequam absolvatur. Nemo autem salvari potest extra Ecclesiam : Ergo . . R. enim, quod sibi gratiae statum comparando per actum contritionis perfectae, jam fit *voto*, idest desiderio de Ecclesia, quod ei in necessitatis casu sufficit ad salutem.

Neque etiam obstat exemplum Magni Meletii Episcopi Antiocheni, qui non communicabat cum Rom. Pontifice, et tamen erat de Ecclesia, immo multis laudibus a PP. celebratur. R. enim, quod, ut testatur D. Basilius ep. 39., ex sola veritatis ignoratione Episcopi Occidentales simul cum Rom. Pontifice Episcopatu virum Dei abdicabant, quia nempe Ariani eum ab Imperatore Constantio ad Episcopatum Antiochenum postulaverant, ignorabantque, omnes Episcopos Catholicos, qui aderant, in ejus electionem consensisse. Caeterum numquam Meletius excommu-

nicatus fuit vel a Rom. Pontifice, vel ab Episcopis Occidentalibus, sed solum interrupta fuere officia quoedam solita, quibus fovebatur communio inter Orientales, et Occidentales.

Hac demum super re advertendum, quod si excommunicatus sit toleratus, ex Ecclesiae indulgentia, et tantum in bonum aliorum, ne aliquis scilicet occasione illius pereat, vel jure suo privetur, expers non est jurisdictionis actualis ex Bulla Martini V. *Ad evitanda.*

Sequitur 4.°, quod neque etiam schismatici, idest, *nolentes subesse vel Rom. Pontifici, vel suis legitimis Pastoribus, non sine eorum auctoritatis contemptu*, sunt de Ecclesia. Ut enim aliquis sit de Ecclesia, requiritur etiam, ut diximus, subjectio legitimis Pastoribus, ac praesertim Rom. Pontifici. Haec autem deest in Schismaticis: Ergo . . Idem tamen confirmatur ex illis Ap. verbis ad Rom. 12., quod *multi unum corpus sumus in Christo.* Porro tam Unitas, quam Corpus Ecclesiae nonnisi per praefatam subjectionem intelligitur, et constituitur, quam Schismatici contemnunt: Cum ergo non efficiant unum corpus cum caeteris fidelibus, neque etiam pertinent ad Christi Ecclesiam. Per schismaticos autem diximus intelligendos esse nedum qui subesse nolunt Rom. Pontifici, verum etiam qui subesse nolunt proprio Episcopo, ut Bellarminus expresse docet, ac praeiverat D. Cypr. ep. 69., ubi: *Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo; et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse.* Et ibidem dicitur ab eo Ecclesia: *Plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens.* Et sane cum Ecclesia ex relatis Apostoli verbis unum corpus constituat, ideoque omnes particulares Ecclesiae inter se communione conjunctae, et subjectae Rom. Pontifici sint una moraliter Ecclesia, et unum corpus morale; hinc qui se separat a sua Ecclesia particulari, se scilicet separando a proprio Episcopo, hoc ipso se separat ab omnibus aliis; sicut membrum, quod separatur ab alio, manus scilicet a brachio, eo ipso separatur a toto corpore.

Sequitur 5.° tum ex allata Ecclesiae definitione, tum ex iis, quae supra diximus, quod sicut ad ingrediendum in Ecclesiam non sufficit sola fidei professio, sed requiritur et fidei professio, et Baptismus, in quo inest caeterorum Sacramentorum communicatio; ita ad egrediendum

de Ecclesia, ad hoc nempe, ut aliquis, postquam in Ecclesiam ingressus fuerit, de ea amplius non sit, neque etiam sufficit interior infidelitas, sed requiritur etiam vel schisma, vel Ecclesiae sententia, qua a fidelium communione excidatur; infidelitas nempe, quae opponatur professioni fidei; schisma, vel sententia Ecclesiae, quae opponatur Baptismo. Sive ut ait Canus l. 4. De loc. Theol. c. 2., *quemadmodum Ecclesia, hoc est Respublica Christiana, non interiore solum fide constituitur, sed baptismi etiam exteriore Sacramento, sic ejus partes non interior modo infidelitas, sed schisma, externique judicii divisio separat.*

Quibus praemissis, progrediamur ad controversias Catholicos inter, et haereticos super notione Ecclesiae; ex iis enim alii, ut Donatistae, et Novatiani, testibus D. Cypr. *l. 4. ep.* 2., et D. Aug. *l. de haer. c.* 69., docuerunt, non esse de Ecclesia, nisi omnes, et solos fideles, qui numquam lapsi essent circa fidei confessionem; alii, ut Cathari, et Pelagiani, solos perfectos, et nulla peccati sorde pollutos; alii, ut Wiclefus, et Joannes Hus, solos praedestinatos; alii, ut Lutherus, ac novissime Quesnellus, ejusque discipuli, solos justos; alii, ut Calvinus, solos justos praedestinatos, idest solos credentes, ex Calvino enim sola fides justificat, et semel obtenta, nequit amplius amitti. Haec igitur ex praefatis Haereticis vera Christi Ecclesia, quam proinde et ipsi invisibilem esse docuerunt: ac tantum praeter hanc invisibilem aliam quamdam externam, et improprie dictam, in qua sunt boni simul, et mali, tum Lutherani, tum Calvinistae admittunt. Sit modo contra omnes.

Prop. 1. Vera Christi Ecclesia est visibilis. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex c. 2. Js., ubi hoc de Christi Ecclesia vaticinium legitur: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et dicent: venite, ascendamus ad montem Domini.* Quid luculentius, quam quod omnibus futura esset patula, et visibilis? 2.° ex c. 18. Matth., ubi Christus fraternam correctionem praecipiens, *Si peccaverit* (inquit) *in te frater tuus, corripe eum inter te, et ipsum solum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus.* Nisi autem Eccle-

sia esset visibilis, quomodo ad eam deferri possent peccantes? 3.° ex c. 16., et 18. ejusdem, ex quibus constat, ita Christum instituisse Ecclesiam, ut alii praesint, doceant, praecipiant, alii subsint, discant, et obtemperent. Quod et confirmatur ex c. 20. Act., ubi Episcopis praecipitur: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ex 1. Pet. c. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, forma facti gregis ex animo.* Et ex ep. ad Eph. 4., quod Deus in Ecclesia *dedit quosdam Apostolos, alios autem Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi.* Nisi autem Ecclesia esset visibilis, ubinam forent, qui præessent, docerent, præciperent, et qui subessent, discerent, obtemperarent; et quomodonam Episcopi, et Pastores suos subditos gubernare, docere, et hortari possent, eosque pascere salutaribus doctrinis, et Sacramentis? 4.° ex ep. ad Galatas c. 1., ubi Ap., *persequebar* (ait) *Ecclesiam Dei, et expugnabam illam.* Coetum autem invisibilem nemo potest persequi; et si Ap. Ecclesiam Dei expugnabat, necessario videbat, ubi ipsa Ecclesia existeret. 5.° ex eo, quod ait idem Ap 1. ad Tim. 3. *Ut scias, quomodo oportet te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi.* Quis autem conversari potest cum invisibilibus? 6.° ex c. 1. ep. 1. ad Cor., ubi Ecclesia vocatur ab eodem societas Filii Dei J. C. illis verbis: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem Filii ejus.* J. C. Omnis autem societas esse debet visibilis, ut nempe Socii se invicem cognoscant, et mutuis adjuvent auxiliis. 7.° ex eo quod Ecclesia est quoque societas illa, cui concredita sunt eloquia Dei, depositum nempe Divinae revelationis, quo media necessaria ad salutem, quidque credendum, vel agendum sit, demonstratur, ut omnibus via salutis pateat. Quod cum ita sit, dicendum profecto, quod sicut Deus vult omnes homines salvos fieri, ita disponere debuit, ut omnibus patens, et visibilis esset Ecclesia, e qua unusquisque sibi salutis media conquireret. 8.° ex eo quod Ecclesiae velut basis, et fundamentum est fides. *Fides* autem (ait Ap.) est *ex auditu; quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur (Ad Rom. 1.)?* Quae omnia sunt totidem visibilitatis Ecclesiae argumenta. Ecclesiae item est, nedum

nos docere veram fidei doctrinam, ac verum Dei cultum per praeceptorum observantiam, Sacramentorum usum, Sacrificii oblationem, &c., sed et proferre judicium de Scripturis canonicis, earumque sensu, quod nonnisi ab Ecclesia petendum esse, ostendimus *tract.* 1. *c.*2. *prop.* 1., *et sequ.* Haec autem omnia ejus visibilitatem exigunt, nec cum illius invisibilitate congruere ullatenus possunt. Demum ex eo quod Respublica, cujus ignorarentur Caput, et Magistratus, esset profecto pessime constituta. Hujusmodi autem esset Ecclesia, nisi esset patula, et visibilis.

Objic. 1.° ex Scripturis et quod ait Christus Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est.* Et quod ait Jo. 4. *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, et veritate.* Et quod ait D. Petrus ep. 1. c. 2. *Et ipsi, tamquam lapides vivi, superaedificamini domus spiritualis.* Et Ap. ad heb. 12. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, sed accessistis ad Sacramentum, Civitatem Dei viventis, Cœlestem Jerusalem.* Haec autem omnia dicuntur de Ecclesia: Ergo invisibilis.

R. ad 1.m., et 2.m neg. min.; quoad 1. namque, per Regnum Dei ibi intelligitur gratia, vel ipse Christus gratiae auctor, qui inter eos, quos alloquebatur, aderat. Quoad alterum vero, per adorationem in spiritu intelligendus est cultus internus cum vero affectu placendi Deo, quem Christus eo loci opponit cultui mere externo, quem Samaritani, et plerique Judaeorum Deo reddebant. Ad 3. vero, et 4. neg. cons.; dicitur enim Ecclesia domus spiritualis, et Sacramentum, quia spiritualem cultum Deo reddit per fidem, ac spiritualem, aeternamque mercedem ab eo expectat; nec non Cœlestis Jerusalem, tum quia nedum homines viatores, sed et comprehensores cum Sanctis Angelis complectitur, tum quia Cœlum est Christianorum Patria, et haereditas.

Objic. 2.° quod Ecclesia est objectum Symboli, ideoque fidei. Quod autem videtur neque est, neque esse potest fidei objectum: Ergo.

R. 1.° dist. maj; quod nempe est fidei objectum, quatenus Christi Ecclesia, et ob fidem, quam profitetur; non vero quatenus coetus hominum unius, ejusdemque fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione conjunctus sub regimine legitimorum Pastorum, et praesertim Romani Pontificis. Quemadmodum

nempe dum Christus in Cruce pendebat, ab ambobus quidem latronibus, qui a dextris, et a sinistris ejus aderant quoque crucifixi, videbatur, sed quod esset Deus, non videbatur, quod proinde unus tantum ex eis credidit: simili fere modo quod adsit societas hominum baptizatorum sub regimine Summi Pontificis, et aliorum Pastorum, omnes tam fideles quam infideles vident; quod vero haec Societas sit a Deo instituta, a Spiritu Sancto regatur, ac nulli extra eam speranda sit salus, non videtur, sed a Catholicis creditur. Sed et resp. 2.° neg. min; utique enim sub diversa ratione potest idem et credi, et evidenter cognosci; prout Dei existentia, etc.

Prop. II. Caeteris positis, nec soli praedestinati, nec soli justi, nec multo minus soli puri, sed reprobi quoque, et peccatores sunt de Ecclesia. Est de fide.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Script.; ut ex Matth. 3., ubi ita Christus: *Permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igne inextinguibili.* Per aream autem Ecclesia, per triticum electos, et per paleas igne aeterno comburendas reprobos significari, commune est apud DD., et ex se patet: Ergo... Et c. 13. Ecclesiam comparat *sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti*, ex quibus boni in vasa, mali autem foras mittentur. Pro bonis autem electos, pro malis reprobos significasse, patet ex verbis paullo post sequentibus, quibus dixit, quod mali forent mittendi *in caminum ignis*: Ergo... Et c. 22 eam comparat convivio nuptiali, ad quod boni, malique intrarunt, et ex quo postea non habentes nuptialem vestem projicientur in tenebras exteriores, unde ipse Christus concludit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quid autem clarius, quam quod multi sunt in Ecclesia, qui tamen non sunt praedestinati? Et c. 25. eam comparat decem virginibus, quarum quinque sunt prudentes, et quinque fatuae. Prudentes autem, ut pergit, ad nuptias intrabunt, ac proinde electos significant; fatuae vero a Sponso audient *nescio vos*, ac proinde reprobos denotant. Ibidem quoque eam comparat ovili, in quo sunt oves cum haedis. Oves autem, ut Christus ipse exponit, electos, haedi reprobos innuunt: Ergo. Demum D. Jo c. 1., postquam ait, quod *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, aitne *iis quos praescivit esse credituros?* Non; sed *his qui credunt in nomine ejus*. Et D. Petrus ep.

1.c. 2. primos illos fideles alloquens, *qui aliquando* (ait) *non populus Dei, nunc autem populus Dei*. Et Ap. ad Eph. 2. *eratis* (inquit) *illo in tempore alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum. Jam autem non estis hospites, et advenae, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei etc.* Porro si de Ecclesia non essent, nisi praedestinati, nec potestas filios Dei fieri esset ex fide, sed ex praedestinatione; nec ii, quos D. Petrus alloquebatur, aliquando non populus Dei fuissent; nec Ephesii, quibus Ap. scribebat, prius fuissent alieni, et hospites, deinde cives Sanctorum et domestici Dei: Ergo.

2.° Ex Conc. Constant., ubi error, quod soli praedestinati ad Ecclesiam pertineant, damnatus fuit in Wiclefo.

3.° Ex PP.; ita enim D. Cyprian. *l.* 3. *ep.* 3., *et L.* 4. *ep.* 2., ubi aperte docet, in Ecclesia esse electos, et reprobos. Jta etiam D. Aug. *tr* 45 *in Jo.*, ubi: *Secundum praescientiam Dei, et praedestinationem quam multae oves foris, quam multi lupi intus!*

4.° Ratione; si enim Ecclesia non coalesceret, nisi ex praedestinatis, non esset visibilis, sed prorsus invisibilis. Est autem patens, et visibilis, ut prop. ant. ostendimus: Ergo. Cui accedit, quod si coalesceret ex solis praedestinatis, dum fideles, et justi, sed tamen reprobi, non essent de Ecclesia, e contrario et haeretici notorii, et excommunicati, et catechumeni, et schismatici, modo tamen praedestinati, essent de Ecclesia. Nemo autem horum est de Ecclesia, ut supra etiam ostendimus: Ergo.

Prob. 2. pars. Et 1.° ex Scripturis; ut ex Christi verbis Matth. 16. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, et Publicanus.* Porro si delinquentes tunc habendi sunt, sicut Ethnici, idest ab Ecclesia abscissi, cum eam non audierint, hoc ipso ante id tempus dicendi erant de Ecclesia: Ergo. Jtem ex parabolis, quarum supra meminimus, ubi Ecclesia comparatur et areae, in qua permixtae sunt paleae cum tritico, idest peccatores cum justis; et sagenae missae in mare bonos, ac malos pisces congreganti, justos nempe, ac peccatores; et convivio, in quo reperitur homo non habens vestem nuptialem, per quam gra-

tia sanctificans intelligitur; et decem Virginibus, ex quibus quinque sunt prudentes, et quinque fatuae, charitate videlicet destitutae. Ex quibus omnibus quid clarius, quam quod Ecclesia ex justis, et peccatoribus coalescit? Apud Luc. quoque c. 12 in Christi familia servus nequam invenitur: et Matth. c. 23. nisi Christus intelligeret, malos Ecclesiae suae non partes quaslibet, sed primas etiam aliquando futuros, non monuisset profecto: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. Quaecumque dixerint vobis, facite; secundum autem opera eorum nolite facere.* Demum Ap. 1. ad Cor. 5., *omnino* (ait) *auditur inter vos fornicatio; et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Quod autem pessimus ille fornicator adhuc tamen fuerit de Ecclesia, patet tum ex verbis immediate sequentibus: *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit?* Tum ex sententia, qua Ap. inquit, illum Satanae tradidisse: Ergo.

2.° Ex Conc. Const. sess. 15., ubi damnata fuit hæc Io: Hus prop.° *Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Si autem peccatores non essent de Ecclesia, neque etiam Episcopus in peccato mortali esset Episcopus, implicat enim, contradictionem, quod qui non est de Ecclesia, sit tamen Ecclesiae Praelatus: Ergo.

3.° Ex PP.; ita enim D. Aug. tr. 6. in Io. *Si Arca figurabat Ecclesiam, videtis utique, quia necesse est, ut in isto diluvio saeculi utrumque genus contineat Ecclesia, et corvum, et columbam . . Mali, et boni sunt in Ecclesia.* Et l. de Bapt. contra Petilian. c. 16. *Intra istam Arcam Catholicae Ecclesiae boni, et mali esse possunt; extra eam boni esse non possunt.* Et l. 3. cont. litt. Petiliani c. 12. *Homo sum de Area Christi. Palea, si malus; granum, si bonus.* Et ser. 223. *Ecclesia hujus temporis areae comparatur, habens mixta grana cum paleis, habens permixtos malis bonos.* Ita quoque D. Hier, qui *in Dial. cont. Luciferianos* sic scribit: *Arca Noe Ecclesiae typus fuit. Ut ibi pardus, et haedi, ita in Ecclesia justi, et peccatores.* Ita et alii.

4.° Ex Const. *Unigenitus*, ubi multae Quesnelli prop., quibus peccatores ab Ecclesia excluduntur; damnatae fuere.

5.° Ratione; est enim Ecclesia, ut prop. ant. osten-

dimus, patens, et visibilis. Hujusmodi autem non esset, sed prorsus invisibilis, si ex solis justis coalesceret: Ergo. Cui accedit, quod Poenitentiae Sacramentum profecto iis, qui sunt de Ecclesia Christus paravit. Frustra autem illud iis parasset, si nulli essent peccatores in Ecclesia: Ergo..

Prob. 3. pars. Et 1.° iisdem momentis, quibus ostendimus, quod, cæteris positis, ipsi quoque peccatores sunt de Ecclesia. Quibus accedit, quod si Ecclesia coalesceret ex solis puris, nullibi in terris esset Christi Ecclesia; siquidem, ut ajebat D. Io. ep. 1. c. 1., *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Omnibus item praecepit Christus orare illis verbis: *Dimitte nobis debita nostra*; quia nempe, ut ait D. Iacobus c. 3. *In multis offendimus omnes*; utque prius dixerat Regius Psaltes Ps. 142. *Non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens.* Et l. 3. Reg. c. 8. dicitur, quod *non est homo, qui non peccet.*

Objic. 1.° cont. 1. p. ex Script. illud Cant. 4., ubi Ecclesia dicitur *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium.* Hæc autem D. Aug. *l. 5. de Bapt. c. 27.* de solis electis docet esse intelligenda: Ex his tantum igitur Ecclesiam coalescere, dicendum est. Item, quod tam Io. 10., quam Matth. 25. comparatur ovili; ex quo sequitur, quod coalescere nequit, nisi ex ovibus Christi. Hæ autem non sunt, nisi electi; ait enim Christus l. c. Io. *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego vitam æternam do eis*: Nonnisi ergo ex electis coalescit. Item, quod ex 1. Pet. c. 3. Arca Noe fuit typus Ecclesiae, ut docent quoque D. Aug., et D. Hier. l. supra cit. In Arca autem non fuerunt, nisi tantum salvandi: Neque ergo in Ecclesia, nisi tantum electi.

R. 1. neg. cons.; etenim per figuram *synecdochen* pleraque de toto prædicantur, quæ tamen non conveniunt, nisi aliquibus ejus partibus; idque sæpius est in usu, cum de civitate, de populo, aliove cætu res agitur. Sic populum robustum gentem bellicosam appellamus; non quod omnes illius populi, ac illius gentis robusti, ac bellicosi sint, sed quod viri ex iis ad bellandum selecti hujusmodi esse soleant. Sic etiam homo agere, vel pati dicitur, quæ manus, ac pes vel agit, vel patitur. Quod et aliis exemplis declarari posset. Nil mirum proinde, quod etiam Ecclesia dicatur *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium* ratione electorum, quos simul cum re-

prob's comprehendit ; idque eo congruentius , quod nedum ejus partes sunt, sed nobiliores quoque , ac principes ejus partes; utque docet Aristotiles , id quævis Societas aut esse , aut facere dicitur , quod in ea primarii , aut optimates esse dicuntur , aut facere. Sic urbs, cujus præcipui cives sunt prædivites , dives simpliciter dicitur. Ad D.Aug. vero resp. , quod *l.* 2. *Retr. c.* 18. ait , locutum se esse de triumphantis Ecclesiæ gloria, in qua vere soli sunt electi.

Ad 2. resp. 1.° neg. sequ. maj. ; licet enim Ecclesia sit Christi ovile , coalescere tamen potest ex ovibus simul , et hædis. 2.° neg. min. ; licet enim in allato textu Christus intelligat pro ovibus nonnisi electos, in aliis tamen Scripturae locis intelliguntur pro ovibus etiam reprobi ;. ut Is. 53. *Omnes nos , quasi oves erravimus.* Et Ps. 73. *Iratus est furor tuus super oves pascuae tuae.* Et Matth. 10. *Non veni , nisi ad oves , quae perierant, domus Israel.* Et maxime Jo. 21., ubi Christus Petro dixit: *Pasce oves meas* ; quis enim dicet, curam dumtaxat electorum Christum Petro tradidisse, cum omnibus ejus Successoribus quæsiturus sit in die Judicii , si quod infirmum fuit, consololidaverint , quod ægrotum , sanaverint, quod confractum , alligaverint , quod abjectum , reduxerint , quod , perierat , requisierint ? 3.° Neg. cons. ; licet enim pro Christi ovibus soli electi intelligerentur , recte etiam Ecclesia per figuram *synecdochen* Christi ovile diceretur , denominationem sumendo a praecipuis ejus partibus , quales sunt electi.

Ad 3. resp. dist. maj. ; quod nempe Arca Noe fuit typus Ecclesiae , tum quia sicut nemo extra Arcam Noe salvus fuit ab universali illa aquarum inundatione , ita nemo extra Ecclesiam salvus umquam fuit , vel erit ; tum quia sicut in Arca Noe et munda , et immunda animalia servata fuere, ita in Ecclesia et justi, et peccatores sunt, ut et D. Aug. , et D. Hieron. locis supra cit. interpretantur. Falsum tamen est fuisse typum Ecclesiae, eo quod de Ecclesia non sint , nisi salvandi ; postquam enim D. Petrus ait , quod sicut in Arca Noe octo *animae salvae factae sunt per aquam , ita et vos nunc simills formae salvis facit baptisma* , immediate addidit: *Non carnis depositio sordium , sed conscientiae bonae interrogatio* : si quod nempe intrando in Ecclesiam per baptismum professi fuimus , operibus comprobemus.

Objic. 2.° Cum Christus sit Ecclesiae Salvator , il-

lius profecto Ecclesiae Caput dicendus est, quam salvabit. Non salvabit autem, nisi tantum electos : Hi tantum igitur de ejus Ecclesia sunt dicendi.

R. dist. maj. quod nempe illius tantum Ecclesiae Caput dicendus esset, quam salvabit, si quos non salvabit, ideo perirent, eo quod Christus non fuerit sufficienter eorum quoque Salvator; non vero, cum pereant ex propria culpa, et malitia, licet Christus sufficienter, et quantum in se erat, eorum quoque Salvator fuerit; pro omnibus enim, et non tantum pro praedestinatis, mortuum esse, et sanguinem fudisse, tantique pretii oblatione omnibus media promeruisse ad salutem sufficientia, fides docet, et nos suo loco luculentissime demonstrabimus.

Objic. cont. 2. p. ex Scrip. 1.° quod dicitur de Ecclesia Cant: 4. *Tota pulchra es, et macula non est in te*; nec non quod de eadem ait et Isaias 52. *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, et immundus*; et Ap. ad Eph. 5., quod *Christus seipsum tradidit pro ea, ut exhiberet eam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata.* Haec autem omnia peccatores excludunt ab Ecclesia : Ergo. . 2.° illud Jo. ep. 1. c. 3. *Omnis, qui peccat, non cognovit eum.* Et : *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Et : *Non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quod cum ita sit, quisquis peccat, numquam dicendum est, Deum per Ecclesiam cognovisse, ipsique natum esse per Baptismum, qui est Ecclesiae janua : Ergo . . 3.° illud Ap. ad Rom. 8. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Peccatores autem Spiritum Christi non habent : Non igitur Christi, idest de ejus Ecclesia.

R. ad 1. neg. min.; allata enim testimonia, D. Aug. interprete de triumphante in Coelis Ecclesia intelligenda sunt, non de militante in Terris : *Non quae jam sit* (ita nempe S. D. l. 2. Retract. c. 18.), *sed quae praeparatur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa.* Cujus quoque rationem reddens l. de perf. just., *cum enim* (ait) *non tantum Apostolus dixerit, ut exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, sed addiderit gloriosam, satis significavit, quando erit sine macula, aut aliquid hujusmodi, tunc utique, quando gloriosa. Non enim modo in tantis scandalis, in tanta permixtio-*

ne hominum pessimorum , in tantis opprobriis impiorum dicendum est , eam esse gloriosam. Nam si Dominus ipse non fuit glorificatus, nisi resurrectionis gloria, quomodo dicenda est ante resurrectionem suam Ecclesia ejus esse gloriosa? Quod si etiam de militante in Terris Ecclesia intelligi velint, recte etiam dicitur de ea, quod tota pulchra est , et macula in ea non est , aut ruga , tum per figuram *synecdochen* ob ejus membra, quae ejusmodi sunt , tum ob sanctitatem doctrinae , et morum , quam docet , et praecipit ; tum denique ob efficientiam baptismi , qui omnes omnino eorum , qui in Ecclesiam per illum ingrediuntur, culpas, et maculas delet , ita ut in iis , quemadmodum ait Ap. ad Rom. 8. , *nihil damnationis* relinquat.

Ad 2. neg. etiam min. ; ut enim idem D. Aug. praefata verba exponit *hom*, 4. *in hanc Jo. ep.*, nec non *l.* 2. *de bapt. parv. c.* 8. , *et l.* 2. *cont. Parmen. c.* 7. , eique adhaeret D. Th. 2. 2. *q.* 24. *a* 11. *ad* 1., quisquis peccat non cognoscit Deum, quatenus peccat, quia peccatum non a fide, et scientia, sed ab alienatione a fide, et ab ignoratione proficiscitur. Sicut etiam qui sunt filii Dei, quatenus sunt filii Dei , et quamdiu filii Dei sunt , non peccant , tum quia semen ipsius, hoc est Charitas, in illis manet; tum quia sicut arbor bona , nisi vitietur, non potest malos fructus facere , sic quisquis est filius Dei , crimen ullum, ac flagitium committere nequit , nisi filius Dei esse desierit.

Ad 3. neg. cons. ; inde enim sequitur , quod peccatores non sint in Ecclesia , tamquam viva Christi membra , ac palmites fructuosi in vite ; non vero , quod neque etiam in ea sint , tamquam ejus membra arida, quae motum aliquem habeant tum ob externam unionem cum reliquo corpore , quod Christi Spiritus movet , tum ob fidei professionem , quae eos non desinit ad poenitentiam provocare , ut vitam denuo adipiscantur.

Objic. 2. D. Aug. , qui *l.* 6. *de bapt. c.* 3. de peccatoribus scribit : *Non pertinere ad Sanctam Ecclesiam Dei , quamvis intus esse videantur , ex hoc apertissime apparet , quia isti sunt avari , raptores , foeneratores , invidi , malevoli , et caetera hujusmodi ; illa autem columba , unica , pudica , et casta , sponsa sine macula , et ruga.* Et *l.* 2. *contra Crescon. c.* 21. , impios, ait, *propter malam , pollutamque conscientiam in corpore Christi non esse , quoniam non potest Christus habere membra*

damnata. Et c. 22., nec non *l. de unit. Eccl. c.* 21., et *l.* 3. *de Bapt. c.* 18. probat contra Donatistas, immerito repetere Baptismum ab haereticis collatum, eo quod haeretici non sunt de Ecclesia, dum simul illum a gravioribus etiam peccatoribus collatum non repetebant. Supponit ergo S. D., quod peccatores, aeque ac haeretici, non sunt de Ecclesia, secus namque secum ipso non cohaereret. Similia etiam habet D. Hier. *in c.* 5. *ep. ad Eph:*, ait enim: *Qui peccator est, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici.* Celebre quoque est illud D. Cypr. *l. de. unit. Eccl.*, neminem scilicet habere posse Deum Patrem, qui Ecclesiam Matrem non habet, et similiter habere Ecclesiam Matrem, qui Deum Patrem non habet. Non habent autem Deum Patrem, nisi soli justi: Neque ergo, nisi hi soli habent Ecclesiam Matrem, idest sunt de Ecclesia.

R. Et quidem ad 1., sensum D. Augustini esse, peccatores non pertinere ad Ecclesiam, tamquam viva ejus membra, quamvis sint de Ecclesia, tamquam membra arida, et mortua: cujus proinde sunt pars, sicut membrum mortuum non desinit esse pars corporis vivi, donec ab eo non abscindatur. Hanc vero esse ipsius mentem, patet tum ex aliis ejusdem testimoniis supra relatis, tum ex *l.* 7. *de Bapt.*, *c.* 52. ubi, hoc, ait, relate ad Ecclesiam, discrimen esse haereticos, et schismaticos inter, ac peccatores, quod haeretici, et schismaticis sunt et spiritualiter, et corporaliter ab ea separati, peccatores vero tantum *spiritualiter separati sunt. Et tr.* 61. *in Io.* ait de peccatoribus, quod sub diverso respectu sunt simul, et non sunt in Ecclesia; in qua scilicet sunt *secundum communionem Sacramentorum*, non sunt *secundum suorum proprietatem criminum*, cum ob haec charitate, et gratia sanctificante destituantur, quae est veluti anima Ecclesiae. Quod vero depromptum est ex l. contra Crescon., durius quidem est: eamdem tamen ibi esse S. D. mentem, satis ex dictis colligitur. Renuebat nempe S. D. peccatores vocare Ecclesiae membra, quia membra arida, et mortua, cujusmodi sunt peccatores in Ecclesia, non satis proprie dicuntur membra, utpote quae vere, et proprie sine vita ne intelligi quidem possunt. Ex eo tamen quod renuebat eos vocare Ecclesiae membra non sequitur, quod eosdem nec etiam habuerit, tamquam partes Ecclesiae, nomen siquidem partis latius diffundi-

tur, nomen membri contractius est, quia pars ad totum refertur, quare etiam sine vita invenitur in lapide, ligno, et caeteris hujusmodi; membrum vero refertur ad animantis corpus, quare ubi membrum non sit animatum, immerito, aut saltem non satis proprie dicitur membrum.

Illud demum, quod scribit contra Donatistas, minus negotii facessit, quippe quod contra eos argumentabatur, non ex propria, sed ex eorum sententia. Admittebant nempe Donatistae, nec iterabant baptismum a gravioribus etiam peccatoribus collatum, et simul rejiciebant, iterabantque illum collatum ab haereticis, eo quod (ajebant) cum haeretici non habeant Spiritum Sanctum, nequeunt Spiritum Sanctum conferre. Instabat proinde contra eos S. D., quod si ejusmodi eorum ratiocinatio haberet locum, dicendum esset, vel quod valide baptizant et peccatores, et haeretici, vel quod nemo eorum valide baptizat, cum aeque et peccatores, et haeretici Spiritum Sanctum non habeant. Quis porro non videt, quod argumentabatur S. D. contra illum Donatistarum errorem, non ex eo quod tam haeretici, quam peccatores non sint de Ecclesia; sed ex eo quod Spiritum Sanctum aeque ambo non habent?

Verbis modo D. Hier. breviter respondemus, peccatores excludere ab Ecclesia, quatenus charitate, et gratia sanctificante informatur; absolute enim intelligenda non esse, alia ipsius verba inter probationes allata, satis, superque declarant. Ad id vero, quod additum est ex D. Cypr., respondemus, quod licet juxta frequentiorem usum nemo dicatur habere Deum Patrem, nisi qui est justus, non raro tamen id quoque dicitur universim de omnibus, qui per baptismum sunt Christo, et Ecclesiae geniti, inter quos sunt quoque improbi, ac stulti filii, quos patris, matrisque cura parturire iterum gestit. Et sane quod ad eos etiam, qui paternae bonitatis, et sapientiae effigiem eluerunt, nomen filii interdum in Scripturis extendatur, patet ex illis Deut. verbis c. 32. *Nonne ipse est Pater tuus? Generatio autem perversa est, et infideles filii.* Et Js. 1. *Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Et Jer. 3. *Convertimini, filii, revertentes, et sanabo aversiones vestras.*

Objic. 3.° Quod Ecclesia sit sancta, fidei articulum esse, nemo ignorat. Si autem sancta, nonnisi ex Sanctis, dicendum est, eam coalescere: Ergo.

R. neg. sequ. maj. ; quamvis enim ex justis simul, et peccatoribus coalescat, dicitur tamen sancta, tum quia nulli vel sunt, vel esse possunt sancti extra ipsam; tum ob sanctitatem et Capitis, qui est Christus, Sanctus Sanctorum, et totius sanctitatis fons, et tot absque numero membrorum, quæ nobiliorem, ac præstantiorem ejus partem constituunt; et doctrinæ, ac praeceptorum, quibus nihil sanctius, et ad fideles sanctificandos accomodatius; et baptismi, qui omnes omnino maculas delet, et in ep. ad Tit. c. 3. dicitur ab Ap. *lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effundit in nos abunde*; et demum cæterorum Sacramentorum, quæ ad sanctitatem, ejusque perfectionem conferendam mirabiliter æque, atque efficaciter ducunt.

CAPUT. II.

De notis Ecclesiae.

Per notas veræ Ecclesiæ intelliguntur *illae verae Ecclesiae proprietates, per quas solas admittenti Divinas Scripturas, et credenti in Christum, ac aliquam Christi existere Ecclesiam, evidenter morali evidentia innotescit, hanc, et non aliam esse verum Christi Ecclesiam.* Diximus *admittenti Divinas Scripturas*; quæ enim sit vera Dei vivi Ecclesia, ex ipsius Dei verbo discere debemus.

Ex allata autem definitione sequitur, quod ut verae sint, quae producuntur, tamquam notae Ecclesiae, requiritur 1.° ut sint quid sensibile: quod argumentatione non eget. 2.° ut sint notiores ipsa Ecclesia, ignotum namque, vel minus notum non cognoscitur per aeque ignotum, vel minus notum, sed per notius. 3.° ut sint juxta omnium captum; cum enim omnes teneantur veram Christi Ecclesiam ingredi, ut salvi fiant, velitque Deus, omnes homines salvos fieri, omnium proinde captui aptare debuit notas, per quas veram Christi Ecclesiam cognoscerent. 4.° ut nonnisi verae ipsius Ecclesiae conveniant; cum enim nihil ab alio discernatur per determinationes aliis communes, sed per determinationes proprias, et individuales, neque etiam vera Christi Ecclesia discerni potest a sectis, quae etiam Christiano nomine se jactant, nisi per notas ipsi proprias, et individuales, seu quae ipsi soli, ac nonnisi ipsi soli conveniant.

Quibus praemissis, has verae Ecclesiae notas septem esse, docuit Lutherus *l. de Conc.*, *et Eccl.*: 1.° veram, et incorruptam praedicationem Evangelii. 2.° legitimam administrationem baptismi. 3.° legitimum usum Eucharistiae. 4.° legitimum usum clavium. 5.° legitimam electionem Ministrorum, qui doceant, et Sacramenta ministrent. 6.° Orationem publicam, et Psalmodiam, et Catechismum, et quidem lingua, quae intelligatur ab omnibus. 7.° Mysterium Crucis, idest tribulationes intus, et extra; intus nempe, quas efforment moestitia, pusillanimitas, terrores; extra, quas constituant paupertas, contemptus, et haberi, tamquam haereticus, et cacodaemon. Brentius vero, Melacthon, Calvinus, et Centuriatores duas tantum notas proposuere, sinceram nempe verbi Dei praedicationem, et legitimum Sacramentorum usum. Quod tamen praefata notarum requisita inanibus hisce ab haereticis excogitatis non conveniant, cuivis consideranti fit perspicuum: et praecipue tum quia omnes haereticorum sectae se jactant de sincera Verbi Dei praedicatione, et legitimo Sacramentorum usu, etc.: tum quia, cum sincera fidei doctrina, et praedicatio nequeat nobis, nisi per Ecclesiam certo innotescere, ut ostendimus tr. 1. c. 2. prop. 1., ex sequ., necesse est idcirco, ut prius nobis innotescat, quaenam sit vera Christi Ecclesia, ac deinde per eam sincera fidei doctrina, et praedicatio innotesci poterit.

Rejectis proinde haereticorum deliramentis, omnes DD. Catholici has quatuor docent esse notas verae Christi Ecclesiae, quod nempe sit Una, Sancta, Catholica, et Apostolica; easque omnes soli Ecclesiae Romanae, seu cui praeest Rom. Pontifex, convenire, ideoque extra eam neminem salutem consequi posse. Cum quibus sit

Prop. 1.ª Verae Christi Ecclesiae notae sunt, quod est Una, Sancta, Catholica, et Apostolica; nec omnes, ac singulae, nisi soli Ecclesiae Romanae, seu cui praeest Rom. Pontifex, conveniunt. Est de fide.

Prob. 1. pars. Et 1.° *Unam* esse veram Christi Ecclesiam, patet 1.° ex Script.; de ea enim dicitur Cant. 6. *Una est columba mea.* Et Jo. 10. ait Christus: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor*; significans scilicet per oves, quae ex ejus ovili non erant, Gentiles; quos ad se adducturos, ac cum Judaeis, qui ejus fidem ample-

eterentur, unum ovile sub uno Pastore facturos, praedixit. Et 1. ad Cor. 12. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*. Et ad Eph. 4. *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus*.

2.° ex Symbolo Apostolorum; quo profitemur credere *in S. Ecclesiam Catholicam*. Et in Symb. Constantinopolitano I. profitemur credere *in Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam*. Quare C. *Unam Sanctam de Majorit., et Obed. inter commun.* ita habetur: *Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam, et ipsam Apostolicam urgente fide credere cogimur, et tenere, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum*.

3.° Ex eo quod una est 1.° ob unitatem principii, idest Dei; nam, ut disserit D. Aug. ser. 103., alias 26. de verbo Dom., *Deus unus, Ecclesia una. Non respondet uni, nisi unitas*. 2.° ob unitatem ejus Capitis, tum invisibilis, quod est Christus; ut enim (ait Ap. ad Eph. 1.), *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*; utque addit c. 2. *in eo omnis aedificatio constructa crescit*; tum visibilis, cum enim Ecclesia sit visibilis ex ostensis c. ant pr. 1., visibile etiam Caput in ea agnoscendum est, neque hoc vel est, vel esse potest, nisi unum: vocatur enim Ecclesia ab Ap. 1. ad Cor. 12, *Corpus Christi*; ac unum tantum Caput, non duo, habet corpus, quod non sit monstruosum. Vocatur item Luc. 1. *Christi Regnum*; ac Regnum unum Regem, unum Caput postulat, duos namque Reges, ac duo Capita habens, desolabitur. 3.° ob unitatem doctrinae, idest fidei, nam *una fides*, ut ait Ap. loco supra cit; utque ibidem subdit, *donec occurramus omnes in unitatem fidei*; nisi enim sit una omnium communis fides, nec una quidem Religio erit; cumque et fides sit quasi oculus corporis Ecclesiae, non possent homines diversa credentes eumdem habere scopum, et finem. 4.° ob unitatem mediorum ad salutem ducentium, tum internorum, quae sunt fides, spes, charitas, tum externorum, quae sunt Sacramenta. 5.° ob unitatem Sacrificii, in quo omnes, ut ait Ap. 1. ad Cor. 1., *de uno pane participamus*. Quae licet omnia non pertineant ad unitatem Ecclesiae, quatenus ejus nota, eam tamen unam esse, evidenter commonstrant.

Diximus, quod praefata omnia *non pertinent ad unitatem Ecclesiae, quatenus ejus nota*: unitas enim verae

Christi Ecclesiae, quatenus ejus nota, coalescit tantum ex unitate doctrinae, et ex unitate ejus Capitis visibilis; caetera enim, ex quibus dicitur una, nec sunt quid sensibile, nec quid clarius ipsa Ecclesia; utque initio diximus, quaevis rei alicujus nota esse debet sensibilis, et clarior ipsa re, quam demonstrat. Et quidem quod unitas Ecclesiae, quatenus ejus nota, exurgat ex unitate ejus Capitis visibilis, satis jam paullo supra explicavimus. Immorandum tamen paullisper est super unitate doctrinæ; quae non sit nempe ulli vel contradictioni, vel mutationi obnoxia, sed quam omnes unanimiter, et constanter profiteantur, quin umquam audiatur vel contradictio linguarum, juxta illud Psalmistae vaticinium Ps. 30. *Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum*, vel variatio in credendo, ut enim dicitur Js. 40., *Verbum Domini manet in aeternum.* Et Ps. 118. *In aeternum, Domine, permanet verbum tuum; in generationem, et generationem veritas tua.* Et Ap. 2. ad Cor. *Fidelis Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est, et Non* (c.1.) Quid clarius tam ex his, quam ex aliis supra dictis, quam quod praefata doctrinae, idest fidei unitas assignatur in Scripturis, estque habenda, velut una ex notis, ex quibus vera Ecclesia dignoscitur? Fidei nihilominus unitatem non scindere, qui eam servant in articulis fundamentalibus, docent haeretici, quorum dux Iuriæus, Calvinianae sectae Minister; docentes nempe, universalem Christi Ecclesiam in varias societates diffusam esse, quae fundamentales fidei articulos profiteantur, etsi in aliis dissideant.

Haec tamen distinctio inter fidei articulos *fundamentales*, et *non fundamentales* non esse, nisi eorum figmentum, patet 1.° ex illis verbis Matth. 18. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, et Publicanus.* Et D. Jo. ep. 2. *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Et Ap. ad Rom. c. 16. *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, et offendicula, praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis.* Et ad Tit. c. 3. *Haereticum post unam, et secundam correptionem devita.* Ubinam autem in allatis textibus ullum praefatae distinctionis vestigium, cum absolute, et absque ullo discrimine dicatur, qui Ecclesiam

non audierit, habendum esse, tamquam Ethnicum, et Publicanum: qui aliam doctrinam ab Apostolica afferat, communicandum cum eo non esse: qui dissensiones, et offendicula praeter doctrinam, quam ab Ecclesia didicit, faciat, declinandum ab eo esse: qui post unam, et secundam correptionem non acquiescit Ecclesiae, vitandum esse? Ubinam, inquam, in allatis textibus ullum distinctionis vestigium inter doctrinam, et doctrinam, articulos, et articulos? 2.° quia, ut D. Cypr. disserit ep. 79, *numquam Dominus aliquam speciem haereseos designavit, sed omnes omnino haereticos adversarios suos esse ostendit, nec ipse ullam haeresim, aut schisma discrevit.* Et D. Aug. l. de haeresib. ait: *Possunt esse aliae haereses, quae in hoc opere commemoratae non sunt; quorum aliquam quisquis tenuerit, Christianus Catholicus non erit; modicum enim fermentum falsitatis totam massam corrumpit.* 3.° quia ex Christi institutione, ut ostendimus tract. 1. c. 2. pr. 1. et sequ., ac infra etiam fusius demonstrabimus, est Ecclesia, cui præest Rom. Pontifex, infallibilis Judex omnium controversiarum fidei. Quod cum ita sit, quisquis in hujusmodi ejus judicio non acquiescit, contra Christi institutionem agit, eique deobediendo, deobedit Christo; quod fieri posse absque salutis dispendio, quisnam dicere audebit? 4.° quia nec aliud Deo injuriosius, quam rebus ab eo revelatis varios tribuere auctoritatis gradus; nec aliud Ecclesiae perniciosius, quam ansam pravis hominibus praebere quasvis haereses profitendi, ac disseminandi. Id autem fit distinguendo inter fidei articulos fundamentales, et non fundamentales; quasi Dei verbum non sit aeque in omnibus ejusdem ponderis; et quasi liceat Ecclesiae resistere sub praetextu, quem quisque posset obtendere, quod non sit fundamentale quod credendum proponit. 5.° demum quia haec fundamentalium, et non fundamentalium articulorum distinctio totam antiquitatem latuit; penes quam immo solemne semper fuit, et pro ul dubio, esse de salutis necessitate omnes, ac singulas veritates a Deo revelatas, et per Ecclesiam propositas credere, et profiteri; nec, nisi haereticorum esse, *pacem* (ut ajebat Tertullianus L. 1. de Praescript. c. 4.) *passim cum omnibus miscere.* Ut enim pergit l. cit., et c. 42, *nihil interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent. Et hoc est, quod schismata apud*

haereticos fere non sunt, quia cum sint, non parent schismata, est enim unitas ipsa. Sive, ut idem paullo aliter dicamus, nullibi apud veteres Patres occurrit inanis hæc articulorum fundamentalium, et non fundamentalium distinctio; sed dum utique semper distinxere inter ea, quæ explicite a quovis Christiano tenenda, et credenda sunt, atque ea, quæ generatim, et implicite credere sufficit, pro hæreticis simul eos semper habuerunt, qui quemcumque ab Ecclesia definitum, et ad credendum propositum articulum pertinaciter negassent. Ita, Hier. teste, qui adversus Ecclesiæ definitionem Mosaicas cæremonias simul cum Evangelio servandas praedicabant, ut salus obtineri possit, tanquam haeretici, ac de societate Diaboli vel ipsa Apostolorum ætate habiti fuere, tametsi id de fundamentalibus fidei articulis juxta Novatores non esset. Ita et Aetius, qui negabat Episcopos esse Presbyteris superiores; et Donatistæ, qui baptismum ab hæreticis collatum iterandum asserebant, et Monothelitæ, qui unam in Christo voluntatem agnoscebant, etsi non errarent circa articulos fundamentales juxta hæreticorum figmentum, omnes tamen, velut hæretici, et fidei unitatem scindentes, habiti fuerunt.

Sanctam quoque esse veram Christi Ecclesiam, patet 1.° ex Script.; ita enim 1. Pet. 2. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta.* Et ad Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Et ad Tit. c. 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* 2.° ex Symb. Apostolorum, Symb. Constantinop., et ex C. supra relatis. 3.° ex bis, quæ diximus c. ant. resp. ad ult. Ex quibus quia sanctitas doctrinæ est evidens; eorum vero, qui ad ejus normam suam vitam exegerunt, et exigunt, est sensibus obvia; merito, optimoque jure est sanctitas altera verae Christi Ecclesiae nota. Idque confirmatur ex eo quod ipse Christus veritatem suæ Missionis ex operum, et morum suorum integritate probavit illis verbis ap. Jo. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et D. Chrysost. docet, Apostolos fidem meruisse non minus candore morum, quam miraculorum splendore.

Catholicam quoque esse veram Christi Ecclesiam, idest per totum Orbem diffusam, prædixerant Prophetae; de hac

enim ejus nota insigne illud oraculum Ps. 2. intelligitur: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Et Ps. 71. *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos Orbis terrarum.* Et paullo post: *Omnes Gentes servient ei.* Et Malach. 1. *Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Et Christus Apostolis praecepit Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes.* Et Marc. ult. *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quod autem Prophetae prædixerant, et Christus praeceperat, evenit, factumque est; ad hanc enim Ecclesiae notam recte, atque, ut par est, intelligendam, advertatur 1.°, quod licet Christi fides a multis Muudi regionibus primum amplexata fuerit, et deinde relicta, id tamen cum ejus Catholicitate non pugnat, tum quia nusquam vaticinati sunt Prophetae, nullum fore populum, qui fidem a se susceptam adulteraret, aut etiam abjiceret; tum quia idipsum Christus praedixerat Matth. 21., quod nempe aliquando in pœnam abusus fidei ipsum fidei donum subductum populis fuisset: *Auferetur* (inquiens) *a vobis Regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* 2.°, quod nedum omnibus Gentibus praedicata est, juxta praeceptum a Christo Apostolis factum: *Euntes docete omnes gentes; Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ;* et ab Apostolis executum, ut enim subdit D. Marcus l. c.: *Illi autem profecti, praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis;* verum etiam ipso Apostolorum tempore ita per totum Orbem se diffudit, ut scribere D. Paulus potuerit ad Coloss. 1. *In verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et in universo Mundo est, et fructificat, et crescit.* Et D. Justinus, qui 2.° saec. floruit, in *Apol. pro Christianis* ait, *nullum esse genus hominum, sive barbarorum, sive graecorum, sive etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, vel in plaustris degentium, vel domo carentium, vel in tentoriis viventium, et cum pecoribus vitam tolerantium, inter quos non fiant preces Patri, et Creatori ommium per nomen I. C. crucifixi.* Qua super re nemo etiam nescit, quod Rom. Imperium adeo totum Orbem pervaserat, ut dum D. Lucas narrat c. 2. edictum ad Augusto editum tempore Nativitatis Christi, quod totum ejus

Imperium describeretur, *exiit* (inquit) *edictum a Caesare Augusto*, *ut describeretur universus Orbis*. Attamen Tertull. *in Apol. pro Christianis c.* 37. potuit cunctis Rom. Imperio subjectis, qui adhuc in Christum non crediderant, objicere: *Hesterni sumus*, *et vestra omnia implevimus*, *Urbes*, *insulas*, *castella*, *municipia*, *conciliabula*, *castra ipsa*, *tribus*, *decurias*, *palatium*, *senatum*, *forum*: *sola vobis reliquimus Templa*. 3.° quod licet Christi fides a tot, tantisque Regionibus etiamnum exulet, id tamen petendum est ex vitio, et malitia hominum, et ita, ut vera Christi Ecclesia et Idololatria superstite, et singulis Mahumetarum, atque haereticorum sectis sit longe diffusior; non vero ex defectu legis Evangelicae, vel ita, ut vera Christi Ecclesia minus diffusa sit, quam Idololatria superstes, ac singulae Mahumetarum, atque haereticorum sectae. Et sane cum ex fide, et ex eventu constet, Evangelii praedicationi semper fuisse adnexa uberrima gratiarum auxilia, quibus ad illud amplectendum Auditores moverentur; cumque Christus jusserit, Evangelii lumen ad omnes populos ferri, atque ardens studium obeundi tam grande munus multis semper in Ecclesia inspiraverit, ac etiamnum inspiret: quis non videt, vitio, ac malitiae hominum tantum tribuendum esse, quod caeterum a tot Regionibus Christi fides etiamnum exulet? Attamen, quod vera Christi Ecclesia, ea nempe Societas, quae varias inter Societates Christianas ex ejus sinu egressas antiquitate, et auctoritate eminet, qualis est sola Ecclesia Romana, ut paullo infra videbimus, et Idololatria superstite, et singulis Mahumetarum, et haereticorum sectis longe sit diffusior, nemo negabit, qui consideret, quod nedum floret in Italia, Gallia, Hispania, Lusithania, Germania, Hungaria, Polonia, America, etc.; sed et in reliquis Mundi Regionibus, ut in Anglia, Hollandia, partibus Septentrionalibus, Graecia, Syria, Palestina, Africa, Armenia, Persia, Asia, Indiis variis, Oceani insulis, Sinarum imperio, ac suos quoque in magno numero habet cultores; et apud ipsas sectas a se separatas magnam quoque hominum multitudinem sibi vindicat, omnes nempe infantes baptizatos, et quotquot ex adultis fidem praecipuorum articolorum servant, et ignorantiae invincibilis causa a schismate, aut haeresi excusantur. Immo si moraliter, et juxta consuetum loquendi usum rem expendamus, eam ubique terrarum florere, dici etiam

potest. Nonne enim Dan. 7. dicitur, Alexandrum Macedonem, et subinde Romanos Universo Orbi imperasse? Nonne et de his, ut supra innuimus, D. Lucas loquitur c. 2. perinde, ac si Universum Orbem incolerent? Æque igitur, veram Christi Ecclesiam, per Universum Orbem se diffudisse, recte possumus asserere, quippe quod nunquam tanta Orbis pars vel Alexandri Macedonis, vel Romanorum potestatis fuit, quanta illa est, quam vera Christi Ecclesia suo sinu complectitur, et cui in dies nova etiam accedunt incrementa ob tot Evangelicos praecones, quos in magno habet numero et apud nationes infideles, et apud populos remotissimos, et inter ipsosmet homines feros, ac barbaros, et in regionibus recens detectis. Quibus perpensis, quis non videt, quod merito, optimoque jure dicitur Catholica, seu universalis? Quam demum catholicitatis tesseram magis, magisque ei confirmat, quod ita se extendit ad omnes gentes, ut quisquis extra eam sit, salutem consequi non possit; ad quod etiam refertur illud Isaiae vaticinium: *Gens, et regnum, quod non servierit tibi, peribit* (60). Nonne enim merito, optimoque jure ex hoc quoque capite catholica, seu universalis dicenda est, quia nempe omnes, et universos sub dispendio aeternae eorum salutis obligat, ut eam ingrediantur, et profiteantur?

Apostolicam tandem esse veram Christi Ecclesiam, expresse docet Ap. ad Eph. 2., ubi eam dicit superaedificatam *super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.* Eos namque, ut Christus promiserat Jo. 14., Spiritus Sanctus *docuit omnem veritatem*; ac per eos, qui, ut dicitur Marc. ult., *praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis*, propagata per totum Orbem fuit. Quibus accedit, quod id, quod Apostoli docuerunt, ac praedicaverunt ubique, idem semper, nec vel oppositum, vel praeterea aliud, docendum, praedicandumque est ab Ecclesia usque ad Mundi finem, juxta illud Isaiae vaticinium: *Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo, et usque in sempiternum.* Quod et sequitur ex eo, quod dicitur superaedificata *super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.*

Prob. 2. pars; quod nempe soli Ecclesiae Romanae, seu cui praeest Rom. Pontifex, verae Christi Ecclesiae

conveniunt notae supra expositae. Et 1.° quoad *unitatem*, coalescit haec, ut supra diximus, quatenus Ecclesiae nota, ex unitate doctrinae, et ex unitate ejus Capitis visibilis. Sola autem Ecclesia Romana habet unitatem doctrinae; quia enim quidquid profitetur, illud profitetur sub infallibili Pastorum, ac praesertim Rom. Pontificis Magisterio, ac Regimine, cui infallibilitati, tamquam fidei dogmati, firmiter adhaeret, hinc cum unitate doctrinae habet simul unitatis principium, et medium accommodatissimum ad unitatem doctrinae constanter servandam. Dum e contrario haereticorum sectae, non aliam regulam, et Judicem controversiarum agnoscentes, nisi Divinam Scripturam Spiritu privato intellectam, vel ad summum cum illa Traditionem Apostolicam contentam in Patrum scriptis, privato etiam spiritu intellectis, in tot, tantasque alias sectas scissae sunt, ac scindi necessario debuerant, quia Scripturae, et PP. scripta privato spiritu intellecta non sunt principium unitatis, sed dissensionis.

Item sola habet unitatem Capitis visibilis, quod Christus instituit; Rom. enim Pontifex ille est, cui in persona Petri ait Christus: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves Regni Coelorum; et quodcumque ligaveris super Terram, erit ligatum et in Coelis, et quodcumque solveris super Terram, erit solutum et in Coelis* (*Matth.* 16.): Ille, cui in persona Petri ait Christus: *Simon, Simon, ecce Satan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* 22.): Ille, cui in persona Petri ait Christus: *Pasce agnos meos.. Pasce oves meas* (*Jo. ult.*): Ille, per cujus os, ut legitur Act. 15., *Deus elegit, audire gentes verbum Evangelii, et credere:* Ille demum, qui tamquam Petri Successor, centrum unitatis constituit, quemadmodum PP. fere omnes loquuntur; nisi enim D. Petrus, et in ejus persona Rom. Pontifex, tamquam illius Successor, primatum honoris, et jurisdictionis in totam Ecclesiam a Christo accepisset, tot fuissent Ecclesiae, quot Apostoli, immo quot Episcopi ab ipsis ordinati, tantisque Ecclesiis praepositi: *Primatus Petro datur* (ait proinde D. Cypr. l. de unit. Eccl.), *ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur.* Hinc eo ipso, quod haereticorum sectae separatae sint a

communione Rom. Pontificis, qui locum tenens D. Petri, fundamentum illud est, quod universam Ecclesiam sustentat, estque Princeps, et Caput Christi Ecclesiae, cui firmum, ac stabile illud praesidium promissum est, adversus quod portae inferi praevalere numquam poterunt; eo ipso, inquam, sunt extra unitatem Ecclesiae, quia extra unitatis centrum, quod non est, nisi Petri Successor.

Item sola Romana Ecclesia est *Sancta*; tum quia, ut alibi diximus, nihil sanctius, et accommodatius ad homines sanctificandos, quam quidquid docet, ac praecipit; tum quia per usum Sacramentorum ad sanctitatem, ejusque perfectionem assequendam eos non minus mirabiliter, quam efficaciter ducit. Hinc innumeri, qui morum puritate, et vitae sanctimonia fulserint, et fulgeant, semper in ea fuere, ac sunt; ac si in ea etiam videntur numero non pauci, qui male vivant, id tantum eorum malitiae, non ipsi Ecclesiae adscribendum esse, ex eo patet, quod non ductu ejus doctrinae, et praeceptorum ita vivunt, sed quia ab ejus doctrina, et praeceptis recedunt. Quam atrox bellum e contrario morum et sanctitati, et honestati haereticorum sectae indixerunt? Quam eorum dogmata et omnino sanctitati adversa, et moribus magis, magisque semper depravandis idonea? Hujusmodi sunt profecto, ut cuivis consideranti fit perspicuum, extinctum in hominibus esse eorum liberum arbitrium, et ad bonum, vel malum, quod agunt, eos necessitari; sola fide eosdem justificari, ac modo firmiter credant, peccata sua sibi propter Christum esse remissa, illa, quantumvis gravia, etiamque gravissima, iis non imputari; Dei praecepta esse impossibilia; etc.: quae omnia, nedum sanctitatem omnem ab hominibus eliminare, sed viam quoque quibusvis horridioribus etiam flagitiis sternere, nemo est, qui non videat. Item ubinam inter eos et Templorum splendor, et Divinorum Officiorum solemnitas, et Sacrorum Rituum Majestas, et SS. Imaginum cultus, et devotarum Processionum spectaculum, et Augustissimum Missae Sacrificium, et jugis Sanctissimae Eucharistiae asservatio, et adoratio, et Sacramentorum administratio, et susceptio, aliaque id genus sexcenta ad passiones coercendas, ad pietatem fovendam, ad virtutes excitandas, excolendas, perficiendas aptissima? Quibus perpensis, adeo sanctitas longe est ab haereticorum sectis, ut potius valde mirum sit, quod in-

ter eos aliqui ob bonam, quam sortiti sunt, indolem, a quibusvis sceleribus se nihilominus abstineant, et apparenter saltem honestam vitam degant.

Item sola Romana Ecclesia est *Catholica*; quod, dum supra ostendimus, Catholicitatem unam esse ex notis, quibus vera Christi Ecclesia a caeteris distinguitur, ostendimus simul, hanc catholicitatem soli Rom. Ecclesiae convenire, propterea quod unum sine altero ostendi non poterat. Praecise vero nulla est ex haereticorum sectis, quae non unius, aut alterius Regionis finibus non contineatur; ut discurrenti per Nestorianos, Monophysitas, sive Jacobitas, Photianos, Lutheranos, Calvinianos, aliosque Novatores facile patet.

Demum sola Romana Ecclesia est *Apostolica*, tum prôpter depositum Divinae revelationis Apostolis concreditum, quod sartum tectum custodivit; tum propter legitimam Pastorum, qui ei obediunt, ex Apostolis successionem, et praesertim ob numquam interruptam Romanorum Pontificum ex D. Petro successionem, ad quam, veluti praecipuam Christi Ecclesiae tesseram, semper PP. provocaverunt. Ita sane Tertull. *l. de praescript. c.* 32. adversus sui temporis Sectarios, quod et caeteris subsequentibus exprobrari potest: *Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordines Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit Auctorem, et antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem a Petro ordinatum edit.* Et D. Cypr. ep. ad lapsos: *Dominus noster Ecclesiae suae rationem disponens in Evangelio, loquitur, et dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super istam petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam etc. . Inde per temporum, et successionum vices Episcoporum ordinatio, et Ecclesiae ratio decurrit.* Et D. Aug. l. cont. partem Donati: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum quis, cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae Inferorum portae.* Praeclare demum, ut alios omittam, D. Pacianus ep. cont. Novat. *Qui estis? Quando, et unde venistis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Quid hic caeteri ad voluntatem vestram seminatis, pascitis? Mea est possessio, olim possideo,*

prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res. Ego sum haeres Apostolorum. Novatus novis linguis locutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret.

Qua super re praetermittendum quoque non est, quod de omnibus haereticorum sectis ista sex demonstrari possunt, ut scite advertit Bellarm. *l. 4. de notis Eccl. c. 5.*; scilicet 1.° illius sectae Auctor; 2.° dogma, quod recens in Ecclesiam invexit; 3.° tempus, quo emersit; 4.° locus, ubi dogmatizare incoepit; 5.° oppugnatores, quos statim habuit; 6.° ejus sectae incrementum, et proscriptio, ut Arii in r. Synodo Nicaena, Nestorii in Ephesina, Eutichetis in Chalcedonensi, etc. Nihil tamen horum objiei potest Ecclesiae Romanae; 1.° enim adeo nemo alius, praeter Christum, ejus Auctor dici potest, ut proinde recentiores haeretici nos appellent Papistas, Pontificios, Romanos, Romanenses; quae omnia nihil aliud significant, quam homines communicantes cum Romano Pontifice, et illi, quem Christus in persona D. Petri sui ipsius Vicarium constituit, subjectos. Ex quo etiam sequitur, quod ipsimet haeretici coguntur agnoscere, in eadem communione nos esse, in qua omnes quinque priorum saeculorum Patres fuerunt, ut Irenaeus, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, etc., quippe qui omnes, ut ex Ecclesiae historia, et ex eorum operibus suo loco laudandis evidenter constat, Rom. Pontificem semper agnoverunt, tamquam visibile totius Ecclesiae Caput, eique in omnibus subesse, ejusque definitiones demisse venerari, numquam destiterunt. Item nemo Ecclesiae Romanae potest objicere vel suorum dogmatum post tempora Apostolorum originem, cum omnia reperiantur in scriptis etiam antiquiorum PP., ut in decursu totius Theologiae patebit. Assignari itemnequit vel tempus, quo Ecclesia Romana a fide Apostolorum desciverit; vel locus, ubi conclamatum adversus eam fuerit, quod novum aliquod dogma, seu recens in Ecclesiam invectum, proposuerit credendum; vel demum qui eam, tamquam sectam recens ortam oppugnaverit, ac multo minus aliquod Concilium contra eam coactum, ut novitatem invectam proscriberet. Quoad sectas demum Lutheranorum, Zuinglianorum, et Calvinianorum, nonnisi insanissime dicerentur Apostolicae, ubi etiam animad-

vertatur, quod Lutherus, et Zuinglius non fuerunt Episcopi, quorum est dumtaxat Apostolis in charactere succedere, sed simplices Presbyteri, quos nemo umquam, velut Successores Apostolorum, habuit: et Calvinus nec Sacerdos quidem. Dum vero de iis sermo fiat, quarum Coryphaei fuerunt Episcopi, communionem hi abscindendo cum Rom. Pontifice, qui est D. Petri Successor, legitimam quoque successionem, et Missionem ab Apostolis amiserunt; tum quia absciderunt communionem cum eo, qui ex Christi institutione est petra Ecclesiae, fuitque idcirco ab ipso Apostolorum tempore semper habitus, tamquam Caput Ecclesiae ab Apostolis fundatae, ejusque Sedes semper dicta *Apostolica*; tum quia Ecclesiam cum suo Capite non audiendo, reddiderunt sese, et quotquot postmodum iis adhaesere, quales Christus eam non audientes praecipit habendos esse Matth. c. 18., *velut Ethnicos* scilicet, *et Publicanos*.

Objc. In Romana etiam Ecclesia deesse *Unitatem* ex eo patet, quod in ea etiam tam circa fidem, quam circa mores in diversas DD. abeunt sententias: *Sanctitatem*, quod in ea etiam innumeri extant in gradibus quoque eminentioribus omni scelerum sorde inquinati: *Catholicitatem* ob populorum multitudinem, qui vel Mahumetismum, vel Graecorum schisma, vel aliam fidem profitentur: *Apostolicitatem* demum ob tam multa tam circa fidem, quam circa mores subsequentibus saeculis constituta. Quod cum ita sit, immerito praefatas Unitatis, Sanctitatis, Catholicitatis, et Apostolicitatis notas Rom. Ecclesia sibi tribuit: Ergo.

R. neg. maj.; quoad 1.m enim, in diversas quidem partes ejus DD. scinduntur quoad ea, quae in Scripturis, ac Traditione obscura sunt, et involuta, nec adhuc ab Ecclesia definita fuerint; non vero quoad ea, quae in Scripturis, vel Traditione sunt aperta, vel ab Ecclesia fuerint definita. En unitas; dum enim inter haereticos, hoc ipso, quod ab iis non agnoscitur vivus, et infallibilis Judex, qui omnes in unitate contineat in iis, quae ad fidem, vel mores spectant, perpetuis debent variationibus subjici, totque esse inter eos sententiae, quot inter eosdem sunt capita; DD. e contrario Ecclesiae Romanae subjecti omnes uno ore docent, et unanimi consensione profitentur quidquid Ecclesia vel credendum, vel agendum proposuerit, quin ulla inter eos sit circa haec

contentio. Quoad 2.m, locum haberet argumentum, si Ecclesiae Sanctitas ab omnium, et singulorum, ex quibus coalescit, sanctitate penderet. Ut tamen diximus, aliud prorsus est, per quod illa constituitur; nec secus esse poterat, cum Christus dixerit Matth. 18., *necesse esse, ut veniant scandala.* Quoad 3.m, jam supra ostendimus, nihil facessere adversus Rom. Ecclesiae Catholicitatem Mahumetanorum, Schismaticorum, et haereticorum multitudinem; eorumque sectis singillatim sumptis esse Ecclesiam Romanam longe diffusiorem. Quoad 4.m denique, multa quidem subsequentibus saeculis constituta sunt tam circa fidem, quam circa mores, non tamen tamquam de novo revelata, sed vel errores proscribendo contra avitam fidem, vel tantum declarando quod antea obscurius credebatur, extabatque in verbo Dei scripto, vel tradito satis revelatum, et ab Apostolis, quos Spiritus Sanctus omnem veritatem docuit, fideliter custoditum.

Prop. II. Verae Christi Ecclesiae notae, caeteras quatuor supra expositas complectens, omniumque potissima est, quod vera Christi Ecclesia est Ecclesia Romana, seu cui praeest Rom. Pontifex.

Prob. Et 1.° vera Christi Ecclesia illa esse debet, quae habet pro ejus Capite visibili illud, quod Christus instituit. Romanus autem Pontifex ille est ex ostensis prop. ant., part. 2., quem Christus in persona D. Petri instituit Caput visibile Ecclesiae; Ergo . . 2.° ex PP., ex quibus sufficiant D. Irenaeus *l.* 3. *Adversus haeres. c.*3., ubi ita ait: *Maxima, et antiquissima, et omnibus cognita a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, et Paulo Romae fundata, et constituta Ecclesia . . Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique, fideles.* Et D. Ambr. in Ps. 50. n. 30. *Ubi Petrus, ibi Ecclesia*; ubi pro Petro profecto Rom. Pontificem intelligit, defuncto enim Petro, etiamnum manet, manebitque Ecclesia. Et D. Hier. ep. ad Damas. *Ego Beatitudini tuae communione consocior; super hanc petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. . Quicumque tecum non colligit, spargit.* 3.° quod enim in Rom. Ecclesia, et quidem sola, fuerit singulis aetatibus, et etiamnum sit penes ejus cultores prophetiae, ac miraculorum donum, adeo in aperto ponunt prophetiae ac miracula testatissima, de quibus in

SS. Canonizatione examen absolutissimum, ac supra omnem fidem agitur, ut nemo de iis, nisi imprudentissime, ac fere insaniendo dubitare queat. Cum autem tam prophetiae, quam miracula sint evidentissima veritatis indicia, ut luculenter ostendimus tract. 1. cap. 1. art. 2. §. 1. et 4., quid inde sequitur, nisi quod iisdem mediis, ac signis, quibus Deus usus fuit ad Ecclesiam suam fundandam, iisdem quoque demonstrat, quod Ecclesia a se fundata, et a qua dumtaxat digne, atque, ut par est, colitur, non est, nisi Romana Ecclesia ? 5.° demum, quia ipsis Lutheranis, et Calvinistis fatentibus, fuit Rom. Ecclesia aliquandiu, totis nempe quinque prioribus saeculis, vera Christi Ecclesia. Vera autem Christi Ecclesia, ut jam cap. sequ. sumus luculenter demonstraturi, est indefectibilis, seu perpetua: Et subinde igitur, modo, et usque ad Mundi finem fuit, est, eritque vera Christi Ecclesia. Sed consulantur et dicta tract. 1. cap. 1. art. 3.

Diximus porro, quod nota *caeteras quatuor complectens*, *omniumque potissima* haec est, quod nempe *vera Christi Ecclesia est Ecclesia Rom.*, *seu cui praeest Rom. Pontifex*; quod enim caeteras quatuor complectatur, ex eo sequitur, quod soli Romanae Ecclesiae conveniunt praefatae quatuor notae, ut ostendimus prop. ant.: quod vero sit omnium potissima, ex eo patet, quod cum quaevis nota eo sit potior, quo clarius rem, cujus nota dicitur, demonstrat, haec, de qua locuti sumus, adeo caeteris est clarior, ut merito D. Aug. dixerit tr. 1. in Jo. *Possumus digito demonstrare Ecclesiam*; *et sunt caeci*, *qui eam non vident.*

Prop. III. Nemo extra Ecclesiam Rom., seu cui praeest Rom. Pontifex, salutem consequi potest. Est de fide contra Baylium, Roosseavium, Voltarium, Argensium, aliosque Indifferentistas.

Prob. = Et 1.° veram Christi Ecclesiam non esse, nisi unam; neque hanc unitatis notam, nisi soli Ecclesiae, cui Rom. Pontifex praeest, convenire, supra ostendimus: ex quo sequitur, quod quisquis est extra ejus gremium, est etiam extra Christi Ecclesiam. Extra hanc autem nemo salutem consequi potest: 1.° quia nemo salutem consequi potest, nisi per Christum, ut enim dicitur Act. 4., *non est in alio aliquo salus*, *nec aliud nomen est sub Coelo datum hominibus*, *in quo oporteat nos salvos fieri.* Christus autem, ut dicitur Eph. 5., non est, ni-

si *Salvator Corporis ejus*, quod est Ecclesia. 2.° quia nemo salutem consequi potest, nisi Christo adhaereat, tamquam palmes viti, secus namque, ut ipse ait Jo. 15., *mittetur foras, sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* Nemo autem, qui non sit de ejus Ecclesia, illi adhaeret. 3.° quia, ut docet Ap. ad heb. 11, *sine fide impossibile est placere Deo.* Hanc autem nemo profitetur extra veram Religionem, quae ex ostensitum tract. 1., cap. 1., art. 3., tum prop. ant. est sola Religio Catholico-Romana. 4.° quia commune est apud PP., Arcam Noe fuisse typum Ecclesiae. Quod cum ita sit, ait D. Cypr. l. 1. De unit. Eccl., *si potuit evadere quisquam. qui extra Arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet.* 5.° ex. Concilio Chartag. IV., a quo definitum id fuit, tamquam fidei dogma; ubi etiam cum interfuerit D.Aug. cum 214. aliis Episcopis, ita scriptum reliquit serm. ad pleb. coram Emerito: *Salutem non potest habere homo, nisi in Ecclesia Catholica.*

2.° Refellendo haereticorum principium, quod distinguendum sit inter fidei articulos *fundamentales*, quibus quisquis non subjiciatur, salvus fieri nequit, et *non fundamentales*, quibus qui contradicat, salvus quoque esse potest. Nihil autem facilius, ut patet ex probationibus allatis prop. 1.ª pro unitate Ecclesiae: Idem ergo est Ecclesiae in omnibus non assentiri, ac neutiquam salvum fieri posse. Cumque vera Christi Ecclesia non sit, nisi ea, cui praeest Rom. Pontifex, nemo proinde extra eam salutem consequi posse, consequens est.

Objic., quod si extra Ecclesiam Romanam nemo salutem consequi posset, quotquot ejus veritatem invincibiliter ignorarent, inevitabiliter ob id perirent. Id autem parum cum Dei bonitate cohaeret: Ergo.

R. neg. sequ. maj.; invincibiliter enim ejus veritatem ignorantes, non pereunt ob ejus invincibilem ignorantiam, quae ad culpam non imputatur, sed ob peccatum originale, si baptismum non susceperunt, et ob peccata contra legem naturalem, ad quam servandam omnibus Deus sufficientia largitur auxilia; quibus eam servando, iis non deesset, sed revelaret, modo etiam extraordinario, quemadmodum cum Cornelio Centurione factum fuisse, ex Actibus Apostolorum novimus, veram Religionem, ut salvi fierent.

CAP. III.

De indefectibilitate, seu perpetuitate Ecclesiae.

Tres verae Christi Ecclesiae proprietates tribuuntur, visibilitas nempe, indefectibilitas, et infallibilitas. Antequam tamen de postremis his duabus loqueremur, agendum duximus immediate post ejus visibilitatem de ejusdem notis, ut quaenam sit vera Christi Ecclesia, cui tantum indefectibilitas, et infallibilitas promissa est, dignosceretur, ac nonnisi huic soli utrumque privilegium tribueretur. Et quidem seorsim de utroque agentes, de ejus tantum indefectibilitate sermonem in hoc Capite instituimus.

Quamvis autem nihil fere clarius vaticinati fuerint Prophetae, ac nihil clarius Christus in Evangelio promiserit, quam quod ejus Ecclesia numquam deficeret, sed perpetuo esset duratura, more tamen suo haeretici oculos luci claudentes, visibilem Ecclesiam defecisse, ac tantum penes quosdam justos de eorum gremio remansisse, docuerunt primum ex iis Donatistae: deinde vero Lutherus; et Calvinus eam permansisse docuerunt per quingentos annos circiter; sed postea defecisse, ac solam invisibilem, ex praedestinatis scilicet, et justis conflatam, existere, et perpetuo extituram. Sit proinde contra eos juxta quod fides docet.

Prop. Ecclesia, et quidem visibilis est indefectibilis, idest perpetuo duratura. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Script.; ita enim Is. c. 59. *Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in sempiternum.* Idem autem dictu est, quod fides, ejusque praedicatio non recedent de Ecclesia usque in sempiternum, quodque ea, et quidem visibilis, prout Ministri, a quibus semper praedicabitur, numquam deficiet, sed perpetuo erit duratura: Ergo . . Item c. 61. *Foedus perpetuum feriam eis . . germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*, quo in loco Prophetam loqui de Ecclesia Novi Testamenti, ex se patet, ac ipse Christus docuit Luc. 4. exponens de adventu suo illius capitis initium: *Spiritus Domini super me, etc.* Dicitur autem, quod haec Ecclesia et erit visibilis, illis nempe verbis, *omnes, qui viderint eos, cognoscent illos*; et erit perpetua, illis nempe praecedentibus: *Foe-*

dus perpetuum feriam eis : Ergo . . Ita quoque Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*: quo in loco Christum loqui de Ecclesia visibili, ex eo patet, quod de Ecclesia loquitur, cujus Caput visibile Petrum constituit. Inquit autem, adversus eam portas Inferi namquam praevalituras esse; quo ipso inquit, numquam defecturam, sed perpetuo mansuram, praevalerent namque, si umquam deficeret: Ergo . . Item cap. ult. *Euntes* (inquit), *docete omnes gentes* . . *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*: quo etiam in loco eum loqui de Ecclesia visibili, patet ex munere docendi, quod Apostolis committit; alloqui vero in persona Apostolorum omnes eorum successores, ex eo manifestum fit, quod Apostoli permansuri, et docturi erant in Terris usque ad tempus, non jam usque ad consummationem saeculi. Iis autem suam specialem assistentiam usque ad consummationem saeculi promittendo, ne umquam errarent in doctrina fidei, et morum, hoc ipso Ecclesiam perpetuo duraturam promisit: Ergo . . Ita quoque Ap. ad Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. Porro hic loci nemini dubium esse potest, quod Ap. loquatur etiam de Ecclesia visibili, loquitur enim de Ecclesia, in qua sunt Pastores, et Doctores, quos invisibiles, et nullos esse, idem esset; aitque simul, eos Ecclesiae dedisse, *donec occurramus omnes etc.*, idest usque ad finale Judicium, quando electorum numerus complebitur: Ergo.

Demum veram Christi Ecclesiam esse visibilem, c. 1. prop. 1. evidentissime ostendimus. Ipsam autem perpetuo duraturam esse, Prophetae praedixerant; ut Regius Psaltes illis verbis: *Sicut audivimus, sic vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in aeternum* (Ps. 47.). Et Daniel 2: *In diebus Regnorum illorum suscitabit Deus Coeli Regnum, quod in aeternum non dissipabitur*. Et Luc. 1. dicitur de Christo, quod *Regni ejus* (quod est Ecclesia) *non erit finis*. Numquam igitur Christi Ecclesia, eaque visibilis, deficiet, sed perpetuo manebit.

3.° ex PP.; ita enim D. Ambr. l. 4. Hexam. c. 4. *Videtur Ecclesia sicut deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.* Et D. Aug. l. 1. de Symb. ad Catech. c. 5. *Ecclesia pugnari potest, expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua. Portae inferorum non vincent eam.* Et in Ps. 101, contra Donatistas: *Existunt, qui dicunt: Illa Ecclesia, quae fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. Oh impudentem vocem! Hanc vocem abominabilem, detestabilem, falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, praecipitem, perniciosam praevidit Spiritus Dei.* Et D. Hier. in c. 28. Matth. *Qui usque ad consummationem saeculi cum discipulis futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros* (nempe in suis Successoribus), *et se numquam a credentibus recessurum.* Et D. Chrysost. in c. 7. Js. *Facilius est, Solem extingui, quam Ecclesiam deleri.*

4.° Demum quia credendum non est, Deum saluti hominum aditum umquam occlusurum esse. Aditum autem occluderet hominum saluti, si Ecclesia aliquando deficeret, quippe quod extra eam neque est, neque esse potest saluti locus: Ergo.

Objic. 1.° ex Script., quod Aaron, Eliae, Isaiae, ac Jeremiae temporibus totus populus a cultu veri Dei defecit. Exodi enim 32. habetur, quod Aaron Summus Sacerdos, et alii ex plebe, sive majores, sive minores, vitulum adoraverunt, eique obtulerunt hostias pacificas, et holocausta. Item l. 4. Reg. c. 19. legitur illud Eliae: *Derelictus sum ego solus.* Isaiae 1. legitur: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesaepe Domini sui; Israel autem me non cognovit.* Jeremiae demum 2. *Confusi sunt domus Israel, ipsi, et Reges eorum, Principes, et Sacerdotes, et Prophetae, dicentes ligno: Pater meus es tu. Et lapidi: Tu me genuisti.* Quibus similia habentur quoque c. 5. . Quod si tunc Ecclesia defecit, poterit quoque et modo deficere, eadem quippe Ecclesia est, neque in hac re ullum reperitur populi novi, veterisque discrimen: Ergo Habetur quoque illud Christi Luc. 18. *Filius hominis veniens, putasne, inveniet fidem in terra?* Sublata autem fide, ubinam amplius Ecclesia? Nec non illud Ap. 2. ad Thess. c. 3. *Nisi*

venerit discessio primum, *et revelatus fuerit homo peccati*, *filius perditionis*, *etc.*; quo etiam significatur discessio a fide Antichristi tempore. Discessio autem a fide defectum quoque Ecclesiae praesefert: Ergo.

R. quoad 1. neg. maj.; quod enim 1.° in adorationem vituli totus populus non consenserit, ex eo patet, quod nec Moyses, nec Josue, nec omnis Tribus Levi in id inciderunt; statim namque ac Moyses illam vocem edidit: *Si quis est Domini*, *jungatur mihi*, legitur, quod *congregati sunt ad eum omnes filii Levi*, *consecraveruntque manus suas Domino*, *unusquisque in filio*, *et in fratre suo*. Cui accedit, falsum quoque esse, quod tunc Aaron fuerit Summus Sacerdos; nondum enim Sacerdotio initiatus fuerat. Quod vero additum est ex l. 4. Reg., dicitur de Schismatico Israelis Regno, non item de Regno Judae: idque, sicut etiam quod allatum est ex Jsaia, et Jeremia, intelligendum est, non ad rigorem litterae, sed moraliter; non scilicet, quod omnes omnino defecissent, sed quod in malorum comparatione adeo pauci fuerint boni, ut nulli esse viderentur: *Habent enim* (ait D. Aug.) *etiam Scripturae Canonicae hunc arguendi morem*, *ut tamquam omnibus dicatur*, *et ad quosdam verbum perveniat* (*ep. ad Vinc. n.* 48); quod et passim fieri ab omnibus, praesertim Concionatoribus, nemo est, qui ignoret. Id autem ex ipsomet citato Regum loco colligi potest; cum enim se solum relictum quereretur Elias, subdit Scriptura, quod *septem millia virorum* non curvaverant genua sua ante Baal. Similes autem textus, qui in Jer. habentur, praedictiones fuerunt, non reprehensiones; qualis scilicet post Messiae adventum futurus erat populus, non qualis erat.

Quoad alterum vero dist. maj.; quod nempe fides, de qua illic Christus loquitur, non est qualiscumque, sed perfecta, et viva: illa scilicet, ut *in Dial. adv. Luciferianos* scribit D. Hier., *de qua ipse Dominus ajebat*: *Fides tua te salvam fecit. Et alibi de Centurione*: *Non inveni tantam fidem in Israel. Et rursum ad Apostolos*: *Quid timidi estis modicae fidei? Et in alio loco*: *Si habueritis fidem*, *sicut granum sinapis etc.* Hanc porro fidem ait Christus, *nonne Filius hominis inveniet in Terra?* Quia nempe novissimis illis temporibus rara, et difficilis inventu erit. Eodemque modo relatum locum D. Aug. interpretatur *l. de unit. Eccl.*, ubi etiam advertit, quod

propterea Dominus, tamquam dubitans hoc dixit: *neque enim ait, veniens Filius hominis non inveniet fidem in terra, sed, putas inveniet fidem in terra?*

Quoad postremum neg. maj., quod nempe per verba Apostoli significetur discessio a fide Antichristi tempore; ut enim interpretatur D. Aug *l.* 20. *De Civ. Dei c.* 19., et ex particula copulativa *et* apertissime evincitur, per discessionem a fide ipse Antichristus *metonymice* ab Apostolo intelligitur, qui per figuram metonymiae vocatur in abstracto *discessio a fide*, quia morum perditissimorum, et omnino infidelis.

Objic. 2.° Defecit Synagoga, judicans Christum esse blasphemum, et reum mortis; cumque ea defecerunt etiam Apostoli Passionis Christi tempore, quorum Caput D. Petrus negavit, se nosse Christum, reliqui vero omnes, relicto eo, fugerunt; quibusque Christus, ut legitur Marci ult., exprobravit post suam Resurrectionem *incredulitatem*, *et duritiem cordis*; *quia iis*, *qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*. Synagoga autem erat Ecclesiae typus; Apostoli vero Christi Ecclesiam primario constituebant: Omnino ergo tunc defecit Ecclesia, eodemque modo idcirco potuit, et poterit subinde deficere.

R. neg. cons.; quoad Synagogam namque, nec erat haec Ecclesia universalis, cum extra ipsam salus quoque esse posset; nec a Deo erat instituta, ut perpetuo maneret, immo erat decretum, ut Christi morte deficeret, quemadmodum prae aliis praedixerat Daniel. c. 9. illis verbis: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Confirmabit autem pactum multis hebdomado una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium, et erit in Templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio.* 2.° Quia Christi Ecclesia expressas habet de sua indefectibilitate, et infallibilitate promissiones, quas nusquam Synagoga habuit, nusquam enim de hac reperitur dictum: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*, Et: *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. etc.* 3.° quia hoc ipso, quod Synagoga erat Ecclesiae typus, debuit Christi adventu deficere; sicut enim, dum Sol oritur, evanescunt umbrae, ita, dum fulsit veritas, idest Christus, debuit figura evanescere, idest Synagoga. Quam caeterum non evanuisse, priusquam Christus manifestis si-

gnis probaret, se esse verum Messiam, ac novi foederis Auctorem, ipse Christus innuit, testimonium ei perhibendo illis verbis Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei . . Quaecumque dixerint, facite.*

Quoad Apostolos autem, eorumque Caput D. Petrum, dicimus, quod hic negans, se nosse Christum, illi, relicto eo, fugientes Passionis Christi tempore, non defecerunt peccato infidelitatis, sed pusillanimitatis. Fidem vero salutaris ejus Passionis, et futurae Resurrectionis cum antea non habuerint, quia nempe putabant, Christum figurate loqui, quum de his mysteriis loquebatur, ut patet ex illis D. Lucae verbis c. 18, ubi, cum Christus Mortem, ac Resurrectionem suam illis praedixisset, continenter subditur: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quae dicebantur*; utque additur Jo. 20. *Nondum sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*: cum antea, inquam, non habuerint, neque etiam amittere potuerunt. Peccassent autem peccato infidelitatis non credendo statim ejus Resurrectionem, si fidem de hac antea habuissent, et postea amisissent; non vero cum numquam fidem amiserint, quam antea habuerint. Cumque ad credendum, quod resurrexerat, fuerint, Deo ita permittente ad futuram fidelium firmitatem, non parum tardi; hanc ad credendum tarditatem juxta Bellarminum illis Christus exprobravit, vocavitque *incredulitatem, et duritiem cordis*: caeterum nec de Christi Divinitate, nec de aliis fidei articulis sibi sufficienter revelatis umquam dubitarunt. Nisi etiam, ac forte rectius; dicere quis velit cum Maldonato, quod haec verba de solo Thoma intelligi debeant, ut colligitur ex verbis subsequentibus: *Quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*; non mirum enim, quod Evangelista per figuram *synecdochen* saepe in Scripturis usitatam plurali numero utatur pro singulari. Quibus accedit, 1.° quod Passionis Christi tempore non erant Apostoli, nisi tantum designatione Episcopi; ex quo sequitur, quod adhuc non erant Pastores Ecclesiae, sed tantum ejus partes, ut sunt alii, qui errare possunt: *Tunc Apostoli defecerunt.* (ita apposite D. Aug. in Ps. 114.), *cum nondum erant duces Ecclesiae; nec illud impletum fuerat: Ego confirmavi columnas ejus.* 2.° quod non ipsi soli constituebant tunc universam Ecclesiam, quae nonnisi post Pentecostes diem, peractis tunc

omnibus Redemptionis nostrae mysteriis, et publice Christi fide, et Baptismi necessitate promulgata, ex solis Legis Evangelicae cultoribus constare coepit.

Objic. 3. In Concilio Ariminensi non minus quam sexcenti Episcopi in Arianam haeresim cecidere, adeo ut D. Hier. scripserit, quod *ingemuit totus Orbis, et Arianum se esse, miratus est.* Defecit tunc ergo Ecclesia; quae et pari ratione poterit deficere.

R. neg. ant., et cons.; non enim Ariminenses Episcopi Arianis consensere, sed cum prius illis pro virili restitissent, aerumnis deinde, ac exilii, aliorumque malorum timore victi, fuerunt ab illis decepti, quod ad pacem Ecclesiae expediret *Omousion* vocem supprimere, quemadmodum, detecta fraude omnes postmodum protestabantur. Nec aliud D. Hier. significat: 1.° enim ipsi Episcopi Ariminenses, cum non essent conscii Arianæ perfidiae, et nedum generatim, sed etiam nominatim singulos Arianae haeresis articulos ab Ursacio, et Valente Arianis Episcopis abjurari postulassent, ingemuerunt deinde de eorum fraude, et mirati fuere, quod nihilominus, tamquam haeretici, traducebantur. 2.° praeter innumeros Orientis Episcopos, qui constanter tum Arianae, tum Semiarianae haeresi restiterant, tota in fide semper perstitit Occidentis Ecclesia, quæ non obstante Constantii immanitate, velut Tabernaculum Domini in Sole positum, radios suos in Orientem usque fundebat. Ubinam ergo, quod totus Orbis in Arianam hæresim ceciderit?

Objic. 4. Quod scribit D. Chrysost. *hom.* 46. *in Matth.*, interdum nempe nullum visibile signum adesse posse, quo vera Ecclesia cognoscatur: Potest ergo visibiliter deficere.

R. neg. ant.; sunt enim homiliae illae in Matth. ex opere imperfecto desumptae, non quidem Chrysost., sed ab aliquo haeretico scriptae, aut depravatae; homilia enim 48. *Omousiani* vocantur haeretici.

CAP. IV.

De infallibilitate Ecclesiae.

Ut Ecclesiae judicia effugerent, quotquot fuerunt hæretici, omnes Ecclesiae infallibilitati bellum indixere. Eam Socinus vocat *commentum.* Lutherus, verbo eam retinens, re tollens, solam, ait, justorum Ecclesiam esse infallibi-

lem. Calvinus infallibilem esse, ait, cum proponit fideliter ea tantum dogmata, quae in Scripturis expresse habentur, et ad salutem sunt necessaria; dumque pro Ecclesia intelligatur, quae est universalis, non vero quae per Episcopos tantum repraesentatur. Alii *passive* esse infallibilem, docent, hoc nempe sensu, quod tota fidelium societas errorem non patitur; non vero *active*, ita nempe, ut ejus Pastores errorem docere nequeant, et ad credendum proponere. Alii etiam *active*; sed in Concilium coactam, non vero per Orbem dispersam. Alii neque etiam in Concilium coactam, nisi omnes unanimiter Episcopi in idem conveniant; immo juxta alios, nisi etiam inferiores Presbyteri, et juxta alios etiam Laici consentiant. Omnium denique haereticorum subtilissimi Jansenistae, infallibilem esse, inquiunt, in materia *juris*, non vero *facti*, etiamsi cum jure permixti, idest *facti doctrinalis*. Distinguendum namque, ajunt, inter dogmata, et facta dogmatica; intelligentes pro his postremis orthodoxiam, vel heterodoxiam librorum; Ecclesiamque, docent, infallibilem quidem esse in judicando de dogmatibus, non vero in judicando de factis dogmaticis. Hinc lato de his judicio ab Ecclesia, satis esse, pergunt, obsequiosum silentium, quin ejus judicio nos conformare interno etiam assensu teneamur. Quibus praemissis, ut, quid contra expositos errores tenendum est, pateat, sit

Prop. I. Christi Ecclesia, quam hujus cap. initio definivimus, errare in fide non potest, sed quidquid fide tenet, necessario verum est, et de fide tenendum. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex illis Js. verbis c. 59., quae de Ecclesia DD. omnes interpretantur: *Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in sempiternum.* Est autem Spiritus Dei spiritus veritatis, ac verbum Dei ipsa veritas: Habet ergo Ecclesia veritatis spiritum, et in ore verbum Dei, cui semper verum subest; ex quo sequitur, quidquid fide tenet, necessario verum esse, ac firma fide tenendum. 2.° ex Ap. verbis 1. ad Tim. c. 3. *Haec scribo tibi, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis.* Si autem columna, et firmamentum veritatis, idest firma in veritate, errare in fide non potest. In fide ergo infallibilis. 3.° Ecclesia est Christi Sponsa, idque per fi-

dem, ut Oseae 2. illis verbis dicitur: *Sponsabo te mihi in fide*; ex quo sequitur, quod si deficere in fide posset, posset quoque Matrimonium inter ipsam, et Christum dirimi. Christi autem Matrimonium cum Ecclesia est sempiternum, subditur namque ibidem: *Sponsabo te mihi in sempiternum*. Item dicitur Christi Regnum, ut et Dan. 9, et Luc. 1. appellatur; idque etiam per fidem, ut cuique patet; ex quo sequitur, quod si deficere in fide posset, posset quoque Christi Regnum deficere. Hujus autem, ut Lucae cit. loco subditur, *non erit finis.*, eritque *Regnum* (ut Daniel praedixerat c. 9.), *quod in aeternum non dissipabitur*. Demum dicitur Christi Corpus 1. ad Cor. 6., et ad Eph. 5.; ex quo sequitur, quod a Christi Spiritu movetur, et regitur. Hic autem est Spiritus veritatis: *Nullo igitur pacto* (infert Canus De Loc. l. 4. c. 4.) *errare in fide potest, nam spiritus veritatis est hujus corporis anima; a quo si Ecclesia agitur, ad nullum errorem, ne insciens quidem, moveri poterit.* Hinc D. Aug. ep. 218. ait: *Disputare contra id; quod universa Ecclesia sentit, insolentissimae insaniae est.*

Prop. II. Per Ecclesiam, cui concreditum est, et ad quam pertinet doctrinae Magisterium, ea scilicet docere, quae ad fidem, ac mores spectant, soli intelligendi sunt Episcopi communione, et consensu juncti cum Rom. Pontifice, non vero inferiores Presbyteri, ac multo minus reliqui fideles Laici. Est de fide.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex eo, quod diximus tract. 1. c. 2. prop. 5.; iisdem enim, quae ibi produximus, momentis prima etiam hujus propositionis pars evidentissime evincitur.

2.° ex Conc. Eph. ep. ad Nestorium, ubi a Nestorio, si facere satis Ecclesiae velit, exigitur, ut jurejurando fateatur, *sentire se, et docere, quae universi per orientem, et occidentem Episcopi, Praesidesque populorum crederent, et docerent*. Quae eadem epistola comprobata etiam fuit a sexta Synodo act. 11.

3.° ex PP.; ex quibus D. Irenaeus *l.* 3. *c.* 3., *et l.* 4. *c.* 43., *et* 63., quum Ecclesiae auctoritatem haereticis objicit, Episcoporum tantum sententiam objicit, secundum seriem Apostolis succedentium; horumque sensum, et fidem, Ecclesiae sensum, et fidem nuncupat; et qui illis, dicit, refragatur, eum Ecclesiae refragari. Item D. Cypr. *l. De simplicit Praelat.*, postquam ait, non esse

cum Christo, qui adversus Sacerdotes Christi facit, *arma* (ait) *contra Ecclesiam portat, qui comtemptis Episcopis, audet etc.* Et ep. ad Pupian.: *Christus dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes praepositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: Qui vos audit, me audit, et qui vos rejicit, me rejicit.* Et ibidem: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens*; ex quo infert, qui cum Episcopis non sint, eos in Ecclesia non esse; frustraque sibi eos blandiri, qui pacem cum illis non habuerint. Demum D. Aug. *l.* 28. *contra Faustum c.* 2., *et l.* 33. c. 6., cum adversus haereticos Ecclesiae auctoritate nititur, nonnisi Episcopos Apostolis ad sua usque tempora succedentes intelligit.

4.° ex eo quod estne Regnum, vel etiam Civitas, quae in rebus alicujus momenti ab aliis, quam a solis Primatibus, regatur? Est autem doctrinae Magisterium res maximi momenti in Ecclesia, quae modo Regnum, modo Civitas in Scripturis appellatur, cujusque Primates non sunt, nisi Episcopi: Neque igitur, nisi ab his, quoad doctrinae Magisterium regitur; ex quo sequitur, quod per Ecclesiam, cui concreditum est, et ad quam pertinet doctrinae Magisterium, iidem quoque soli intelligendi sunt. Communione autem, et consensu juncti esse debent cum Rom. Pontifice; sunt enim de Christi Ecclesia, ex ostensis c. 2. prop. 2., ii tantum Episcopi, qui cum Rom. Pontifice communicant, atque ab ejus auctoritate, jurisdictione, ac regimine pendent, cum non possint ad unam Christi Ecclesiam pertinere, nisi cum illius Capite uniti sint, nisi illius potestate sustententur, nisi auctoritate illius regantur.

Prob. 2. pars. Et 1.° iisdem momentis cit. loco, idest tract. 1. c. 2. prop. 5. allatis, quae solos Episcopos afficiunt, ac aperte inferiores Presbyteros excludunt.

2.° ex Conc. Chalcedonensi, ubi dictum fuit: *Synodus Episcoporum est, non Clericorum; superfluos foras mittite.* Et Clericorum autem esset, non vero Episcoporum tantum, si doctrinae Magisterium esset quoque penes Presbyteros. Nec non ex Conc. Gen. VIII. can. 17., ubi: *Nusquam Sacri Canones convenire Saeculares Principes in Conciliis sanxerunt; sed solos Antistites.* Si hos autem solos convenire in iis sanxerunt; penes eos solos dicendum quoque est doctrinae Magisterium. Ac demum in Conc. Trid., ut narrat Pallavic. l. 6. c. 2, cum pa-

stulatum fuerit in gratiam Dominici Soto, ut cum Episcopis sententiam suam diceret, denegata ipsi fuit, et *Consiliarii solum munere functus est.*

3.° Ex Constitutionibus Apost. l. 2, c. 26.: *Qui Episcopus est, hic est Minister verbi, scientiae custos; hic est Magister pietatis, et Religionis.* Et D. Greg. Naz. or. 9. *Oves Pastores ne pascite, nec supra fines vestros assurgite; satis enim vobis est, si recte pascamini. Non est enim dissensionis, et confusionis Deus, sed pacis, et ordinis. Ne quis igitur caput sit, qui vix aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est.* Et D. Coelest. Papa ep. ad Gall. Episc. *Legimus supra Magistrum non esse discipulum; hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam Doctorum vindicare doctrinam. Sciant se, si tamen censeantur Presbyterii dignitate, vobis Episcopis esse subjectos. Sciant omnes, qui male docent, quod sibi discere magis, ac magis competat, quam docere.*

4.° Ex praxi Ecclesiae, ex qua constat, quod convocatio ad Concilia nonnisi ad Episcopos, et numquam ad inferiores Presbyteros dirigi consuevit; qui tamen si haberent in Ecclesia doctrinae Magisterium, perinde ac Episcopi, aeque etiam ac Episcopi essent Judices controversiarum fidei, ac aeque idcirco ac Episcopi ad illa debuissent convocari, quin secus Concilia fuissent legitima, utpote quae majori Judicum parte caruissent. Item, quod si Episcopi consueverunt, ipsis impedimento irretitis, mittere ad Concilia Presbyteros, qui eorum vices agerent, numquam tamen de simplicibus Presbyteris legitur, quod quempiam ad Concilium aliquod miserint, qui eorum loco interesset Concilio. Ac demum, quod si aliquando inferiores Presbyteri alicui Concilio subscripserunt, numquam id egerunt, ut Judices, munus, ac jus docendi habentes, sed tantum, ut consentientes.

5.° Ex omnibus Scriptoribus Ecclesiasticis de Conciliis eousque celebratis agentibus, qui nonnisi de Episcopis, qui illis interfuerunt, locuti sunt, tamquam de Patribus Concilii, quin prorsus aliorum meminerint. Sic de Concilio Nicaeno I. ajunt, quod fuerit 318. Patrum, quia 318. Episcopi in illud convenere; eumdemque de aliis subsequentibus Conciliis loquendi modum servant.

6.° Ex ratione supra allata, quod soli Episcopi, non vero inferiores Presbyteri, sunt Ecclesiae Primates; nec,

nisi ab his, Regnum quodvis, vel Civitas, quo utroque modo vocatur Ecclesia in Scripturis, in rebus momenti regitur.

7.° Quia ferre sententiam, solvere, aut ligare absque jurisdictione nemo potest. Hanc autem non habent in Ecclesia inferiores Presbyteri.

Prob. 3. pars. Et 1.° ex c. 17. Deut., ubi: *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse prospexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis.. sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram.* Et Aggaei 2. *Interroga Sacerdotes legem.* Et Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Ex ipsa igitur lege veteri numquam Laicorum, sed tantum Sacerdotum fuit doctrinae circa fidem, et legem Magisterium.

2.° Ex iis, quibus tract. 1. c. 2. prop. 5., ostendimus, quod nonnisi Episcopis doctrinae Magisterium in Ecclesia Christus commisit. 3.° ex illis ipsius Christi verbis Luc. 19., quod fideles Pastores docentes audiant, perinde ac ipsum Christum audirent; et si eos spernant, ipsum Christum spernunt. 4.° ex ep. ad Eph. c. 4., ubi Apostolus asserit, quod Christus, non omnes, sed *quosdam* tantum, nempe Episcopos, constituit in Ecclesia *Pastores, et Doctores, ut non simus parvuli fluctuantes etc.* 5.° ex constanti Ecclesiae Traditione, et praxi, ex qua constat, quod postquam Ecclesia aliquod decrevit credendum, omnes, qui ei non acquieverunt, anathemate perculit, quin aliquatenus curasset quorumcumque Laicorum dissensum, clamores, protestationes, etc. 6.° ex eo quod si docendi Magisterium in Ecclesia soli habent Episcopi, quin illud ipsi habeant Presbyteri, multo minus illud habere fideles Laicos, dicendum est. 7.° ex Facultate Parisiensi, quae Marcum Antonium De Dominis ita ajentem: *Consensus totius Ecclesiae in aliquo articulo, non minus intelligitur in Laicis, quam etiam in Presbyteris, et Praelatis. Sunt enim etiam Laici in Ecclesia, immo ex Ecclesia, ipsiusque solidam, et majorem partem constituunt*, proscripsit his verbis: *Haec propositio est haeretica, et Status Ecclesiae perturbativa, quatenus ad fidei propositiones statuendas consensum Laicorum requirit.* 8.° ex supra allata ratione, quod nonnisi Primatum, quales in Ecclesia sunt soli Episcopi, non vero aliquis, quisquis ille sit, de Lai-

eorum numero, fuit, eritque semper quodvis Regnum, vel Civitatem, quo utroque modo appellatur Ecclesia in Scripturis, in rebus momenti, ut profecto est in Ecclesia doctrinae Magisterium, regere. 9.° ex defectu jurisdictionis, sine qua, ut etiam supra diximus, ferre sententiam, solvere, aut ligare nemo potest.

Objic. 1.° quod, ut legitur Act. 15., quaestione Jerosolymis exorta circa legalium observationem, *convenerunt Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc.* Ubi etiam subditur paullo post: *Tunc placuit Apostolis, et Senioribus cum omni Ecclesia.* Quid clarius, quam quod doctrinae Magisterium fuit ab Apostolorum tempore nedum Apostolorum, quorum Successores in charactere sunt Episcopi, sed et aliorum, immo quorumcumque fidelium?

R. neg. cons.; 1.° enim per *Seniores* apte intelligi aliquos ex 72. Christi discipulis in Episcopos ordinatos, ex eo patet, quod et D. Joannes seniorem se appellat ep. 3., *Senior* (inquiens) *Cajo carissimo*; et D. Petrus ep. 1. c. 5. ita quoque tum se, tum alios Episcopos appellat illis verbis: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, et testis Passionum Christi.* Et paullo post: *Seniores, pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee, neque ut dominantes in Cleris etc.*. 2.° quia etiamsi per *Seniores* simplices Presbyteri significarentur, quid probat contra statutam veritatem, quod ex concessione Apostolorum convenerint ad consultandum, et discutiendam controversiam? Quod vero additur: *Tunc placuit etc.*, apte etiam de consensu tacito intelligitur; quod nempe cum Apostoli sententiam protulerint, omnes eorum sententiae acquieverunt, idemque omnibus placuit, Apostolis, ut Iudicibus definientibus; Presbyteris, ut consentientibus, plebi, ut acquiescenti. Quod et ex contextu probatur, ubi dum dicitur: *Convenerunt Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc*, nulla plebis fit mentio.

Objic. 2.°, quod Concilio Chalcedonensi praesedit Marcianus Imperator; Constantinopolitano III. Constantinus Pogonatus; Nicaeno II. Irene, ejusque filius; et Constantinop. IV. Basilius. Si autem doctrinae Magisterium in Ecclesia nonnisi Episcoporum esset, nec fuisset datum, nec dari iis potuisset nedum Conciliis interesse, sed et praesidere: Ergo.

R. neg. cons.; quum enim de praefatis Imperatoribus dicitur, quod illis Conciliis praesederunt, non intelligitur,

quod illis praesederunt, ut fidei Iudices, sed tantum, ut Concilii protectores, et ordinis, ac pacis defensores: quumque etiam leguntur, quae videntur aliquid subjectionis redolere, urbanitatis tantum, et reverentiae causa prolata fuisse, intelligendum est. Et sane quoad Conc. Chalc. ita ejus PP. in sua ad D. Leonem epist.: *Quibus* (idest nobis) *Tu quidem, sicut membris Caput, praeeras in his, qui tuum tenebant ordinem. Imperatores vero fideles ad ordinandum decentissime praesidebant, sicut Zorobabel Ecclesiae.* Quoad Constantinop. III., dicitur quidem in variis ejus actionibus: *Praesidente piissimo Imp. Constantino*, sed nonnisi de praesidentia honoraria ejusmodi verba intelligenda esse, patet ex eo, quod act. 1. ante omnes PP. nominantur Summi Pont. Agathonis Legati, qui etiam primi, licet non fuerint Episcopi, subscribunt; et act. ult., si etiam Imperator post omnes Episcopos subscripsit., non tamen, ut definiens, sed ut consentiens tantum, suum nempe judicium Concilii definitioni submittens: nam Episcopi subscripserunt his verbis: *N. Episcopus definiens subscripsi*; Imperator vero illis verbis: *Constantinus in Deo Rex, atque Imperator Romanorum legimus, et consensimus.* Quoad Nicaen. II., dicitur quidem de Irene Imp. *Praesidente ipsa cum simul regnante Filio, et universa Synodo etc.*, quod tamen per verbum *praesidere* non significetur, nisi tantum sessio honoraria cum caeteris PP, patet tum ex prohibitione Apostoli, quod mulier in Ecclesia loquatur; tum ex eo ipso, quod tota Synodus cum ea praesedisse dicitur. Demum quoad Constantinop. IV., sessionem quoque honorariam significari illis verbis: *Praesidente Basilio Imperatore*, ex eo patet, quod ipse Basilius in allocutione Synodi nec sibi, nec cuivis Laico judicium de controversiis fidei, aut causis Ecclesiasticis convenire, palam professus est; quodque act. 10., non ut Judex, sed, ut consentiens, et Decretorum executor, se subscripsit.

Prop. III. Ecclesia, ad quam doctrinae Magisterium pertinere diximus prop. ant., infallibilis est in iis, quae sunt fidei, ac morum: nec solum in Concilium coacta, sed et extra Concilium: ac nedum in definiendis, quae expressa in Scripturis sunt, et ad salutem necessaria, sed et in omnibus judiciis dogmaticis, ac iis, quae ad fidem, ac mores quovis modo pertinent: quin ulli demum fas sit, ejus judicio sub quovis praetextu non acquiescere. Est de fide.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex illis Christi verbis Jo. 14. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis, quem vos cognoscetis, quia apud vos manebit*; quibus verbis Christus et promisit Apostolis spiritum veritatis; et promisit, quod mansisset cum iis in aeternum, ut quisque intelligeret, quod in persona Apostolorum, qui non erant semper victuri, Episcopos quoque eorum in charactere Successores usque ad Mundi finem alloquebatur. Habere autem spiritum veritatis, ac semper veritatem docere, nec umquam posse falli in docendo, sed infallibilitatis privilegio in docendo gaudere, idem dictu sunt: Ergo.

2.° Ex illis verbis, quae Christus iisdem dixit post suam Resurrectionem, ut legitur Matth. ult. *Docete omnes gentes... Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*; quibus verbis Christus et praecepit Apostolis, ut docerent: *Docete*: et iis ad hoc munus specialem promisit assistentiam: *Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus*: et demum, ut quisque intelligeret, quod nedum Apostolos, qui vita excessuri erant, alloquebatur sed in eorum persona omnes quoque Episcopos eorumdem Successores in Ecclesiae regimine usque ad Mundi finem, subdidit: *Usque ad consummationem saeculi*. Si autem cum iis semper est Christus, dum fideles docent, nemo non videt, quod vi specialis hujusmodi assistentiae nequeunt, nisi recte docere, quin umquam in docendo falli possint: Ergo.

3.° Ex ep. ad Eph. 4., ubi dicitur Christus dedisse Ecclesiae *quosdam quidem Apostolos... alios autem Pastores, et Doctores*; quibus verbis significatur, quod, praeter Apostolos, quos morte Ecclesia amisisset, instituit quoque, ut iis succederent, Episcopos, qui dicuntur Pastores, et Doctores ob eorum munus pascendi, et docendi in Ecclesia; idque, ut fideles *non essent parvuli fluctuantes, et circumferrentur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Instituisse autem in Ecclesia Episcopos, ut per eos stabilirentur, et continerentur fideles in vera fidei doctrina, quin umquam essent, velut *parvuli fluctuantes, etc.*, idem dictu est, ac illis privilegium dedisse omnes dubitationes, et incertitudines in rebus fidei tollendi, ac finaliter, et infallibiliter judicandi de controversiis fidei, quip-

pe quod sine tali privilegio semper fuissent fideles, velut parvuli fluctuantes, atque ad circumventionem erroris expositi: Ergo.

4.° Ex Christi praecepto Matth. 18. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus*; hic enim per Ecclesiam illam intelligi, quae doctrinae Magisterium concreditum habet, Pastores nempe, et Doctores a Christo Ecclesiae datos *ad consummationem Sanctorum*, et ne fideles essent *parvuli fluctuantes, et circumferrentur omni vento doctrinae, etc.*, ex ipsis terminis patet. Si autem falli posset, et errores credendos proponere, habendus non esset, tamquam Ethnicus, qui eam non audiret, ut etiam patet ex ipsis terminis: Ergo.

5.° Ex illis item Scripturae textibus, ubi dicitur Episcopis collata ligandi, ac solvendi potestas (Matth. 18.); et quod Spiritus S. eos posuit regere Ecclesiam Dei (Act. 20); quodque omnes teneantur illis pronis animis obsequi (Heb. 13.). Ut autem Episcopi ea, qua par est, ratione ligandi, ac solvendi potestatem exercerent; ut recte Dei Ecclesiam regerent; ut demum fideles pronis animis illis obsequi tenerentur, infallibilitatis privilegio instrui, necesse erat; quis enim credat, voluisse Christum fideles suos adstringere ad obtemperandum Pastoribus, qui credenda, et agenda traderent, quin eos ea voluerit assistentia fovere, quae necessaria est, ne concreditas sibi oves decipiant?

6.° Ex natura fidei, quae cum esse debeat absque ulla prorsus errandi formidine, effectus profecto esse nequit, nisi auctoritatis, cui numquam possit subesse falsum; quia enim effectus nequit ejus causa esse major, nequit etiam aliquid in effectu esse, quod non sit in causa. Non est autem de fide Catholica, nisi quod Ecclesia per suos Pastores simul cum Capite repraesentata proposuerit credendum, tamquam a Deo revelatum, juxta illud non semel laudatum D. Aug. effatum: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas*: Talis ergo auctoritatis dicendam esse Ecclesiam per suos Pastores simul cum Capite repraesentatam, ut numquam ei possit falsum subesse, consequens est.

7.° Quia, ut Canus disserit, si nullos Ecclesiae suae dedisset Christus Pastores, suum ovile absque dubio deseruisset. Multo autem melius Ecclesiae esset nullos habere, quam errantes habere: Si ergo errantes haberet, adeo nempe,

nt omnes a veritate possent discedere, ovile suum Christus multo magis deseruisset; quod cum sit nefas dictu, inerrantes eos suae Ecclesiae dedisse, consequens est.

8.º Quia, ut idem disserit, si forte erraret Corpus Episcoporum, teneretur-ne populus illis obedire, an non? Si primum, en cum errantibus Pastoribus tota simul Christi plebs errore perculsa; quod esse nequit. Si alterum, in hoc casu nedum hinc Pastores, inde oves, et Christi vestis inconsutilis dilacerata, verum etiam ubi semel plebs a communi suorum Doctorum sententia declinasset, quorumne doctrinam postea secutura esset; et dum salem abjecisset, a quo saliretur?

Quibus omnibus demum non abs re erit addere quod Christus ait de Proceribus Scribarum, et Pharisaeorum: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. Quodcumque dixerint vobis, facite* (*Matth.* 23.). Quis enim dicere audebit, quod meliore statu, et conditione Scribae, et Pharisaei erant, quam Ecclesiae Christi Pastores, et Doctores?

Diximus vero, quod Ecclesia, penes quam est doctrinae Magisterium, *infallibilis est in iis*, *quae sunt fidei*, *ac morum*; nedum nempe in iis, quae proponit credenda, sed in iis etiam, quae praecipit sive agenda, ut necessaria ad salutem, sive ad cultum Divinum pertinentia, ut Deum deceat. Quod probatur 1.º ex omnibus, quae supra produximus, momentis, quae utrumque probant.

2.º Ex Conciliis: etenim cum Nicaenum I. statuisset diem, in qua celebritas Paschalis esset habenda, fuerunt *Quarto-decimani* habiti, ut haeretici, quod tali statuto non acquieverunt, contendentes, non esse obediendum Ecclesiae. Item Nicaenum II. proscripsit, ut haereticos, qui cum Iconomachis, Ecclesiam in veneratione, et cultu Imaginum errare, assererent. Item Tridentinum, postquam Laicis communionem sub utraque specie abstulisset, anathemate perculit sess. 21. can. 1., qui dicerent, ejus usum sub utraque specie esse omnibus jure Divino ad salutem necessarium. Et can. 6. de Euch. Sacramento ait: *Si quis dixerit, in Sancto Euch. Sacramento Christum non esse cultu latriae etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, nec in processionibus secundum laudabilem Ecclesiae consuetudinem solemniter circumgestandum, ana-*

thema sit. Et sess. 7. can. 13. anathemate perculit, *qui dixerint, receptos, et approbatos Ecclesiae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos sine peccato a Ministris pro libito omitti posse.*

3.° multiplici ratione: 1.° enim, quia ex Christi verbis Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*, tenemur omnibus Ecclesiae Legibus obtemperare, si Ecclesia in illis edendis erraret, Christus nobis erroris auctor esset. Hoc autem dictu nefas: Ergo. 2.° quia si Ecclesia vel expresso judicio, vel lege lata turpia probaret, aut reprobaret honesta; sicut etiam cultum falsum Deo exhibendum proponeret, aut dignum reprobaret, error profecto hujusmodi non solum fidelibus pestem, ac perniciem afferret, sed fidei etiam adversaretur, quae virtutes omnes, ac cultum Deo dignum probat, universa vitia, cultumque Deo indignum condemnat. In fide autem errare nullatenus potest: Ergo. 3.° quia si in hujusmodi Ecclesiae Pastores errarent, non pascerent salubriter Christi oves, ad id enim non minus exigitur, ut fideles recte doceant circa ea, quae ab iis sunt credenda, quam circa ea, quae debent vel Deo, vel sibi, vel aliis, ut vitam aeternam consequantur. Injuriosum autem Christo esset, ejusmodi Pastores suae Ecclesiae dedisse: Ergo. 4.° quia spiritus veritatis ab eo Ecclesiae promissus omnem veritatem complectitur, tam nempe quae pro objecto habet credenda, quam quae agenda, et caetera ad salutem necessaria. Quod cum ita sit, dicendum profecto, tam in his, quam in illis proponendis spiritum veritatis Ecclesiam regere: Ergo.

Prob 2. pars. Et 1.° ex relatis Christi verbis: *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Si autem omnibus diebus, profecto tum cum iis in Concilium coactis, tum cum iisdem extra Concilium; maxime cum haec saepe non possint celebrari, et reapse nonnisi raro celebrentur: Ergo.

2.° Ecclesiae simul collectae judicium a Christo moderatore, et assistente dirigi, aperte patet ex relatis Scripturae textibus, aliisque supra allatis momentis Eodem autem moderatore, et assistente dirigi ejus quoque dispersae judicia, dicendum est, tum quia omnes Scripturae textus supra laudati absolute loquuntur; tum quia si Ecclesiae simul collectae eo dumtaxat nomine, ac titulo inerrantia competit, quia est totius Ecclesiae imago, ac repraesentatio, multo magis ipsi dispersae tribuenda est, quae non-

tantum imago, et repraesentatio, sed ipsamet est Ecclesia; tum quia si expectanda esset Ecclesiae collectio in Concilium, ut ei inerrantia competeret, quis interim dissidia, quae circa Religionem orirentur, componeret? Quis rebelles in officio contineret, et contumaces coerceret? Et quoniam non ita facile Concilia generalia congregari possunt, quo intra id tempus Ecclesiae negotia reciderent? Quis efficeret, ne fideles essent, velut parvuli fluctuantes, nescientes, quae doctrina esset tenenda, donec cogeretur Concilium, quod interdum nec saeculo integro cogi posset? Quis impediret, ne dilaceraretur intestinis discordiis Ecclesia; ac magis, magisque rebellibus, et contumacibus superbientibus, adeo errores invalescerent, ut amplius non possent ab animis hominum iis diu praeoccupatorum per futurum ipsum Concilium evelli? Quibus positis, nonne Christus, nedum non consuluisset Ecclesiae, quantum erat satis, verum etiam male, et improvide ei consuluisset; quod nefas dictu?

3.° Si infallibilitatis privilegium nonnisi Ecclesiae in Concilium coactae competeret, Conciliorum Generalium congregatio dicenda esset identidem absolute necessaria, ut nempe irreformabili judicio haereses exortae profligarentur. Hanc autem absolutam necessitatem congregandi universalem Ecclesiam, ut irreformabili judicio haereses exortae profligarentur, numquam Ecclesia agnovit, utpote quae ante Conc. Nicaenum 1.^m^, quod fuit Oecumenicorum primum, exortas haereses absque ullo Generali Concilio profligavit, ut Nicolaitarum, Ebionitarum, Marcionitarum, Basilidis, Saturnini, Valentini, Novatianorum, Manichaeorum, etc.; et expresse negat prae aliis D. Aug. *l. 4. ad Bonifac. c. ult.*, ubi Pelagianis Gen. Concilium postulantibus ita respondet: *Aut vere congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla haeresis aliquando, nisi Synodi congregatione, damnata sit, cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multaeque sint, atque incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt.*

4.° Si infallibilitatis privilegium nonnisi Ecclesiae in Concilium coactae competeret, principium quoque, seu fundamentum infallibilitatis Ecclesiae non esset specialis Spiritus Sancti assistentia, omni tempore, omnibusque diebus, juxta promissiones illi a Christo factas, sed mutua Episcoporum communicatio; eo fere modo, quo cae-

terorum Tribunalium rectitudo a mutua communicatione, et coetu Judicum pendet. Id autem adversatur et obvio, apertoque allatorum textuum sensui; et constanti ipsius Ecclesiae Traditioni, quae se infallibilem semper pronunciavit ex speciali Spiritus Sancti assistentia; et verbo tantum relinqueret infallibilitatem Ecclesiae, sed re eam tolleret, quia aliam illi infallibilitatem non tribueret, nisi fundatam super humana industria, ideoque etiam humanam, et errori obnoxiam: Ergo.

Prob. 3. pars; 1.° enim dogmaticum Ecclesiae judicium definitur: *Judicium de rebus a Deo revelatis, vel cum iis certo, et indivulse connexis.* Seu: *Judicium veritates credendas, et errores proscribendos proponens.* Cum autem Scripturae textus super Ecclesiae infallibilitate allati absolute, et absque restrictione loquantur, eam idcirco, ut sapienter disserit Bossuetius in utroque suo Docum. Pastorali, infallibilem credere debemus absolute etiam, et absque restrictione; ac nedum proinde in iis, quae directe, et immediate a Deo fuerint revelata, sed in iis etiam, quae sint cum revelatis connexa; nec tantum in proscribendis, propositionibus haereticis, sed in illis etiam proscribendis, quae sint infra haeresim; ideoque in omnibus judiciis dogmaticis, atque ad fidem, vel mores quovis modo pertinentibus: Ergo.

2.° Ex eo quod, ut disserit Bannesius 2. 2. qu. 11. art. 2., *cum Ecclesia sit regula infallibilis proponendi veritates fidei, necessario sequitur, quod non possit falli in confessione fidei. Ex quo rursus sequitur, quod non possit falli in dijudicando verba contraria, et minus legitima, ac dissonantia veritatibus catholicis significandis.* Hinc concludit: *Si quis condemnaretur, ut revocaret aliquam propositionem male sonantem, aut sapientem haeresim, et ille nollet retractare, puniretur, ut haereticus.*

3.° Ex Facultate Parisiensi, quae anno 1644. declaravit, *esse haereticum damnare disciplinam, et consuetudinem ab omnibus Ecclesiis receptam, tamquam abusivam, et institutioni Christi, atque Evangelicae doctrinae contrariam.* Et D. Th. *quodlib.* 9. *art.* 16. de ipsa loquens Canonizat. SS., *Divina (ait) Providentia praeservat Ecclesiam, ut in talibus per fallibile hominum testimonium fallatur.* Et Canus *l.* 5. *De Locis c.* 5. *concl.* 3., quamvis dicat, non esse de fide, quod in Canoniz. SS.

Ecclesia falli non potest, *temerarium tamen* (scribit), *et irreligiosum esset, Ecclesiae hac in re fidem abrogare; quia enim multum refert ad communes Ecclesiae mores scire, quos debeas religiose colere, si in illis erraret Ecclesia, in moribus quoque graviter falleretur*. *Ne igitur tantus error in Ecclesia sit, Deus peculiariter providere censendus est, ne Ecclesia, quamlibet hominum testimonia sequatur, in Sanctorum Canonizatione erret. Cujus quidem peculiarissimae providentiae abunde magnum argumentum est, quod numquam infirmata est fides ab humanis testibus semel in hujusmodi judiciis suscepta.* Item Bened. XIV. *De Canonizat. SS. tom.* 1. *c.* 45. doctissime, et eruditissime more suo adductis hinc inde pro, et contra Auctoribus, et rationibus, tandem concludit, quod contrarium sentientes de Sanctis Canonizatis, licet non sint formaliter haeretici, ex quo id nondum sit ab Apostolica Sede expresse definitum, tamen sunt temerarii, impii, scandalosi, in Sanctos injuriosi, faventes haereticis, sapientes haeresim, assertores erroneae propositionis, et gravissimis poenis obnoxii. Tandem Lucius Ferraris *v. Papa n.* 49 ulterius progreditur, et suo quidem judicio absolute id asserit de fide; ut enim disserit, id sequitur ex duplici praemissa de fide; scilicet: *Romanus Pontifex docens Ecclesiam in iis, quae spectant ad materiam fidei, et doctrinam morum, errare non potest*, quemadmodum patebit ex infra dicendis, ubi de Rom. Pontifice. *Sed Canonizatio SS. spectat ad materiam fidei*, tum quia, ut ait D. Th. quodlib. 9. qu. 2. art. 16. in corpore, *honor, quem Sanctis exhibemus, est professio quaedam fidei, qua SS. gloriam credimus*; tum quia Papa in Canonizatione definit, Sanctum, quem canonizat, esse vere in gloria, et in consortio aliorum SS., et decernit sic firmiter ab omnibus tenendum, ut patet ex Bullis Canonizationum: Ergo. Nec obstat, quod Papae judicium in hujusmodi sit humanum; humanis scilicet testimoniis innixum: licet namque sit humanum *dispositive*, ut per hominum testimonia maturo procedens consilio, et examine se disponat ad recipiendam motionem Spiritus Sancti; est tamen Divinum *directive*, roboratum nempe Spiritus Sancti assistentia; qua ita regitur, ut in definitione errare non possit. Quae ratio (pergit n. 56) cum locum habeat in ipsa alicujus Servi Dei Beatificatione, de fide quoque esse, docet, quod Papa errare ne-

queat non solum in Canonizatione, sed etiam in Beatificatione: quamvis enim Divinum Officium, et Sacrum Deo offerre in ejus honorem non concedatur omnibus, omnibus tamen in Ecclesia licet se illius precibus etiam publice commendare, eumque Beatum vocare, et pro tali reputare, colere, et venerari: ex quo sequitur, quod si Papa errare posset in Beatificatione, tota etiam Ecclesia in iis, quae pertinent ad cultum, et venerationem errare posset. Illud vero, quod ex D. Aug. in medium profertur: *Multa corpora Sanctorum venerantur in Terris, quorum animae cruciantur in Inferno*, ostendit Bellarm. tom. 2. l. 1. c. 9. De SS. Canoniz., in veris D. Aug. operibus non reperiri.

Prob. 4. pars, quod nempe praefatis Ecclesiae judiciis nefas est sub quovis praetextu non acquiescere; 1. enim prono alveo id fluit ex iis, quae hactenus ostendimus. 2.° quia hi praetextus, sub quibus durae cervicis homines possent praefatis Ecclesiae judiciis non acquiescere, quinam essent, nisi conditiones ad recte judicandum servandae, et ab Ecclesia neglectae? Jam vero, ut optime disserit Canus l. 5. De Loc. c. 5. qu. 3., *si semel haereticis hanc licentiam permittimus, ut in quaestionem vocent, num Ecclesiae Judices eam diligentiam, et curam adhibuerint, qua opus erat, ecquis adeo caecus est, qui non videat, omnia mox Pontificum, Conciliorumque judicia lubefactari?* Pro certo ergo habendum, aut conditiones illas certis in casibus necessarias non fuisse, aut ab Episcopis diligenter observatas, aut a Deo optimo provisore, qui in necessariis non deest, suppletas fuisse. Et sane, ut laud. Canus pergit, *si Deus in sequentem annum frugum abundantiam polliceretur, ecquid stultius esse posset, quam dubitare, anuon homines semina terrae mandaturi sint? Certe, si seruerint, metent: si non seruerint, non metent. Sed ex Dei pollicitatione colligimus, non solum proprias Coeli conversiones, quibus omnia, quae terra gignit, uberiora proveniunt, sed agricolarum etiam curas, operas, diligentiam. Non enim frugum abundantia illa promissa, nisi arantibus, seminantibus, laborantibusque continget. Ita etiam cum Spiritum veritatis Christus Apostolis, eorumque Successoribus in fidei judicio promiserit, pro certo habendum est, nihil omnino illis defuturum, quod fidei controversiis finiendis fuerit necessarium.*

Objic. 1.° illud Ap. 2. ad Cor. 1. *Non dominamur*

fidei vestrae. Si autem judicium Pastorum Ecclesiae esset in rebus fidei infallibile, fidei ipsis subjectorum Pastores Ecclesiae dominarentur: Non igitur infallibile. Nec non illud Act. 17., quod Beroaenses, audita Pauli praedicatione, *susceperunt verbum cum omni aviditate*, *quotidie scrutantes Scripturas*, *si haec ita se haberent*. Si autem privatis, quales Beroaenses erant, licet veritates ipsis propositas expendere, num ita se habeant, profecto Pastorum judicium, qui illas ipsis proponunt, hoc ipso non est infallibile: Ergo.

R. quoad 1.m, sensum Apostoli esse, 1.° quod Pastores Ecclesiae debent suis subditis praeesse, non ad Saecularium Dominorum normam, sed modeste, et humiliter, juxta Christi praeceptum Luc. 22. *Reges Gentium dominantur eorum*, *et qui potestatem habent super eos*, *benefici vocantur*. *Vos autem non sic*, *sed qui major est in vobis*, *fiat*, *sicut minor*. 2.° non se, et alios Pastores dominari fidei, tum quia debemus omnes fidei servire; tum quia Christus in definitionibus fidei, ut Auctor fidei, et consummator, ipse est, qui per Pastores dominatur. Hinc paullo ante ait: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo*, *et qui unxit nos*, *Deus*.

Quoad alterum vero, cum ad Beroaenses tunc primum pervenisset Pauli praedicatio, utique iis licebat, ne irrationabiliter illam susciperent, expendere, an res eo modo, quo illis Paulus praedicaverat, se haberent: cumque essent Judaei, disponerentur ad illam suscipiendam, expendendo Scripturas, quibus Paulus fidem in Jesum Christum illis proposuerat. Quid porro ex hac Beroaensium agendi ratione cum iis, qui cum se Christi cultores profitentur, nolunt tamen ejus Ecclesiae judicio acquiescere, quam qui non audierit, habendum esse, ait Christus, *sicut Ethnicum*, *et Publicanum*? Utque paucis rem complectamur, nondum noverant Beroaenses Christi Ecclesiam, cujus proinde judicia nec etiam noverant venerari. Postquam autem Christus nos vocaverit in admirabile lumen suum, ac nosse nobis fecerit Ecclesiam, cum qua promisit se futurum *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, ne in docendo erret, an non quisquis ei detrectat fidem, hanc audacter Christo ipsi detrectat?

Objic. 2.° Cum judicium Pastorum Ecclesiae sit humanum, non Divinum, idem proinde dictu est, quod eorum judicium in iis, quae credenda proponunt, habet fi-

dei infallibilitatem, quodque fides humanum etiam quid sit, non Divinum. Hoc absurdum: Et absurdum ergo, quod eorum judicium in iis, quae credenda proponunt, habeat fidei infallibilitatem.

R. neg., quod judicium Pastorum Ecclesiae in rebus fidei humanum sit; cum enim in decidendis fidei controversiis Spiritus Sancti assistentia gaudeant, cumque iis promiserit Christus se futurum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, ne in docendo errent: quidquid proinde credendum proponunt, ipse Spiritus Sanctus per eos proponit credendum, utque paullo ante diximus, quisquis in hujusmodi eorum judicio fidem detrectat, hanc audacter Christo ipsi detrectat.

Objic. 3.° Omnes conveniunt, quod singuli Episcopi seorsim sumpti errori subjacent. Quod autem partes non habent, neque etiam habere potest totum ex illis coalescens: Cum ergo Episcopi seorsim sumpti inerrantiam non habeant, neque etiam simul sumpti eam habent.

R. dist. min.; si agatur nempe de determinationibus intrinsecis, quas partes nec adaequate, nec inadaequate habeant; non vero si agatur de extrinsecis, quae toti fuerint collatae, partibus vero seorsim sumptis collatae non fuerint. Hujusmodi autem est infallibilitatis privilegium, quod Christus Pastoribus suae Ecclesiae communione, et consensu junctis cum eorum Capite contulit, non vero singulis seorsim sumptis.

Objic. 4.° Si Episcopi seorsim sumpti errarent, omnes quoque simul sumpti errarent. Quod cum ita sit, utique etiam cum seorsim sumpti errare possint, omnes quoque simul sumpti errare possunt: Hoc ipso igitur, quod seorsim sumpti errare possunt, utique etiam simul sumpti errare possunt.

R. neg. sequ. min.; vi enim promissionum Christi iis seorsim sumptis non inest, communione, et consensu junctis cum eorum Capite inest infallibilitatis privilegium.

Objic. 5.° Ecclesia, quae habet spiritum veritatis illa est, quae spiritum Christi habet. Non habent autem Christi spiritum, nisi tantum justi: Et horum igitur Ecclesia habet tantum veritatis spiritum, quo falli nequeat.

R. dist. maj.; quod nempe Ecclesia, quae habet spiritum veritatis, illa est, quae Spiritum Christi habet, idest specialem Christi assistentiam, ne in docendo erret; non vero tantum, quae spiritum Christi habet, idest gra-

tiam sanctificantem; 1.° enim spiritus veritatis collatus Ecclesiae fuit ad custodiendum fidei depositum ipsi concreditum, et ne fideles essent, velut *parvuli fluctuantes, et circumferrentur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*, ut supra diximus cum Apostolo. Si autem Ecclesia justorum illa esset, cui collatus fuit veritatis spiritus, ad neutrum hic conferret; quis enim umquam mortalium intuitus est hactenus hujusmodi Ecclesiam? Quis non videt, quod si dona a Christo Ecclesiae collata continendis in officio, ac veritate fidelibus necessaria, ea nos ad latentia solum, et invisa membra referimus, inania profecto essent dona illa, ac nihil prorsus ad communem utilitatem accommodata? Immo, ut optime addit Canus l. 4. de Loc. c. 5., *noxia essent, ac perniciosa valde, quippe quae perditissimis quibusque civibus et dissidiorum praeberent perpetuas causas, et in omnibus omnino flagitiis impunitatem, ac licentiam sempiternam.* Nefas autem dictu, quod dona a Christo Ecclesiae collata et frustra, et in perniciem illi fuerint concessa. 2.° quia Ecclesia, quam quisque non audiens, habendus est, velut Ethnicus, patens profecto esse debet. Talis autem non est justorum Ecclesia: Neque ergo haec dicenda est, quam quisque non audiens habendus est, velut Ethnicus. 3.° quia Christus absolute ait in persona Apostolorum omnibus eorum Successoribus: *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*; sicut etiam Ap. absolute ait ad Eph. 4., dedisse Christum Pastores, et Doctores in Ecclesia, ne fideles essent parvuli fluctuantes etc. Sive ergo Pastores, et Doctores, quos dedit, sint justi, sive sint peccatores, speciali ejus assistentia, et inerrantiae privilegio in docendo gaudent. 4.° idem quoque probat illud Ap. ad Tim. ep. 1. c. 3. *Haec scribo tibi, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis*; ubi loquens de Ecclesia, in qua Timotheus conversari poterat, loqui profecto non poterat, nisi de Ecclesia visibili, qualis non est justorum Ecclesia. 5.° demum infallibilitatis privilegium quaenam, nisi vera Christi Ecclesia accepit? Haec autem, ex ostensis c. 1. prop. 1., est visibilis; justorum vero Ecclesia invisibilis: Neque ergo haec illa est, quae accepit infallibilitatis privilegium, sed illa, ut eleganter Canus disserit l. 4. de loc. c. 5., *quam*

Apostoli sua doctrina, miraculisque fundarunt, ad quam iidem suas conscripsere epistolas, quam in Terris semper habuit Christus, quam Sacrae Litterae apte, prudenterque describunt ex bonis, ac malis piscibus, ex frumento, et zizaniis, ex tritico, et palea, ex fatuis, sapientibusque Virginibus, e servis probis, improbisque constantem.

Objic. 6.° D. Aug. *l. 7. cont. donat. c.* 51., ubi diserte docet, domum, Ecclesiamque Dei, quae in bonis solum fidelibus est, et sanctis Dei servis, eam esse, quae aedificata est super petram, et quae claves, ac potestatem solvendi, et ligandi accepit. Eadem ergo est, quae est columna, et firmamentum veritatis.

R. neg. cons.; ac sensum D. Aug. esse, quod universa dona a Christo Ecclesiae promissa, et collata, non propter malos, qua mali sunt, et malitia obcaecari volunt, sed propter bonos, eosque, qui tales sunt evasuri, illi et promissa, et collata sunt. Eo fere modo, quo ea, quae oeconomis, et dispensatoribus paterfamilias tribuit in familiae commoditates distribuenda, non oeconomis, sed familiae ipsi tributa intelliguntur: ac ea, quae Episcopis, et Clericis populus dedit in usum pauperum expendenda, ea non Episcopis, et Clericis, sed pauperibus dicitur contulisse. Alii quoque referunt D. Aug. verba ad usum potestatis, quem mali, quia congrue habere non possunt, dicuntur non habere. Ac demum alii existimant, quod S. D. de publicis raptoribus, usurariis, concubinariis, sacrilegis ibi loquitur, a quibus olim, perinde ac si essent ab Ecclesia praecisi, non licebat Sacramenta percipere.

Prob. V. Infallibilitatis privilegium inest Episcopis, quotquot numero sint, sive nempe plures, sive pauciores, qui idem cum Rom. Pontifice sentiant; quin obstet aliorum Episcoporum dissensio. Ita major, et sanior TT. pars.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex illis Christi verbis Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non prævalebunt adversus eam*; ex quibus patet, quod ne Ecclesia erraret, inerrantiae promissio ejus Magistro, et Capiti facta fuit. Hinc autem sequitur, quod securitas non errandi in Ecclesia ex inerrantia ejus Magistri, et Capitis, quod est Rom. Pontifex, tamquam Petri Successor, resultat; ideoque non inest, nisi Ecclesiae Pastoribus, quotquot numero sint, sive nempe plures, sive pauciores, qui illi adhaereant: Ergo . .

In Petro (ita apposite Canus l. 6. de Loc. c. 3.), *et Successoribus primum firmam, certamque doctrinam asserimus, mox vero in Ecclesia Romana, cujus Petrus cum Successoribus et Caput, et fundamentum est.*

2.° Ex subsequentibus ibidem Christi verbis: *Et tibi dabo claves Regni Coelorum; et quodcumque solveris super Terram, erit solutum et in Coelis; et quodcumque ligaveris super Terram, erit ligatum et in Coelis*; cum illis collatis, quae Apostolis simul cum Petro ait Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super Terram, erunt ligata et in Coelis; et quæcumque solveritis super Terram, erunt soluta et in Coelis*: ex quibus simul collatis sequitur, quod caeteri Episcopi, qui sunt Apostolorum in charactere Successores, quidquid alligaverint, vel solverint super Terram, non erit ligatum, vel solutum in Coelo, nisi sint in communione cum Rom. Pontifice, qui est Petri Successor; dum hic quidquid liget, vel solvat in Terris, sive cum aliis Episcopis, sive etiam solus, erit quoque ligatum, vel solutum in Coelis. Porro hinc etiam sequitur, ut consideranti patet, quod inerrantiae privilegium Ecclesiae tributum agnoscendum semper est ex illa parte Episcoporum, sive plures, sive pauciores sint, qui idem cum Rom. Pontifice sentiant: Ergo . . *Petro dictum est sine aliis* (ita apposite Alvarus Pelagius, et quidem antequam in Ecclesia hujusmodi quaestiones exortae fuissent): *Quodcumque ligaveris etc.*; *at non aliis sine Petro*: *ut intelligatur sic ei attributa potestas hujusmodi, ut alii sine ipso non possint, ipse sine aliis possit ex privilegio sibi collato, et concessa sibi plenitudine potestatis.* 2.° ex *C. Qui cathedram* 3. *Dist.* 93., ubi: *Qui cathedram Petri* (*supra quam fundata est Ecclesia*) *deserit, in Ecclesia se esse, non confidat.* Et c. *Non decet* l. *Dist.* 12., ubi: *Nulli vero dubium est, quod Apostolica Ecclesia Mater sit omnium Ecclesiarum, a cujus regulis nullatenus vos convenit deviare . . cujus Caput Romana consistit Ecclesia.*

3.° Ex constanti Ecclesiae Traditione, qua constat, veritatem fidei semper stetisse ex illa Episcoporum parte, quotquot hi numero fuerint, sive nempe plures, sive pauciores, qui idem cum Rom. Pontifice sentiebant; ac semper locum habuisse illa D. Ambrosii verba in Ps. 5. n. 30. *Ubi Petrus* (idest Petri Successor Rom. Pontifex), *ibi Ecclesia.* Quid inde autem pronum est inferre, nisi quod infallibilitatis privilegium non inest, nisi Episcopis,

Digitized by Google

quotquot numero sint, sive nempe plures, sive pauciores, qui idem cum Rom. Pontifice sentiant? Hinc scite Canus l. 5. De Loc. c. 5. *Non haec numero judicantur, sed pondere. Pondus autem Conciliis dat Summi Pontificis gravitas, et auctoritas: quae si adsit, centum Patres satis sunt: sin desit, nulli sunt satis, sint quamlibet plurimi. Nec si major pars Patrum vere sentiat, Summus Ecclesiae Pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Christi procurationem pertinet, semperque pertinuit, ne Ecclesia in factiones duas dividatur. Nec Rom. umquam Episcopus contra Patres Concilii vere sentientes dixit.* Et c. ult. resp. ad 5. *Quid causae est, cur Concilium Constantinop. I. 160. Patrum, tamquam unum ex Evangeliis habeatur: alterum vero Constantinopolitanum* 338 *Patrum* (sub Constantino Copronymo) *habeatur pro nihilo? Nempe Conciliorum robur ab illo est, pro quo rogavit Christus, ne deficeret fides ejus, quo fratres suos posset in fide firmare.* Ubi licet Vir doctissimus loquatur de Ecclesia in Concilium coacta, nemo tamen non videt, idem valere, ac dicendum esse de Ecclesia extra Concilium, seu dispersa, cum ideo coactae in Concilium, ut supra diximus, infallibilitatis privilegium competet, quia imago est, et repræsentatio totius Ecclesiae.

4.° Demum ex eo, quod vera Christi Ecclesia non est ex ostensis c. 2. prop. 2., nisi illa, cui praeest Rom. Pontifex. Infallibilitatis autem privilegium non inest, nisi verae Christi Ecclesiae: Neque ergo inest, nisi Episcopis, quotquot numero sint, sive nempe plures, sive pauciores, qui idem cum Rom. Pontifice sentiant.

Prob. 2. pars.; quod nempe contra id, quod diximus, nihil refert caeterorum Episcoporum dissensio: 1.° enim si Christus ipse nos monuit, quod ex ipsis Episcopis futuri erant; qui falsa docuissent, quid clarius, quam quod infallibilitatis privilegium, quo Episcopi idem cum Rom. Pontifice sentientes gaudent, non inficitur a caeteris, qui ab iis dissentiunt? Ipse autem Christus nos monuit, quod temporibus decurrentibus futuri erant falsi Prophetae, idest Pastores seductores, illis verbis ap. Matth. c. 24.: *Multi Pseudo-Prophetæ surgent, et seducent multos.* Quod et monuisse D. Paulum, testantur Actus Apostolorum c. 20., alloquens enim Episcopos Asiae minoris, *attendite* (inquit) *vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ego scio, quoniam in-*

trahunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.

2.° Ex Conc. Ephes. Gen.; ita enim ep. ad Theod. Imp. *Perabsurdum est ducentorum, et decem Episcoporum Synodo, quibus et universa Occidentalium Episcoporum multitudo, et per ipsos reliquus totus terrarum Orbis consentit, triginta tantum numero se se opponere:* ubi de parvo quidem Episcoporum numero, a caeteris communione, et consensu junctis cum Rom. Pontifice dissentientium, loquitur Concilium, quia nempe, ut supra diximus cum Cano, et constans experientia testatur, ad peculiarem Christi providentiam pertinet, semperque pertinuit, quod major pars Episcoporum vere, ac idem cum Rom. Pontifice semper sentiat, quodque, ut supra etiam cum D. Ambrosio diximus, *ubi Petrus, ibi Ecclesia.*

3.° Ex praxi Ecclesiae, quae semper habuit de fide quidquid de fide definierat et contra Arianos, quin obstaret Episcoporum Arianorum factio; et contra Nestorium, quin obstaret dissensio triginta Episcoporum; et contra Pelagium, et Coelestium, quin rationem faceret decem, et octo Episcoporum, qui ad Gen. Concilium appellaverant; et contra Donatistas, quamvis ex sua parte haberent supra trecentos Episcopos: et sic deinceps. Dum ergo Episcopi, quotquot numero sint, sive nempe plures, sive pauciores, idem cum Rom. Pontifice sentiant, infallibilitatis privilegio gaudent; iisque standum est, quin obstet aliorum Episcoporum dissensio.

4.° Ex D. Aug. *l.* 1. *cont. Julian. c.* 1., ubi damnationem haeresis Pelagianae factam a solis Episcopis Africanis, sed a Rom. Pontifice confirmatam, vocat judicium Ecclesiae Catholicae, quamvis ei, ut supra diximus, decem et octo Episcopi resisterent: *Quamvis* (ita S. D.) *dederit vobis Ecclesia Catholica judicium, quale debuit, ubi causa vestra finita est.* Et ser. 2. De Verb. Ap. *Jam de causa Pelagianorum duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est.* Et l. 2. cont. duas ep. Pelagii c. 3. *Litteris Innocentii tota de hac re dubitatio sublata est.* Quid clarius, quam quod per sententiam Sedis Apostolicae, idest Rom. Pontificis, quae Episcoporum, licet non omnium, judicium confirmet, quaevis causa in materia fidei finitur, et tota dubitatio tollitur?

Objic. quod quamvis D. Stephanus Papa vetasset rebaptizari rite ab haereticis baptizatos, eique major etiam Episcoporum pars consentiret, tamen et D. Cypr., et plerique alii, tum Africae, tum Asiae Episcopi illi restiterunt. Non restitissent autem, si persuasum habuissent, quod Episcopis, quotquot numero sint, idem cum Rom. Pontifice sentientibus, inest infallibilitatis privilegium: Non ergo iis persuasum id erat, nec proinde haec fuit vetus Ecclesiae fides.

R. neg. min. 1.° quia D. Cypr. putabat quidem, invalidum esse baptismum, tametsi rite, ab haereticis collatum, non tamen putabat, fidei dogma id esse, sed tantum verisimilius, aeque ac modo sunt ea omnia, quae inter Catholicos controvertuntur. Hinc cum putaret licitum unicuique contrarium sentire, putabat simul, consuetudinem illum iterandi non esse, nisi meram disciplinae legem, nullatenus fidem, ac salutem afficientem, et circa quam unusquisque Episcopus liberam haberet potestatem id statuendi, quod magis expediens judicaret ad bonum regimen Ecclesiae sibi commissae; ut patet ex ejus *ep. ad Steph.*, ubi: *Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque Praepositus, rationem actus sui Domino redditurus.* 2.° quia vetuit quidem D. Stephanus rebaptizari rite ab haereticis baptizatos, non tamen definiit, sententiam rebaptizantium esse haereticam; nec rebaptizantes, ut haereticos damnavit; nec poenam excommunicationis, quam tantum minatus fuit, in rebaptizantes intulit, ut testatur D. Aug. *l. de unico Bapt. c. 14.*, ubi: *Cum ergo Stephanus, non solum non rebaptizaret haereticos, verum etiam hoc facientes, vel, ut fieret, decernentes excommunicandos esse censeret, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.* 3.° quia sicut D. Cypr., cumque eo alii Episcopi rebaptizantes errabant sentiendo, quod ab haereticis rite baptizati rebaptizandi erant, ita etiam errabant sentiendo, non esse ea in re obtemperandum Stephano; ipsi enim errare poterant, non tamen Romana Ecclesia, quemadmodum ipse D. Cyprianus ante disceptationem, de qua agimus, fassus fuerat ep. 55. ad Cornelium illis verbis: *Ad Petri Cathedram, et ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, perfidia non potest habere accessum.*

Prop. V. Praefata Ecclesiae infallibilitas, nedum dogmata, sed facta etiam cum dogmate conjuncta complectitur. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Script.; ut ex relatis non semel Christi verbis Matth., ubi. *Docete omnes Gentes... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* His enim verbis, ut supra ostendimus prop. III, promisit Christus specialem suam assistentiam Ecclesiae Pastoribus usque ad Mundi finem, ut recte docerent fideles in iis, quae ad fidem, ac mores spectant; in quibus proinde fieri nullatenus potest, quod fideles in errorem ab iis inducantur. Si autem falli possent in factis cum dogmate conjunctis, in decidenda scilicet orthodoxia, vel heterodoxia librorum, possent fideles in errorem ab iis induci; ad credendum nempe, tamquam fidei, ac moribus consentaneum, quod fidei, ac moribus repugnaret; et e contrario, tamquam fidei, ac moribus repugnans, quod fidei, ac moribus esset consentaneum: Ergo.

Idem confirmatur ex c. 14. Jo., ubi legitur, quod in persona Apostolorum omnibus quoque eorum Successoribus ait: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum spiritum veritatis.* His enim verbis specialem quoque Spiritus Sancti assistentiam iis promisit, ad cognoscendum infallibiliter quidquid ad fidem, ac mores pertineret. Hujusmodi autem est Orthodoxiae, et heterodoxiae librorum cognitio; an nempe quidquid continent sit fidei, ac moribus consentaneum, vel dissentaneum: Ergo.

Idem quoque confirmatur ex 1. ad Tim. c. 6.; et 2. ad eumdem c. 1., ubi Apostolus, *o Timothee* (ait), *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates. Formam habe sanorum verborum*; ex quibus sequitur, Episcoporum munus esse fidei depositum custodire; idque fideles advertendo de profanis vocum novitatibus, ut has vitent; et de forma sanorum verborum, ut hanc sectentur; ut enim apposite monuit deinde D. Hier., *ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis.* Idem autem dictu est, id esse Episcoporum munus, ac munus eorum esse de orthodoxia, et heterodoxia librorum judicium ferre; idem namque est, librum esse orthodoxum, ac formam sanorum verborum servare; heterodoxum, ac continere profanas vocum novitates: Ergo.

2.° Ex Conciliis; nam 1.° in Conc. Ephesino, cum

lecta fuisset epistola Cyrilli ad Nestorium, et deinde epistola Nestorii ad Cyrillum, primam declaravit Concilium Symbolo Nicaeno quoad omnia consentaneam, ipsumque ei quoque consentire; de secunda vero ait: *Omnes Nestorii epistolam, et dogma anathematizamus. Omnes haereticum Nestorium anathematizamus. Totus terrarum Orbis impiam Religionem anathematizat*; *etc*.. Idem actum fuit in Conc. Chalcedonensi de epistola D. Leonis ad Flavianum, de qua omnes PP. exclamaverunt: *Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credimus. Anathema qui non ita credit. Petrus per Leonem ita locutus est*; proscribentes simul Eutychetis doctrinam illi oppositam. Idem quoque in Conc. Constantinop. II., a quo damnata fuerunt, tamquam haeretica, tria Capitula, scripta scilicet Theodori Mopsuesteni Episcopi, scripta Theodoreti contra anathematismos D. Cyrilli, ac Synodum Ephesinam, et epistola Jbae Edesseni Episcopi ad Marim Persam. Cui Concilio licet Vigilius Papa praesidere noluerit, tamen postea ejus celebrationi consensit, illudque confirmavit; et post ejus confirmationem ab universa Ecclesia, tamquam Oecumenicum Concilium, habitum, et receptum est; quare D. Greg. M. *l*. 1. *ep*. 24. scripsit, eadem veneratione, qua priora quatuor Concilia recipiebat, quintum se quoque recipere. Item in Conc. Later. an. 649. sub Mart. I: damnati fuerunt Cyrus, Sergius, Pyrrhus, aliique Monothelitae *ex temerariis ipsorum scriptis*; et can. 18. anathemate percussi fuerunt *cum omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem*. Et in Conc. Constantiensi sess. ult. Martinus V. praecepit, ut omnes profiterentur, nedum jure, ac rite damnatas fuisse haereses Wiclefi, Joannis Hus, et Hieron. Pragensis, sed horum quoque personas, libros, et documenta. Cujus generis exempla innumera etiam superessent ex historia Ecclesiastica. Quenam autem haec, nisi totidem judicia, et quidem semper habita, ut infallibilia, de factis dogmaticis?

3.° Ex Constitutionibus Pontificum Innoc. X., Alexandri VII., et Clementis XI., ex quibus omnes tenentur sincero animo damnare quinque famosas Jansenii Iprensis Episcopi propositiones in sensu, quo eas docet ipse Jansenius in suo libro *Augustinus*; ac non tantum obsequioso silentio, sed interna etiam animi submissione praefatis Apostolicis Constitutionibus debitam obedientiam reddere.

4.° Rationibus Theologicis; 1.° enim tam orthodo-

xia, quam heterodoxia librorum profecto est aliquid ad fidem pertinens, cum sit aliquid Divinae revelationi consentaneum, vel dissentaneum. In iis autem, quae ad fidem pertinent, Ecclesia est infallibilis: Et igitur in dijudicando de orthodoxia, vel heterodoxia librorum. Sive, ut idem diversimode dicamus, si Ecclesia esset fallibilis circa hujusmodi facta cum dogmatibus conjuncta, hoc ipso esset simul fallibilis circa dogmata; si enim falsum est ex. gr., epistolam Cyrilli ad Nestorium esse orthodoxam, hoc ipso falsum est, Christum esse Deum; et e contrario si falsum est, epistolam Nestorii ad Cyrillum esse haereticam, hoc ipso falsum est, Christi Divinitatem esse, et semper fuisse fidei dogma. Quod autem Ecclesia sit fallibilis circa dogmata est aperte haereticum: Et aeque haereticum igitur, quod sit fallibilis circa facta dogmatica.

2.° Nisi Ecclesia esset infallibilis circa facta dogmatica, multas fidei controversias non potuisset dirimere, quippe quas aliter dirimere non poterat, nisi per Traditiones Apostolicas in Scriptis Patrum contentas. Quod autem illas dirimere non potuerit, est manifeste haereticum: Et igitur manifeste haereticum, quod non sit circa facta dogmatica infallibilis.

3.° Nisi in hujusmodi Ecclesiae judicium esset infallibile, possent a pravis, indoctisque hominibus falsa dogmata scriptis spargi in vulgus cum certo plurimorum subversionis periculo, quin tantum malum efficaciter, irreformabili scilicet judicio, impediri posset. Hoc autem posito, non satis Ecclesiae suae Christus providisset; quod nefas dictu: Ecclesiae igitur judicium de factis dogmaticis infallibile est dicendum.

4.° Impium, horrendumque est asserere, posse Ecclesiam falli in consecranda doctrina, quam tradat textus alicujus canonis dogmatici. Quod cum ita sit, execrabilis pariter error erit affirmare, quod possit errare in condemnanda doctrina, quam textus alicujus libri contineat; nec est, qui non videat, quam futilis, et inepta sit Jansenistarum responsio; quod textus alicujus canonis est brevior, integer vero libri textus longior, et implexus; quasi Christi assistentia promissa fuerit Ecclesiae in dijudicando de textibus brevioribus, non vero de longioribus, et implexis: Ergo.

5.° Demum, cum Ecclesiae Pastoribus onus Christi oves pascendi incumbat, juxta id, quod iis D. Petrus illis

verbis praecipit ep. 1. c. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei etc.*, necessaria iis erat, ut Christi oves bonis, non venenatis pascuis pascerent, potestas infallibiliter illis indicandi bona, et mala pascua, salutares scilicet, et venenatas doctrinas in libris contentas, ut ab his fugerent, ac tantum illis pascerentur; seu non tantum potestas certissimo judicio distinguendi *inter herbam, et herbam*, idest inter dogma catholicum, et dogma haereticum, verum etiam *inter pratum, et pratum*, in quo herbae nascuntur, idest inter libros, et libros, in quo dogmata continentur. In iis autem, quae necessaria erant suae Ecclesiae, Christum defuisse, nefas etiam dictu: Magis, magisque ergo patet, quod dum Ecclesiae Pastores judicent de salutaribus, vel venenatis doctrinis in libris contentis, eorum judicium, tamquam infallibile, est habendum.

Objic. 1.° Ecclesiam errare posse in quaestionibus de facto, nemo est, qui id neget. Orthodoxia autem, vel heterodoxia alicujus libri est factum. Errare igitur circa illam potest.

R. dist. maj.; si agatur nempe de facto personali, non vero si agatur de facto dogmatico. Distinguendum enim est inter facta personalia, et facta dogmatica. Primi generis facta sunt mera facta; seu quae fidem, ac mores, nullatenus afficiunt, sed tantum alicujus personam, an scilicet damnari, vel absolvi debeat ob aliquod factum ipsi imputatum; an mereatur ad Episcopatum promoveri, etc.; ac circa haec non controvertitur, quod Ecclesia possit falli, tum quia infallibilitas circa hujusmodi facta non est Ecclesiae necessaria ad fideles in recta fide continendos, ad morum doctrinam servandam, ad cultum Deo dignum exhibendum, tum quia nec ex Scriptura, nec ex usu ipsius Ecclesiae constat. Facta vero alterius generis, idest dogmatica, sunt facta cum dogmate conjuncta, seu quae ad fidem, vel mores pertinent; ut hujus, vel illius libri orthodoxia, vel heterodoxia, rectitudo, vel perversitas doctrinae, quae in hoc, vel illo libro continetur quoad fidem, ac mores; circa quae idem dictu esset, quod Ecclesia possit falli, quodque falli possit circa dogmata; quod cum haereticum sit, dicendum, et firma fide tenendum, quod circa haec aeque Ecclesia est infallibilis, ac circa dogmata. Hinc nonnisi Jansenistae negare id ausi sunt; ajentes nempe, ut fucum Catholicis facerent, quinque famosas propositiones Janse-

nio attributas esse quidem haereticas; Ecclesiam tamen Jansenii sensum non esse assecutam, nec in libro Jansenii, qui *Augustinus* inscribitur, in sensu ab Ecclesia proscripto eas contineri.

Objic. 2.° Nullum factum post Apostolorum tempora dici potest revelatum, cum nullas novas revelationes Ecclesia post eorum tempora habuerit; secus, ut alibi diximus, nec Spiritus Sanctus docuisset Apostolos juxta Christi promissionem Jo. 14. *omnem veritatem*, nec diceremur ad Eph. 2. *superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.* At heterodoxia libri ex. gr. Jansenii est factum saeculi 17. longe post Apostolorum tempora: Non ergo revelatum, nec proinde definibile, tamquam de fide.

R. 1.° indirecte; si enim argumentum valeret, probaret quoque, non esse de fide, quod Petrus ex.gr. conceptus fuit in peccato originali; quod Conc. Trid. errare in fide non potuit, etc, ut cuivis consideranti patet. 2.° directe dist. maj.; quod nempe nullum factum post Apostolorum tempora dici potest revelatum *absolute*, non vero *secundum quid*, per revelationem nempe anteà factam, quae comprehendat casus particulares subsequentes, vel tamquam implicitum relate ad casus explicitos, vel tamquam universale relate ad casus particulares. Hujusmodi autem est revelatio et quod omnes in Adam peccaverunt relate ad quemvis, qui ex semine Adam prodierit, vel prodituris sit; et quod Ecclesia errare in fide non potest relate ad Concilia Generalia in ea habita: et sic etiam relate ad orthodoxiam, vel heterodoxiam Scriptorum, quae in lucem eduntur, vel editura sint.

Objic. 3.° Si Ecclesia esset infallibilis in judicando de factis dogmaticis, quodvis ex his dicendum esset post Ecclesiae judicium novum fidei objectum. Ex ratione autem supra allata nihil novi umquam credidit, vel creditura est Ecclesia post Apostolorum tempora: Non ergo infallibilis dicenda est in judicando de factis dogmaticis.

R. 1.° tum indirecte, quod si argumentum valeret, neque etiam dici posset fidei objectum, quod Conc. Trid. errare in fide non potuit. 2.° directe dist. min., eodem modo, quo supra.

Objic. 4.° Orthodoxia, vel heterodoxia cujusvis facti dogmatici credi non potest de fide ante Ecclesiae judicium.

Fides autem est immutabilis: Neque ergo post Ecclesiae judicium.

R. 1.° neg. maj.; nam etiam ante Ecclesiae judicium heterodoxia ex. gr. libri Jansenii credi poterat de fide a quovis, cui fidei doctrina perspecta erat. 2.° neg. cons.; nam ante Ecclesiae judicium deest, post ejus judicium vero adest auctoritas infallibilis, per quam orthodoxia, vel heterodoxia factorum hujusmodi declaratur; unde patet disparitas.

TRACTATUS IV.

DE CONCILIIS, AC PRAECIPUE GENERALIBUS.

CAPUT I.

De eorum notione: nec non institutione, necessitate, et auctoritate.

Concilium, graece *Synodus*, congregationem quamdam significat; apud Theologos vero *coetum*, *seu conventum Sacerdotum*, *maxime Episcoporum, pro resolvendis rebus fidei*, *seu aliis gravioribus Ecclesiæ negotiis*, *a legitimo Superiore congregatorum.* Distinguitur vero in Dioecesanum, *ad quod convocantur a proprio Episcopo omnes unius Dioecesis Presbyteri*, in Provinciale, *ad quod a proprio Metropolitano convocentur omnes unius Provinciae Episcopi:* in Nationale, *ad quod a proprio Patriarcha, vel Primate convocentur omnes unius Nationis*, *vel Regni Episcopi*: et in Generale, quod graece dicitur etiam *Oecumenicum*, idest Orbis Terrae Concilium; ac definitur: *Convocatio omnium totius Orbis Catholici Episcoporum facta a Rom. Pontifice*, *qui omnibus praesit per se*, *vel per suos Legatos*, *ad judicandum de rebus ad fidem*, *mores*, *vel Religionem pertinentibus.* Acturi autem de Conciliis, de Generalibus praesertim agendum suscipimus, ex his enim dumtaxat invictissime argumentum ducitur ad veritates fidei demonstrandas; ac 1.º singulas definitionis partes expendamus.

Convocatio omnium totius Orbis Catholici Episcoporum; omnes enim, ut dicitur Act. 20., *posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei*: quae Actuum verba, ut ait Estius in hunc locum, *Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 4. *de iis*, *qui proprie Episcopi sunt*, *intellexit*; et satis aperte ex verbis immediate antecedentibus colligitur: *Attendite vobis*, *et universo gregi.* Sufficit autem Episcoporum convocatio, tum quia ex ostensis tract. ant. c. 4. prop. 2., solis Episcopis, non vero inferioribus Presbyteris, ac multo minus Laicis concreditum est, et ad eos tantum pertinet in Ecclesia docendi Magisterium; tum quia, ut ibidem diximus, soli Episcopi, non vero inferiores Pres-

byteri, ac multo minus Laici, sunt Ecclesiae Proceres, nec nisi ab his, Regnum quodvis, vel Civitas, quo utroque modo vocatur Ecclesia in Scripturis, in rebus momenti regitur. Caeterum ex privilegio, et consuetudine vocantur quoque ad Concilia Generalia cum suffragio decisivo Cardinales etiam non Episcopi, Abbates, et Ordinum Regularium Generales; ac solent etiam vocari aliqui insignes Theologi, et Sacrorum Canonum Doctores, non tamen, ut Judices, sed ut Consultores; nec non Principes, tum ut Novatorum, impiorumque conatus compescant, tum ut postea Decretorum Concilii transgressores, et contumaces poenis corporalibus puniant. Opponitur quidem hac super re ab haereticis, quod communis causa communibus quoque votis tractanda est; quodque hujusmodi est Christianis omnibus causa fidei. Sed respondetur, quod causa fidei ad omnes quidem Christianos pertinet; sed ad Episcopos, ut Pastores, et Doctores, ad caeteros, ut oves, et discipulos. Qua super re consulantur quae diximus l. cit.

Facta a Rom. Pontifice; 1.° enim, ut Christus, juxta quod promisit Matth. 18., sit in medio Episcoporum congregatorum, necesse est, ut ejus nomine congregati fuerint. Quemadmodum autem in nomine Principis Consilium Status indicitur, cum ejus auctoritate indicitur, ita Concilium Ecclesiae in Christi nomine cogitur, cum indicente Christo, seu ejus in Terris Vicario cogitur. Concilia igitur, quae ab hoc congregata non fuerint, neque etiam fide constet, quod Christum in medio habeant: quare ut fide constet Christum habere indefectibiliter in medio, ab eo congregari, seu convocari debent. 2.° ex Conc. Chalced. act. 1.ª, quo exclusus fuit Dioscorus ab Episcoporum consessu, *quia praesumpsit, et Synodum Generalem ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae; quod numquam licuit, numquam factum est.* 3.° quia actus Generalia Concilia convocandi est actus jurisdictionis in totam Ecclesiam. Hanc autem in totam Ecclesiam jurisdictionem non habet, nisi Rom. Pontifex, utpote ipsius Caput, et fundamentum, cui data fuit in persona D. Petri universas Christi oves pascendi, et regendi potestas ex ostensis tract. 1. c. 2. prop. 5., et tract. 3.° c. 2. prop. 2., et c. 4. prop. 4. Ergo. 4.°, quia ut ipse Calvinus fatetur *l. 4. Inst. c. 7. §. 8.*, Concilia Dioecesana jure indicuntur ab Episcopo, Provincialia a Metropolitano, Nationalia a Patriarcha, vel

Primate: Et Generalia igitur a Rom. Pontifice, qui est Pastor totius Ecclesiae. Quod si prioribus Ecclesiae saeculis, non a Rom. Pontificibus, sed ab Imperatoribus convocata fuere, ut Nicaen. I. a Constantino M., Constantinop. I. a Theodosio seniore, Ephesinum a Theodosio juniore, Chalcedonense a Marciano, etc., 1.° id fuit, Rom. Pontificibus consentientibus, vel ratihabentibus, et confirmantibus, et quandoque etiam rogantibus, tum ut essent Concilii defensores, et protectores; tum quia invito Imperatore Concilia in ejus Ditionibus noverant cogi non posse.

Qui omnibus praesit per se, vel per suos Legatos; quod enim Rom. Pontificis sit Conciliis Generalibus praeesse, patet 1.° ex ostensis tract. 1. c. 2. prop. 5., et tract. 3. c. 2. prop. 2., et c. 4. prop. 4. . 2.° ex eo quod Generalibus Conciliis praesse ejus esse debet, qui in Ecclesia honoris, et jurisdictionis primatum habet. Ut autem colligitur ex iisdem locis, et fuse demonstrabimus tract. sequ., Rom. Pontifex ipse est, qui in Ecclesia habet honoris, et jurisdictionis primatum: Ergo. . 3.° ex c. 15. Act., ex quo constat, quod in Concilio ab Apostolis Jerosolymis habito super cessatione legalium, Petrus, cujus Rom. Pontifex est Successor, praesedit, nam primus surgit, primus loquitur, primus definit, nec caeteri, nisi ejus sententiam, sequuntur. 4.° ex constanti Ecclesiae praxi, ex qua aeque constat, quod omnibus Conciliis Generalibus semper Rom. Pontifex praesedit vel per se, vel per suos Legatos: de quibus etiam Acta Conciliorum testantur, quod licet quandoque fuerint simplices Presbyteri, immo et Diaconi, nedum Episcopis praesederunt, sed primi omnium, et ante ipsos Patriarchas subscripserunt.

Nec obstat, quod Constantinopolitano I., et II. non praesedit Rom. Pontifex nec per se, nec per suos Legatos; neutrum namque, quum celebratum fuit, erat Generale, sed solius Orientalis Ecclesiae Concilium; ac neutrum Generale evasit, nisi cum Constantinopolitanum I. approbavit Damasus, eique cum Concilio Occidentis, cui per se praesedit, accessit; et Constantipolitanum II. approbavit Vigilius, tria Capitula similiter damnando epistola ad Eutychium, cui damnationi omnes quoque annuere Occidentales Episcopi, paucis exceptis, qui, ut schismatici, habiti fuerunt.

Neque etiam obstat, quod dum Rom. Pontificis Legati fuerunt Episcopi, subscripserunt quidem ante omnes,

nulla tamen suae Legationis mentione facta, ut Osius in Conc. Nicaeno I., et Cyrillus in Conc. Ephes.; id enim repetendum non est, ut Adversarii contendunt, ex eo quod ab ipso Concilio fuerint Praesides electi, sed quia cum essent Episcopi, jus quoque decisivi suffragii characteris vi habebant; quare subscribebant nomine proprio, ut Episcopi, et tantum omnium primi, ut Summi Pontificis Legati. Consulatur demum quod diximus tract. ant. c. 4. prop. 2. resp. ad 2.

Ad judicandum; agunt enim Episcopi in Conciliis, non quidem Consiliariorum vices, sed Judicum. Quod probatur 1.° ex Concilio Jerosolymis habito ab Apostolis, de quo legitur Act. 15., ubi non solum Petrus, sed reliqui etiam Apostoli, et Seniores Iudices esse dicuntur: *Propter quod ego judico* (ait Jacobus) *non inquietari etc.*. Et paullo post praecepta Concilii vocat Paulus *praecepta Apostolorum*, *et Seniorum*: et c. 16. ait, ea dogmata esse *decreta ab Apostolis, et Senioribus*. Et demum D. Petrus sententiam pronuncians, nedum nomine proprio illam pronuntiat, sed et adstantium Apostolorum, quorum Episcopi in charactere sunt successores, *Visum est* (inquiens) *Spiritui Sancto, et nobis, nihil vobis imponere oneris, quam haec necessaria etc.*; unde sequitur, omnes Episcopos onus, praeceptumque imponere, omnesque simul sententiae Synodalis auctores esse. Consulantur hic quae diximus tract. ant. c. 4. prop. 2. resp. ad 1.

2.° Ex Conciliis; in Nicaeno enim I. Patres Concilii Silvestrum rogant, ut quidquid constituerant, confirmet. In Chalced. act. 3. inquiunt PP. ad Leonem: *Decretis tuis nostrum honora judicium.* In Constantinop. III. act. 18., *Anathematizamus* (inquit Concilium) *Theodorum, Sergium, Cyrum etc.* Et paullo post: *His omnibus a Sancto hoc Concilio constitutis, et per subscriptionem nostrae fortitudinis confirmatis, sancimus, ut nullus aliud quicquam de fide satagat etc.* . Quae omnia judicantium profecto sunt, non consulentium.

3.° Ex eo quod, ut ostendimus tract. ant. c. 4. prop. 2., juxta Christi institutionem omnibus Episcopis concreditum est, et ad omnes pertinet in Ecclesia doctrinae Magisterium in rebus fidei, ac morum: ex quo sequitur, quod si ad omnes istud pertinet, omnibusque concreditum est, omnes quoque dicendi sunt in ejusmodi rebus Judices a Christo constituti.

4.° Ex eo quod si Episcopi in Conciliis non essent Judices, sed Consiliarii, non solum Episcopi ad ferendam sententiam in iis adhiberentur, verum etiam Theologi, qui essent docti, et prudentes; immo Episcopis, qui Theologiae rudes, et imperiti essent, nullus omnino esse deberet in Concilio locus. Id autem inauditum est, et tum contra formam Act. 15. praescriptam, ubi Apostoli tantum cum Senioribus, seu aliis Episcopis, ut l. c. ostendimus, de fidei quaestione judicarunt; tum contra praxim constanter in Ecclesia observatam, juxta quam omnes sine exceptione Episcopi, utpote omnes ob characterem ordinis Apostolorum successores, fuerunt Conciliorum Patres, iisque subscripserunt: Ergo.

Nec facessit, quod si essent fidei judices, teneretur Pontifex in ferenda sententia majorem eorum partem sequi, in omni enim recto, et bene instituto Tribunali is, qui praesidet, plurium sectari debet judicium, paucorum negligere. Respondet enim Canus; quod cum de fide agitur, necesse non est, sequi plurimorum judicium, utque in humanis vel electionibus, vel judiciis, ex numero suffragiorum sententiam metiri; frequenter enim usu venit, quod major pars vincat meliorem, quodque non ea semper sint optima, quae placent pluribus. Sic major pars II. Conc. Ephesini in Dioscori sententiam venit: Sic etiam Damasus scribens ad Illirici Episcopos magna libertate numerum Ariminensium Episcoporum contempsit, quibus omnibus illos paucos opposuit, qui contra illius Concilii sententiam dixerunt: ac tantum abest, ut Summus Pontifex majoris partis sententiam teneatur amplecti, quin potius, sive pauci, sive plures ad errorem deflexerint, ejus munus est, ad veram eos fidem revocare, juxta id quod Christus in persona Petri illi dixit: *Ego pro te rogavi; ut non deficiat fides tua; et tu* (non unum, aut alterum, sed, sive paucos, sive multos), *confirma fratres tuos*.

De rebus ad fidem, mores, vel Religionem pertinentibus; non enim Concilia congregantur, nisi ad sartum, tectumque servandum fidei depositum, mores corrigendos, ac Religionis incrementum totis viribus procurandum.

Ex allata autem definitione sequitur, quod ut Concilium sit Generale, hujusmodi esse debet convocatione, celebratione, et exitu. *Et* 1.° *Convocatione*; ut nempe

ad illud vocentur omnes totius Orbis Catholici Episcopi, utpote omnes fidei Judices a Christo instituti.

2.° *Celebratione*; ut nempe 1.° nemo ex iis, qui per se, vel per suos legatos profecti fuerint ad Concilium, ab eo repellatur, sed Concilio simul cum caeteris assistat. 2.° ut non adeo pauci congregentur, ut major, meliorque Provinciarum pars relicta esse videatur, praesertim si ob causam legitimam Episcopi Synodo non affuerint, non enim obstat, quin Concilium sit Generale, si per malitiam hominum desit una, et item altera provincia, vel per negligentiam, aut aliam occasionem Episcopi aliquot desint. 3.° ut quisque Patrum libertate in eo gaudeat de controversiis fidei decidendi; ubi enim libertas non est, ibi Episcopi non quod sentiunt, sed quod vi, aut metu ab ipsis extorquetur, pronunciant: *Quae per tormenta* (ita proinde D. Athan. ad Solit. de Liberio vi coacto damnationi Athanasianae subscribere) *contra priorem sententiam extorta sunt, eae non metuentium, sed cogentium voluntates habendae sunt.* 4.° ut Rom. Pontifex per se, vel per suos Legatos, tamquam Caput totius Ecclesiae, praesit Concilio; *Quia* (ut ait Pius II. in Const. *In minoribus*) *non est corpus Ecclesiae sine capite, et omnis ex capite defluit in membra potestas.*

3.° *Exitu*; ut nempe, si Rom. Pontifex praefuerit Concilio per suos Legatos, deinde confirmet Concilii Acta; usque ad quam confirmationem deest iis Concilii Generalis robur, tum quia, ut ait Canus l. 5. De Locis c. 5., *non pro Legatis Petri, sed pro Petro rogavit Christus, ut non deficeret fides ejus, quo fratres suos posset in fide firmare, ad quem proinde fidei summa referenda est*: tum quia Summus Pontifex *non transfert in Legatos suae fidei soliditatem, quam sibi soli privatim vindicat, eo quod Christi Vicarius est, Pastor Ecclesiae universalis, et petra, super quam Christus suam fundavit Ecclesiam*: tum demum quia omnia retro antiqua Concilia a Summis Pontificibus confirmationem dogmatum semper petiere, non id profecto actura, nisi id existimassent necessarium; nec Ecclesia ante hujusmodi confirmationem firmum umquam habuit, et ratum, quod a Legatis Concilio praesidentibus definitum fuerat. Hinc et Marcianus Leonem rogavit, ut Concilii Chalced. de fide judicium approbaret; et Leo ob eamdem causam Marciano commendavit, ut confirmatio, approbatioque Concilii ad omnes Ecclesias perferretur (ep. 57.)

Paucis: Est Summi Pontificis approbatio lapis lydius, quo omnis Conciliorum firmitas probanda est; sine qua, quotquot fuerint Episcopi conciliariter coacti, eorum tamen definitiones nec habent fidei robur, nec fidei semper sunt consentaneae, nec aliquando a majoribus contra fidem excessibus immunes fuere, ut patet exemplo Concilii Ariminensis sexcentorum Episcoporum, a quo sublata fuit de Symbolo vox *omousion.* Item exemplo Ephesini II. centum triginta circiter Episcoporum, a quo absolutus fuit Eutyches, damnatus, depositus, et ita caesus D. Flavianus Constantinop. Episcopus, ut post triduum, dum in exilium ageretur, ex vulnerum dolore Epipae in Lidia mortuus fuerit. Itemque exemplo Constantinopolitani trecentorum Episcoporum sub Leone Isauro, et alterius trecentorum, ac viginti octo Episcoporum sub Constantino Copronymo Leonis filio, a quibus cultus Sacrarum Imaginum proscriptus fuit.

Quod vero ad Generale Concilium requisita omnia servata fuerint, nec aliquod ex iis fuerit praetermissum, ex humana fide, eaque certissima, dignosci posse, docet Bellarm. *l.* 2. *de Conc. c.* 9.; quemadmodum nempe ex eadem fide humana caetera facta historica recipimus, quae nemo cordatus in dubium revocare audet: *Iis enim* (ait Bell.), *qui Concilio praesentes adsunt, evidens esse potest sine alia probatione, Concilium esse legitimum; vident enim, convenisse in unum Episcopos, qui habentur ab omnibus veri Episcopi; et convenisse ex variis Provinciis; et vocatos ab eo, qui habet auctoritatem: et si quid aliud requiratur ad legitimum Concilium, id etiam videre possunt. . Posteris autem, vel absentibus, idipsum est notum ex humana fide, sed certissima, et quae evidentiae naturali aliquo modo comparari possit.* Quibus positis, pergit, *certi sumus, Deum numquam permissurum, ut ejusmodi Concilium in Decretis suis formandis erraret. Assistit enim Concilio Spiritus Sanctus, non tam propter ipsum Concilium, quam propter Ecclesiam universam, quae Divino praecepto tenetur, Episcoporum sententiam non discutere, sed venerari.* Qua super re fatentur quidem DD., quod a Concilii Patribus adhibendae sunt preces, invocandumque Coeleste auxilium, nec non humana omnia, et ordinaria media in operam ponenda ad veritatem detegendam, tum quia ab ipsis Apostolis in Conc. Jerosolymitano super cessatione legalium *magnam conquisitionem fa-*

etam esse, legimus c. 15. Actuum; tum quia, ut dictum fuit in Conc. V. Gen. act. 8., *non potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cum unusquisque proximi adjutorio indigeat*; tum demum quia Episcopis in Concilium coactis nec ulla nova fit revelatio, sed quod in purissimis Scripturae, ac Traditionis fontibus detegunt, hoc fidelibus proponunt; nec Deus, qui omnia suaviter disponit, et moderatur, via supernaturali, aperta, ac manifesta adest Conciliis, sed occulta Spiritus subministratione: tamen, ut Canus disserit l 3. De Loc. c. 5., *cum Ecclesiae fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest, quo minus tribuat Ecclesiae preces, caeteraque praesidia, quibus haec firmitas conservatur. Nec vero dubitari potest, quod in rebus naturalibus contingit, idem in supernaturalibus quoque usu venire, ut qui dat finem, det consequentia ad finem.* Sed et consulatur, quod in simili proposito deprompsimus ex eod. Cano tract. ant. c. 4. prop. 3. part. 4.

His praemissis, nemo haereticorum fuit hac in re Luthero impudentior; in ipsum enim Concilium Jerosolymis ab Apostolis habitum debacchari ausus, *Concilium* (ait in quadam ad populum concione), *cui Apostoli, et eorum discipuli interfuerunt, errasse, eo quod senserint, legem, et opera necessaria esse ad salutem.* Quod et de aliis subinde Conciliis asserit *l. de de capt. Babyl.*. Alii vero ex haereticis, quemadmodum Ecclesiae, ita et Conciliorum definitionibus totis viribus conati semper fuere, et conantur omnem vim adimere, ne ab iis confoderentur; traducentes Concilia idcirco et tamquam humanum inventum, et tamquam conventus, qui non habent, nisi humanam, et fallibilem auctoritatem. Addunt Lutherani, et Calvinistae, quod, ubi ea convocare placeat, Generalia convocandi jus, iisque praesidendi non est penes Rom. Pontificem, sed penes Summum Imperantem; ac quoscumque fideles, etiam Laicos, modo sint eruditionis, et doctrinae laude conspicui, esse ad illa advocandos, ibique, aeque ac Episcopos, jure perquirendi, ac definiendi omnes fidei, et morum controversias frui.

Docent e contrario DD. Catholici, Divinam Concilia originem habere; eaque esse Ecclesiae, nedum utilia, sed, licet non absolute, quodam tamen modo etiam necessaria. Item jus Generalia Concilia convocandi, iisque praesidendi nonnisi Rom. Pontificis, in iis vero suffragium ferendi

nonnisi Episcoporum esse: Nec non ea quidem, ut scribit Can. l. 5. De Loc. c. 5., *quae in Conciliorum, vel Pontificum Decretis explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni respondeatur, vel etiam obiter, et in transcursu praeter institutum praecipuum, de quo erat potissimum controversia, non pertinere ad fidem, nec esse Catholicae fidei judicia.* Si vero vel contrarium asserentes pro haereticis habeantur; vel in hanc formam Synodus decernat: *Si quis hoc, aut illud senserit, anathema sit*; vel in eos, qui contradixerint, excommunicationis sententia ipso jure feratur; vel si quidpiam expresse, et proprie a fidelibus firmiter, tamquam dogma fidei Catholicae, accipiendum dicatur; vel aliis similibus verbis aliquid esse Evangelio, seu doctrinae Apostolorum contrarium, idque non ex opinione, sed certo, et firmiter dicatur: in his omnibus casibus Conciliorum Decreta totidem esse, docent, fidei dogmata, quibus omnes obsequi tenentur. Communia haec sunt inter DD. Catholicos. Licet omnes tamen fateantur, tunc Conciliorum Generalium Decreta esse rata, et firma, cum a Rom. Pontifice approbata, et confirmata fuerint, disputant caeterum, sintne Concilia Generalia supra Rom Pontificem, an potius Rom. Pontifex illis superior dicendus sit?

Sint proinde, quae proxime sequuntur, propositiones contra heterodoxos; ac demum videamus, quid super quaestione, an Concilium Generale sit Rom. Pontifice superius, sentiendum est.

Prop. I. Concilia sunt Divinae institutionis; et aliqua, sive generalia, sive particularia sint, ad bonam Ecclesiae gubernationem, licet non absolute, aliquo tamen modo sunt necessaria. Ita communiter.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex illis Dei verbis ad Moysen Num 11. *Congrega mihi septuaginta viros de Senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac Magistri; et duces eos ad ostium Tabernaculi foederis, et auferam de Spiritu tuo, tradamque eis* (idest eodem spiritu eos replebo), *ut sustentent tecum onus populi.* Et Deut. 17. *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse prospexeris, et judicum intra portas tuas videris verba variari, surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad Judicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quaecumque dixerint qui praesunt loco, quem elegerit Dominus,*

sequerisque sententiam eorum. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis morietur homo ille. Quod si in veteri Testamento Deus instituit, ut in rebus difficilioribus, et majoris momenti congregarentur Seniores, quique essent Levitici generis, ut de iis simul agerent cum Principe, qui esset illo tempore; atque ab iis populus audiret judicii veritatem, etc.; idem quoque dicendum est instituisse in Novo, cujus vetus erat typus, cuique non minus certo providit, quam veteri: Ergo.

2.° Ex illis Christi verbis Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Iis autem et Concilium Chalced. in ep. ad Leonem, et Constantinop. III. act. 17.; et Coelestinus Papa in ep. ad Conc. Ephes. docent, Concilia fuisse a Christo indicata: Ergo.

3.° Ex eo quod apud omnes TT. commune est, quod quidquid traditione, vel continua Ecclesiae praxi ad Apostolica tempora ascendit, Divinae institutionis dicendum est vel immediate, vel saltem mediate. Hujusmodi autem est Conciliorum celebratio, quorum ab ipsis Apostolorum temporibus, et sic deinceps semper fuit usus in Ecclesia: ab Apostolis namque quatuor celebrata fuere. Primum nempe Jerosolymis anno circiter 34., ut in locum Judae proditoris alius sufficeretur; ut ex Act. c. 1.: alter eodem pariter anno, etiamque Jerosolymis, pro septem eligendis Diaconis ad sedandum Graecorum murmur; de quo Act. c. 6: Tertium quoque Jerosolymis anno circiter 51. super legalium observatione, vel cessatione; de quo Act. c. 15. Quartum denique etiam Jerosolymis circa annum 58., ad tollendam suspicionem de D. Paulo a Judaeis conceptam, quod legem Moysis non custodiret; ut ex Act. c. 21. Deinde vero aliud Romae celebratum fuit Concilium a Victore super Paschae celebratione anno 198.; aliud Hierapoli sub Apollinario contra Montanum, et Theodotum Coriarium anno 173.; duo etiam celebrata fuere Antiochiae contra Paulum Samosatenum ann. 265., et 270.; aliaque subinde tam particularia, quam Generalia. Divinae igitur institutionis vel immediate, vel saltem mediate esse; consequens est.

Prob. 2. pars, 1.° enim de iis ait Christus, ut supra diximus: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* 2.°, ut habetur

15. Act., aliter Apostoli controversiam de legalibus Antiochiae exortam definire voluerunt. 3.° ad profligandas haereses, schismata extinguenda, abusus corrigendos, mores emendandos, Episcoporum Concilia etiam fuere, quae semper Ecclesia adhibuit. 4.° haec quoque fuit consuetudo, et praxis Summorum Pontificum, haereses scilicet, coactis ad id Conciliis, damnandi, bonumque Ecclesiae in gravioribus circumstantiis per eadem procurandi. Haec autem omnia necessitatis Conciliorum ad bonam Ecclesiae gubernationem sunt argumenta: Ergo. Qua super re ait proinde Conc. Constant. sess. 39. *Frequens Conciliorum Generalium celebratio agri Dominici cultura est praecipua, quae vepres, spinas, et tribulos haeresum, errorum; et schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, et vineam Domini ad frugem uberrimae fertilitatis adducit: illorum vero neglectus praemissa disseminat, atque fovet, etc.*

Diximus tamen, *non absolute, sed quodam tantum modo esse necessaria*; 1.° enim Ecclesia dispersa non minus, quam in Concilium coacta, gaudet infallibilitatis privilegio, ac irreformabili judicio fidei controversias definiendi auctoritatem a Christo accepit: 2.° quia, ut diximus tract. ant. c. 4. prop. 3. part. 2., multo plures haereses sine Concilio, quam in Concilio proscriptas fuisse, observabat aetate sua D. Augustinus.

Prop. II. Jus convocandi Concilia Generalia, iisque praesidendi, non est, nisi Rom. Pontificis; in iis vero suffragium, seu sententiam ferendi nonnisi Episcoporum; et tantum ex privilegio, et consuetudine Cardinalium quoque, Abbatum, et Regularium Ordinum Generalium.

Probatur supra allatis momentis, ubi definitionem Conciliorum Generalium per singulas partes expendimus.

Prop. III. Infallibilem Concilia Generalia auctoritatem habent in iis, quae ad fidem, ac mores pertinent; etiamque Provincialia Romani Pontificis auctoritate acta, et confirmata; vel etiam tantum confirmata. Prima pars est de fide. Altera communis ap. TT., paucis nihil solide dissentientibus.

Prob. 1. pars. Et 1.° Ecclesiam in iis, quae ad fidem, ac mores pertinent, errare non posse, ostendimus juxta fidem tract. ant. prop. 1., et 3. . Concilia autem Generalia universalem Ecclesiam repraesentant, nam quodvis Corpus morale, ut Regnum, Civitas, quo utroque

modo appellatur Ecclesia in Scripturis, per suos Proceres repraesentatur, qui in Ecclesia sunt Episcopi; ex quibus qui desunt personaliter Concilio, aequivalenter tamen illi adsunt vel per suos Legatos, vel propria fide per Pastoralem epistolam declarata, vel demum cedendo suis peculiaribus suffragiis. Quare Martinus V. in Conc. Constantiensi de haeresi suspectos interrogari jussit: *Utrum credant, quod quodlibet Concilium Generale universam Ecclesiam repraesentet?* 2.° Ecclesiae Pastoribus communione, et consensu junctis cum Rom. Pontifice, sive omnes, sive non omnes sint, infallibilitatis inesse privilegium, ostendimus l. c. prop. 3. Ab iis autem est omnis definitio Conciliorum Generalium: Infallibilis igitur. 3.° quod Spiritus S. definit, neque est, neque esse potest errori obnoxium. Quaevis autem definitio Episcoporum cùm suo Capite est ipsius Spiritus Sancti definitio, juxta illud Concilii Jerosolymitani assertum: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis* (*Act.* 15.): Nequit igitur subesse errori. 4.° ex Christi promissione Matth. 18., in medio congregatorum in nomine ejus, idest ex ejus auctoritate, ut patet ex illis Scripturae locis, ubi non aliter accipitur *in nomine*, nisi *ex auctoritate*, ut Marc. ult. *In nomine meo daemonia ejicient*: Et Jo. 5. *Ego veni in nomine Patris mei*: Et Matth. 7. *Nonne in nomine tuo prophetavimus*, etc.; in medio, inquam, congregatorum in nomine ejus idem ipse adest, specialiter scilicet assistens. Ejusmodi autem sunt Episcopi in Generale Concilium coacti, cum ad illud convenerint ejus, qui Christi vices gerit, idest Rom. Pontificis, auctoritate: In medio ergo eorum adest Christus, ex cujus speciali assistentia sequitur, quod errare nequeant. 5.° ex constanti Ecclesiae praxi, quae a Conciliis Generalibus, tamquam haereticos, habitos, tales reapse esse, omni procul dubio existimavit. Constans autem praxis Ecclesiae in rebus ad fidem pertinentibus nobis lex credendi esse debet: Omni procul dubio igitur habendae a nobis sunt eorum definitiones. 6.° quia in hypothesi, quod Concilium Gen. errorem doceret, vel posset populus ab ejus judicio discedere, vel non. Neutrum autem dici potest; nam si 1.m, en tota Christi Ecclesia ab errore perculsa. Si alterum, en finis Ecclesiae unitati, eademque non amplius cum D. Cypr. ep. ad Pupian. *Plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens*: Non igitur errorem docere potest.

Prob. 2. pars. Et 1.° ex illis Christi verbis ad Apostolos Matth. 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Cum autem dixerit *duo, vel tres*, aperte significavit, inter eos quoque adfuturum, qui licet cum cateris omnibus congregati non essent, in ejus tamen nomine, ejus scilicet vices in Terris gerentis, congregati essent: Licet ergo non omnes Episcopi congregentur, modo tamen qui ex iis congregantur, in nomine, idest ex auctoritate Rom. Pontificis, qui Christi in Terris vices gerit, congregati sint, in medio eorum Christum habent, ex cujus proinde speciali assistentia errare nequeunt. 2.° ex Concilio Jerosolymis habito ab Apostolis super cessatione legalium, quod certe, ait Canus l. 5. De Loc. c. 4. concl. 5., *non generale, sed provinciale Concilium fuit.* Non minor autem fides habita est Petro praesidenti, quam si esset Synodus generalis. Et caetera igitur Provincialia ejus, qui Petri successor est, auctoritate acta, et confirmata, non minorem, quam Concilia Generalia, fidem merentur. 3.° ex momentis modo allaturis.

Prob. 3. pars Et 1.° ex relatis etiam alibi D. Aug. verbis ser. 2. de verbis Ap. *Iam de causa Pelagianorum duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est.* Illa autem Concilia non fuerant, nisi Provincialia; Ergo. 2.° si proculdubio habenda est, ac de fide tenenda multorum haereticorum damnatio in Conciliis Provincialibus facta, ac deinde a Rom. Pontifice confirmata, infallibilem profecto Concilia etiam Provincialia a Rom. Pontifice confirmata auctoritatem habere, est dicendum. Proculdubio autem habenda est, ac de fide tenenda multorum haereticorum damnatio in Conciliis Provincialibus facta, ac deinde a Rom. Pontifice confirmata; nam prae aliis Priscillianus damnatus fuit in Conc. Toletano I., Helvidius in Conc. Thelensi, Pelagius in Conciliis Milevitano, et Chartaginensi, quamvis enim Pelagium damnatum fuisse in Synodo etiam Ephesina, tradat Greg. *de haeret. c. Fraternitatis*, haec tamen sententia hodie apud Ephes. Conc. non extat: Ergo. 3.° si nec expedit, nec tolerabile est, singulis haeresibus damnandis generales semper Synodos cogere, parum profecto Ecclesiae suae Christus providisset, si ad id satis non essent Concilia etiam Provincialia Rom. Pontificis auctoritate firmata. Nec expedit autem,

nec tolerabile est, ut ex se patet, singulis haeresibus damnandis generales semper Synodos cogere: Satis ergo ad id dicenda sunt Concilia etiam Provincialia Rom. Pontificis auctoritate firmata. 4.° nemo est, quem damnaverint ejusmodi Concilia, quemque Ecclesia semper non damnaverit. Haec autem eorum inerrantia de facto ipsorum inerrantiae de jure certum indicium est.: Et ipsa igitur inerrantia omnino esse, consequens est.

Objic. 1.° Cum nihil credat fides Catholica, nisi quod a Deo est revelatum, si dicantur proinde Conciliorum Decreta ita infallibilia, ut quidquid de fide definiunt, tamquam de fide habendum sit, dicendum quoque est, quod eorum Decreta fuerint a Deo revelata. Hoc autem dici nequit, tum quia, ut non semel diximus, novas post Apostolorum tempora revelationes Ecclesia non habuit, tum quia efficeret de Conciliorum Decretis totidem Scripturas canonicas: Non igitur infallibilia.

R. neg. sequ. min.; non enim Conciliorum infallibilitas asseritur ex nova revelatione; quam a Deo habeant Concilii PP., sed ex speciali Spiritus Sancti assistentia juxta Christi promissiones, ne errent in dignoscendo, et definiendo quidquid divinitus vel per Sacras Scripturas, vel per Traditionem fuerit Ecclesiae revelatum, collationibus idcirco, et disputationibus re ante perpensa, precibusque ad Deum fusis ad ejus lumen, et favorem promerendum. Quod cum ita sit, nemo non videt, quam latum discrimen intercedat Decreta Conciliorum inter, et Scripturas Canonicas: hae enim continent, illa tantum declarant, fidelibusque proponunt quidquid a Deo fuit Ecclesiae revelatum; utque diximus tract. 1. c. 4., Sacrarum Scripturarum volumina fuerunt Deo revelante, vel saltem inspirante, Conciliorum vero Decreta, assistente tantum Spiritu Sancto, exarata. Ex quo sequitur, quod discrimen revelationem, ac inspirationem inter, et simplicem assistentiam intercedens, intercedit quoque Scripturas Canonicas inter, et Conciliorum Decreta. Cui accedit, quod Sacris Scriptoribus Spiritus Sanctus adfuit in omnibus, et singulis, minimisque etiam, quae conscripserunt: Conciliorum Patribus vero non in omnibus, et singulis adest, sed in rebus tantum ad fidem, ac mores pertinentibus.

Objic. 2.° quod ait D. Aug. l. 2. cont. Maximinum c. 14. *Sed nunc nec ego Nicaenum, nec tu debes Arimi-*

nense, *tamquam praejudicaturus*, *proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate*, *nec tu illius detineris.* Quid clarius, quam quod non agnoscit S. D. hanc, pro qua contendimus, Conciliorum Generalium, quibus ab omnibus accensetur Nicaenum, infallibilitatem? Et l. 2. de Bapt. cont. Donatistas c. 3. *Plenaria Concilia saepe priora a posterioribus emendari.* Id autem non fieret, nec fieri posset, si essent infallibilia. Item D. Isidorus *Dist.* 50. *C. Domino* inquiens: *Quotiescumque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur*, *illius sententia Concilii magis teneatur*, *cujus antiquior*, *et potior extat auctoritas.* Quid inde autem, nisi quod non omnia Conciliorum Decreta sunt certa, sed varia interdum, atque pugnantia? Tandem D. Greg. Naz. ep. ad Procop. *Quodcumque* (ait) *Episcoporum Concilium fugio*, *propterea quod hactenus nullius omnino Synodi finem aliqua utilitate praeditum*, *et unde res male habentes*, *non magis exacerbatae*, *quam curatae fuerint*, *videre licuit*: Ergo.

R. Nihil prorsus allata Patrum testimonia adversus Conciliorum Generalium infallibilitatem facessere: quoad 1.m enim, cum Maximinus, contra quem D. Aug. scribit, allegaret adversus Nicaenam fidem pro Verbi consubstantialitate auctoritatem Concilii Ariminensis, in quo per fraudem Ursacii, et Valentis Arianorum Episcoporum suppressa fuerat vox *omousion*; quaestione idcirco ab Augustino seposita, ne in longum abiret, circa illegitimitatem Synodi Ariminensis, quam Maximinus Nicaenae Synodo opponebat, per modum tantum *transitionis* non raro a Scriptoribus usitatae, *sed nunc* (ait) *nec ego Nicaenum*, *nec tu etc.* Pergit proinde immediate postea: *Scripturarum auctoritatibus*, *non quorumque propriis*, *sed utrisque communibus testibus res cum re*, *causa cum causa*, *ratio cum ratione concertet.* Quasi diceret: Abstrahamus ab utraque Synodo sermonem, et Scripturarum armis, quae utrique sunt communia, pugnemus. Haec igitur Augustini mens, non vero, quod Nicaenae Synodi infallibilitatem non agnoverit. Quoad 2.m, non negatur, plenaria Concilia emendari quidem aliquando a posterioribus, si non fuerint a Summo Pontifice confirmata. At si ab hoc confirmata fuerint, nec vel unum proferri potest exemplum, quod in iis, quae sunt fidei, ac morum, aliquod eorum fuerit per aliud posterius emendatum; nec emendari posse, expresse docet l. supra cit. ipse S. Doctor. Et

re sane vera, ipsum non loqui, nisi de iis, quae ad disciplinam, non quae ad fidem, vel mores spectant, ex eo patet, quod loquitur de iis, quae mutatis temporibus, mutari possunt, propterea quod *experimento rerum aperitur, quod clausum erat.* Locum autem habet experimentum in rebus ad disciplinam; non vero ad fidem, vel mores spectantibus. Addit demum Bellarm. De Conc. l. 2. c. 7., loqui Augustinum de Conciliis illegitimis. *Ac si de legitimis loquatur, agere eum de quaestionibus facti, non juris, in qualibus quaestionibus non dubium est, Concilium errare posse. Et certe Augustinus videtur de ejusmodi quaestionibus agere. Nam praecipua quaestio Catholicorum cum Donatistis erat de Caeciliano, libros ne sacros tradidisset hostibus fidei, an non?* Quoad 3.m D. Isidori verba de rebus quoque ad disciplinam spectantibus esse intelligenda. Nazianzenum vero de Synodis Provincialibus, quae passim celebrari viderat: ac propter Arianorum, ac Semi-Arianorum multitudinem, aliorumque Episcoporum factiones merito ad Procopium scripsisse, quod infaustum omnino exitum habuerant.

Objic. 3.° Episcopi, ex quibus quodvis Concilium coalescit, errori ex natura subjacent: ac interdum etiam adsunt inter eos et ignari, et qui morum perditorum sunt. Ex iis autem idem dictu est, quod prodire possit judicium infallibile, quodque toti convenire possit, quod partibus nullatenus convenit: Non ergo infallibile eorum judicium.

R. neg. min.; idem namque id dictu esset, si eorum infallibilitas, dum in Concilium sunt omnes cum suo Capite coacti, peteretur ex eorum qualitatibus personalibus; non vero dum juxta fidem petitur ex Christi promissione iis in persona Apostolorum facta, quod iisdem misisset Spiritum veritatis, ut cum iis maneret in aeternum (*Is.* 59. *et Io.* 14.); quodque cum iisdem fuisset omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, ne umquam in docendo errarent (*Matth. ult.*). Hinc quoque Episcopus rudis, et peccator valide Sacramenta administrat, et jurisdictionis, quae sunt, exercet.

Prop. IV. Procul dubio habendum est, quod Rom. Pontifex est supra Concilium Generale. Vocat id Lig. l. 1. Th. Mor. Diss. sup. Pont. auct. in fine *totius Ecclesiae sententiam, regulam, et sensum.*

Prob. Et 1.° ex Script.; ut ex Matt. 16., ubi Christus ad Petrum, cujus Rom. Pontifex est Successor: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam*

meam; idest *super te*, *o Petre*, quemadmodum et nonnulli PP., quorum meminit Canus, Bellarm., Nat. Alex., aliique, interpretantur; et confirmat Versio Syriaca ita habens: *Tu es Cephas*, *et super hoc Cephas aedificabo Ecclesiam meam*; et ipsa demum suadet ratio, quis enim animadvertens ad pronomen *hanc*, statim non intelligit, de illa petra Christum loqui, de qua immediate antea locutus fuerat? *Et tibi dabo claves Regni Coelorum.* Idem autem dictu est, quod super Petrum, non singuli lapides, sed tota absolute Ecclesia fuerit a Christo aedificata, quodque illi datae fuerint claves, non unius, alteriusve conclavis, sed Regni Coelorum universi, idem, inquam, dictu utrumque est, quodque eum constituerit supra omnem Ecclesiam, sive nempe per Orbem dispersam, sive in Concilium coactam: Ergo . .

Idem vero confirmatur ex eo quod illi ait ap. Luc. 22. *Simon*, *Simon*, *ecce Satan expetivit vos*, *ut cribraret*, *sicut triticum. Ego autem rogavi pro te*, *ut non deficiat fides tua*; *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Si autem Rom. Pontifex, tamquam Petri Successor, nedum fratres singulos, sed universos confirmare debet, nedum etiam supra singulos, sed supra universos quoque in Concilium coactos dicendus est: Ergo.

Quod et confirmatur ex eo, quod eidem ait ap. Jo. c. ult. *Simon Ioannis*, *diligis me plus his? Pasce agnos meos. Simon Ioannis*, *diligis me plus his? Pasce oves meas* (quo in loco Graecus textus habet *oviculas*). *Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce oves meas.* In quae idcirco ita praeclare D. Eucherius Lugdunensis: *Prius agnos*, *deinde oves commisit ei*, *quia non solum Pastorem*, *sed Pastorem Pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos*, *pascit et oves*; *pascit filios*, *pascit et matres*; *regit et subditos*, *et Praelatos. Omnium igitur Pastor est*, *quia praeter agnos*, *et oves in Ecclesia nihil est* (*hom: in Nat. Apost.*). Et prius in eumdem loc. D. Chrysostomus: *Esto praepositus loco mei*, *et Caput fratrum tuorum.* Idem autem dictu est, quod Rom. Pontifex, tamquam Petri Successor, omnium, ipsorumque Pastorum Pastor est, ac loco Christi Ecclesiae praepositus, quodque supra omnes Episcopos, sive per Orbem dispersos, sive in unum congregatos ipse est; nam secus dicendum esset, et quod Episcopi in Concilium coacti desinant esse oves Pastori universali subjectae, atque in ipsius

Pastorem commutentur ; et quod, iis in Concilium coactis, vel desinat Rom. Pontifex esse Christi Vicarius, vel supra eum, qui Christi vices gerit, ipsi fiant, quae ambo esse absurda, nemo est, qui non videat : Ergo.

2.° Ex Conc. Et 1.° id agnovisse Constantinop. IV. sess. 5., constat ex illis verbis : *Neque nos sane novam de illo* (idest Photio) *sententiam ferimus, sed jam olim a SS.mo Papa Nicolao pronunciatam, quam nequaquam possumus immutare.* Quid autem clarius, quam quod, si Concilium generale supra eum esset, ejus sententias, hoc ipso immutare posset ? Magis tamen, magisque urgent Florent. sess. 25., et Lateran. V. sess. 11., ita enim Florent. *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, et Rom. Pontificem in Universum Orbem tenere Primatum, et ipsum Rom. Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem, et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in Sacris Canonibus continetur.* Ita vero Lateran. *Solum Rom. Pontificem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere, nedum ex Sacrae Scripturae testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, Sacrorumque Canonum Decretis; sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione constat.* Quid clarius ? Fatemur quidem cum Bellarm. l. 2. de Conc. Auct. c. 13., et 17., quod, *quia Florentinum non ita expresse id definivit, quemadmodum nec Lateranense, ut decretum fide catholica tenendum, ideo non sunt proprie haeretici, qui contrarium sentiunt* : Subdit tamen, quod *a temeritate magna excusari non possunt.*

Accedit ex Conciliis Generalibus, quod cum semper petierint a Rom. Pontifice suorum Decretorum confirmationem, ut 1.° Patres Nicaeni a Silvestro, et subinde PP. omnium aliorum Conciliorum Generalium usque ad Tridentinum, hoc ipso eadem quoque semper agnovere, se esse eo inferiora, eumque ipsis superiorem; est enim confirmatio ex parte petentis adeo evidens inferioritatis signum, et ex parte illius, a quo petitur, adeo evidens

signum superioritatis, ut probatione non egeat. Qua super re, ne longi simus, sufficiant Pii IV. verba in Bulla confirmationis Concilii Trid., cujus initium: *Benedictus Deus*, ubi haec habet: *Cum autem ipsa Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum Conciliorum vestigiis inhaerens, Decretorum suorum omnium confirmationem a nobis petierit, etc.*

3.° Ex ipsis Rom. Pontificibus, qui, etsi locuti fuerint in causa propria, ut Adversarii reponunt, nemo tamen, qui recte sentiat, inficiabitur, quod majus profecto pondus, quam Gersonius, Dupinus, Bossuetius, Tournelius, ac alii quicumque, auctoritate sua faciunt; et certe non ita locuti essent, nisi in Ecclesia sat universe sententia, quam tuemur, esset recepta. Et 1.° D. Leo., nisi se supra Concilium Generale agnovisset, irritum non fecisset canonem 28. Concilii Chalcedonensis, quo hoc decreverat, primum locum post Romanum Pont. Antistiti Constantinopolitano esse dandum (*ep.* 23. *ad Pulch. Aug.*). Urgentiora vero sunt, quae ait Paschalis II. *c. Significasti*, *Extrav. de elect.*, ubi: *Omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem robur acceperunt, et in eorum Statutis Rom. Pontificis patenter excipitur auctoritas.* Et concordat *C. Dudum*, *et C. Peregrina* 3. *qu.* 6., et expresse Trid. *sess.* 25. *cau.* 21. *De Reformat.* Et sane excipiturne auctoritas, nisi Superioris? Urgentiora etiam sunt, quae ait Bonifac. VII. *c. Sacrosancta de Major.*, *et obed.*, ubi: *Subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, definimus, et pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis.* Demum Alex. VIII. die 4. Aug. an. 1690. Constitutione, cujus initium *Inter multiplices* proscripsit quatuor prop. editas in Comitiis Gallicanis, quarum secunda ajebat: *Sic autem inesse Apostolicae Sedi, ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant Sanctae Oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua Religione custodita, Decreta de auctoritate Conciliorum Generalium, quae Sess. 4., et 5. continentur; nec probari, qui eorum Decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.* Et

die 7. Dec. ejusd. anni hanc quoque prop. damnavit: *Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, et in fidei quaestionibus decidendis infallibilitate.* Et sane, iis tantum perpensis, quae hactenus diximus, nemo non videt, quam recte potius Ligorius l. c. vocet sententiam oppositam *futilem, convulsam, ac merito rejiciendam.* Sed et alia supersunt.

4.° Enim probatur multiplici ratione Theologica. Et 1.° Romanum Pontificem Primatum in Ecclesia habere tum honoris, tum jurisdictionis, fides docet, et nos fuse demonstraturi sumus tract. sequ. Contradictionem autem implicat; quod dum ipse primatum in eam habet tum honoris, tum jurisdictionis, sit simul Generale Concilium ipso superius; qua super re ita apposite Puffendorfius: *Concilium esse supra Papam thesis est. Sed quod isti quoque hanc propositionem asserere velint, qui Sedem Romanam omnium Ecclesiarum centrum, ac Papam Oecumenicum Episcopum agnoscunt, id quidem non parum absurditatis habet, cum Status Ecclesiae Romanae Monarchicus sit, ista autem thesis meram Aristocratiam oleat* (*De habitu Relig. Christ. ad vit. civil.* §. 38.) Nec ullius momenti est illa Gallorum distinctio, quod vi istiusmodi Primatus habet Rom. Pontifex plenam, ac supremam potestatem super omnes Ecclesias particulares, ac distributive sumptas, non vero super omnes collective, et conjunctim sumptas; ita enim eos pudere deberet tam frivolae, et inanis distinctionis, ut in eam, quasi ridens, Moshemius: *Quod universis* (ait), *sive singulis Ecclesiis praeesse Pontificem dicunt, non universae Ecclesiae, id tam mihi scitum videtur, ac si quis affirmaret, membra quidem a capite regi; non vero quod ex membris constat corpus; aut urbes quidem omnes, villas, et praedia subesse Regi, non vero quae ex his continetur, ipsam Provinciam* (*In disser. de Gall. appel. ad Conc. univ.*). Quibus Moshemii verbis nos addimus, idem demum id dictu esse, ac Ecclesiam *distributive* Caput visibile habere, *collective* non habere; et quod Caput dispersae erat, idem collectae repente membrum evadere.

2.° Si Concilium Generale esset supra Papam, non liceret profecto a Concilio Generali appellare ad Papam, et e converso liceret a Papa ad Generale Concilium appellare. Docent autem communiter DD., inter quos D.

Th. *qu.* 10. *de Potentia art.* 4. *ad* 3., quod licitum quidem est a Concilio Generali appellare ad Pontificem, ut novimns factum a D. Flaviano Constantinopolis Patriarcha, et a Theodoreto Cyri Episcopo, qui a Generali Concilio Ephesino II. appellaverunt ad D. Leonem; illicitum vero appellare a Papa ad Concilium Generale. Immo nedum illicitum dumtaxat, verum etiam 1.° appellantes a Rom. Pontifice ad futurum Concilium, eorumque Consiliarii, et Fautores, poenis excommunicationis, criminisque laesae Majestatis Divinae, et humanae subjiciuntur a Pio II. Constitutione, cujus initium *Execrabilis:* Item declarantur veri, et indubitati Schismatici, et de Catholica fide male sentientes a Julio II. Constitutione, cujus initium *Suscepti regiminis*. Quotannis quoque excommunicantur in die Coenae Domini, ut patet ex *Bulla Coenae* §. 2. Ac demum D. Antoninus *p.* 1. *tit.* 23. *de appell. Pap. c.* 3. §. 3., *sentire* (ait), *quod a Papa ad Concilium appellari possit*, *est haereticum*; et revera hujusmodi appellationum exempla, nonnisi ab haereticis, ut a Pelagianis, Jansenianis, etc., datum novimus. Cum ergo appellatio sit de minore ad Superiorem Judicem provocatio; cumque liceat quidem appellare a Concilio Generali ad Papam, non vero e converso a Papa ad Concilium Generale, stat evidenter, Papam esse supra Concilium Generale, non vero e converso Concilium Generale supra Papam esse.

3.° Ex ostensis tract. ant. c. 4. prop. 4., quidquid possunt Episcopi simul cum Rom. Pontifice, hic seorsim etiam ab aliis solus potest. Si antem seorsim ab aliis Episcopis solus potest, quod omnes non possunt, nisi communione, et consensu cum eo juncti, supra omnes sive per Orbem dispersos, sive in Concilium coactos dicendum eum esse, nemo est, qui non videat; Ergo.

4.° Ipse Nat. Alexander tom. 14. hist. Eccl. saec. 16. Diss. 4. n. 46. scribit, quod Summi Pontificis est judicare, quae Concilia vere Oecumenica sint, an iis scilicet instructa sint conditionibus, quae Concilii Oecumenici rationem constituunt. Si autem Oecumenicum Concilium ipso esset superius, quomodonam ejus esset ejusmodi judicium, cum contra judicii rationem sit, quod Superior ab inferiore judicetur? Sed accedit, quod id judicans, vel esset ejus judicium fallibile, vel infallibile. Si 1.m, irritum, ac inutile ejus judicium esset. Si alterum, en

schisma aeternum, ac numquam desiturum ob Judicis defectum, qui inter Papam, et Concilium irreformabile judicium posset pronunciare: Dicendum ergo, quod supra Concilium sit; utque hujusmodi, ideo Iudex, qui irreformabili judicio ejus legitimitatem declarat: *Una fides* (ita apposite D. Th. 2. 2. qu. 1. a. 9. ad 2.) *debet esse totius Ecclesiae, secundum illud* 1. *ad. Cor.* 1. *Idipsum dicatis omnes, ut non sint in. vobis schismata. Quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur.*

5.° Nihil magis veritati adversum, quam quod contradictionem implicat. Hujusmodi autem est propositio: *Concilium Generale est supra Rom. Pontificem*; vel enim Concilium, quod dicitur Generale, consideratur absque Rom. Pontifice, vel cum Rom. Pontifice. Si consideratur absque Rom. Pontifice, en Concilium Generale simul, et non Generale, quod contradictionem implicat: nimirum Generale ex hypothesi: non Generale, quia, ut Concilium sit Generale, necesse est, quod universam Ecclesiam repraesentet. Ut autem Concilium universam repraeseutet Ecclesiam, non obstat quidem defectus hujus, vel illius Episcopi, quicumque ille sit, Ecclesia enim nunc plures, nunc pauciores Episcopos habuit; at maxime obstat defectus illius, cui in persona Petri ait Christus: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; illius, cui in persona Petri ait Christus: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; illius, cui in persona Petri ait Christus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; illius, *per cujus os elegit Deus audire Gentes. verbum Evangelii, et credere*; illius demum, qui est Caput totius Ecclesiae, ejusque centrum, et unitatem sua auctoritate constituit: ex quo sequitur, quod, Episcopis in unum collectis, erunt quidem illi Antistites singularum Ecclesiarum, quibus praepositi sunt, sed Ecclesiam, quae necessario una est, referre universam non poterunr, si cum iis non sit Summus Pontifex, quia deest inter eos commune unitatis centrum, quo disjunctae ille inter se potestates conjunguntur. Si vero Concilium consideratur cum Rom. Pontifice, et simul dicitur hoc superius, en effectus sua causa superior; quod etiam contradictionem implicat: cum enim posito A, ponitur B., sublato A, tollitur B., evi-

dens est, quod A est causa ipsius B. . Posito autem Rom. Pontifice, Concilium est Generale; ipso sublato, non amplius Generale est: Quod ergo Concilium sit Generale est effectus assistentiae, seu praesidentiae Rom. Pontificis; quo idcirco si esset superius, en effectus sua causa superior. Quibus perpensis, patet, quod propositio: *Concilium Generale est supra Rom. Pontificem*, contradictionem implicat; cumque, ut diximus, nihil magis veritati adversum, quam quod contradictionem implicat, veritati igitur adversum, quod Concilium Generale Rom. Pontifice sit superius. Sed et brevius, ac praeclare simul hac super re Comes Le Maistre in Opere italice reddito, cui titulus: *Del Papa c.* 3. *Da per tutto ove esiste un Sovrano (e nel sistema Cattolico il Sovrano è incontrastabile), non possono darsi assemblee nazionali, e legittime senza di lui. Dal momento, ch' egli ha pronunciato il veto, l' assemblea è sciolta, ovvero la di lei forza collegislatrice è sospesa. S' ella si ostina, insorge una rivoluzione. Questa nozione tanto semplice, quanto incontrastabile, e che non si rovescierà mai, espone nel maggior suo lume l' immenso ridicolo della quistione tanto discussa, se il Papa è superiore al Concilio, o il Concilio è superiore al Papa? Poiche è lo stesso che chiedere in altri termini, se il Papa è al di sopra del Papa, o il Concilio al di sopra del Concilio.*

6.° Demum nonnisi anno 1395. induci coepit opinio, quod Concilium Generale sit ipso Rom. Pontifice superius, cum alia prorsus fuisset ad illam usque aetatem Majorum sententia, quorum nemini umquam in mentem venit, Pontificem Maximum Concilii potestati subjicere. Quod cum ita sit, hoc ipso solum, quia nova, hoc ipso, inquam solum explodenda esset ejusmodi opinio, ut enim ait Tertull. *l. de praescript.* c. 31., tamquam credendi regula habenda est, *id esse Dominicum, et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum, et falsum, quod sit posterius immissum.*

Objic. 1.° Quod ait Christus ad Petrum Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum. Quod si te non audierit, dic Ecclesiae*; quam proinde Supremum Tribunal esse, ad quod recurrere debet ipse Petri successor, consequens est. Concilium autem Generale ipsa repraesentative est Ecclesia: Et ipsum igitur Su-

premum est Tribunal, ad quod recurrere debet ipse Petri Successor; quem proinde inferiorem illo esse, dicendum est.

R. 1.° neg. sequ. maj.; loquitur enim Christus loco cit. de correctionis praecepto; quod cum omnibus, et singulis imposuerit, omnibus proinde, et singulis verba direxit, absque eo quod ullatenus Petrum respexerit, tamquam futurum Ecclesiae Caput, vel hanc futuram ejus praeeminentiam ullatenus prorsus verba indicent. Ubinam ergo, quod Ecclesia sit Supremum Tribunal, ad quod ipse ejus Successor, super quem Ecclesia fundata est, debeat recurrere? Sed et resp. 2.° neg. min.; falsum namque est ex ostensis supra, quod Episcopi in unum collecti, nisi secum habeant Summum Pontificem, universam Ecclesiam repraesentent.

Objic. 2.° Decretum Conc. Constantiensis sess. 4., et 5. *Generale Concilium a Christo immediate potestatem habet, cui quilibet cujuslibet status, et conditionis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in iis, quae pertinent ad fidem, extirpationem dicti schismatis, et ad generalem Ecclesiae reformationem in Capite, et membris.* Quod et postea confirmatum fuit a Conc. Basileensi sess. 2. 3., et 18.: ac tam Constantiense, quam Basileense confirmata postmodum fuere a Martino V., et ab Eug. IV.; quibus etiam accessit Nicolaus V., et Pius II.. Tamquam definitum igitur irreformabili judicio habendum est, quod Concilium Generale est supra Papam.

R. neg. cons.; 1.° enim Decretum Concilii Constantiensis ad solum schismatis tempus, et quo dubitetur de legitima eorum electione, qui de Pontificatu contendunt, referri debere, ex ipsis ejus verbis patet; ait enim, Concilio Generali obediendum a quocumque esse, *etiamsi Papalis conditionis sit*, idest revera sit, qualis ab iis, qui ipsi obediunt, dicitur; et praecise quoad *extirpationem dicti schismatis*, quod nempe tunc temporis Ecclesiam divexabat. Concedere autem non recusamus, quod tali tempore locum habeat: cum enim Deus suae Ecclesiae deesse nequeat, hinc cum pertinax schisma Ecclesiam divexet, adesse profecto debet medium Divinitus datum, quo tollatur schisma, et unitas Ecclesiae restituatur. Nolentibus autem, qui de Pontificatu contendunt, Pontificatui renunciare, nonne unicum medium ad tollendum schisma est, quod caeteri Pastores in Concilium coacti

supremam potestatem habeant, cui quilibet cujusvis dignitatis, etiamsi Papalis, obedire teneatur? Hoc igitur tunc temporis medium Divinitus datum; ex quo sequitur, quod supremam illam potestatem immediate a Christo habeat.

2.° Decretum illud nullatenus Concilii Generalis robur habere, ex eo liquet, quod cum editum fuit, nullus aderat certus Pontifex, qui necessario ex ostensis requiritur, ut Concilium sit Generale, seu universam Ecclesiam repraesentet. *Che il Corpo Episcopale* (ita laudatus Le Maistre in Opere cit. C. 11., et 12.), *separato dal Papa, ed in opposizione eziandio col Papa possa far leggi obbligatorie per la S. Sede, e pronunciare sul dogma in un modo divinamente infallibile, questa proposizione è un prodigio; per parlare con Bossuet, non tanto forse contrario alla sana Teologia, quanto alla sana Logica.* Ultraque etiam progrediens, pergit: *Che dovremo dunque pensare di questa famosa quarta Sessione, nella quale il Concilio di Costanza si dichiara superiore al Papa? La risposta è facile. Conviene dire, che l'assemblea scioccamente ragionò, come tutte le assemblee numerose, e non presiedute . . . Ponghiamoci nella situazione dei Vescovi di Costanza, agitati da tutte le passioni dell'Europa, divisi in nazioni, opposti d'interessi, stanchi del ritardo, impazienti per la contradizione, separati dai Cardinali, sprovveduti di centro, e per colmo di sciagura regolati dalla influenza di Sovrani fra di loro discordi: è dunque da far tanta meraviglia, se spinti dall'immenso desiderio di porre un termine al più deplorabile scisma, che abbia giammai afflitto la Chiesa, ed in un secolo, nel quale il compasso delle scienze non aveva per anche circoscritti i confini alle idee, come è avvenuto a giorni nostri, questi Vescovi abbiano detto a se stessi: Noi non possiamo altramente rendere la pace alla Chiesa, e riformarla nel suo Capo, e nelle sue membra, che comandando a questo Capo medesimo. Dichiariamo dunque, ch' egli è obbligato di ubbidire.* Haec ad Decretum Concilii Constantiensis.

Decretum vero Basileensis nullatenus prorsus vim habere, sed omnino spernendum, ac rejiciendum esse, ex eo manifeste evincitur, quod in citatis Sessionibus nedum Concilium illud non erat Generale, sed erat etiam schismaticum ob suam expressam a Capite separationem; qua-

re et D. Antoninus p. 3. tit. 22. c. 10. §. 4. non aliter illud vocat, quam *Conciliabulum viribus cassum, et Synagogam Satanae*; Episcopus Meldensis Legatus Caroli VII. ad Eugenium (ap. Lig.) non aliter, quam *Daemonum catervam*: ac demum D. Joannes de Capistrano *De Papae*, *et Conc. auctorit. c.* 3. non aliter, quam *Synodum profanam*, *excommunicatam*, *et Basiliscorum speluncam*. Nec facessit, quod postea in sess. 18. interfuerint Eugenii Legati, nam nec umquam consenserunt, sed semper contradixerunt Decreto, de quo agitur, ut refert Card. Turrecremata, testis quidem omni exceptione major, utpote et coaetaneus, et unus ex PP. Conc. Constantiensis, et Florentini; nec umquam illud ratum habuit Eugenius.

Falsum namque item est, quod Decretum Constantiense confirmaverit deinde Martinns V., et Basileense Eugenius IV.. Quoad 1.m enim, ait quidem Martinus, se tenere omnia, et singula determinata, conclusa, et decreta per Concilium, sed determinata, conclusa, et decreta *conciliariter*, *et non aliter*, *nec alio modo*; itemque *in materia fidei*, quae nempe contra errores Wiclefi, et Joannis Hus decreverat. Decretum porro, de quo agitur, editum non fuit *conciliariter*. 1.° quia ob timorem tantum Sigismundi Imp. interfuerunt PP. in sessione; quapropter postea declaraverunt inscriptis, sessionem irritam fuisse, cujus declarationis verba apud Roncaglia habentur. 2.° quia, ut refert Card. Turrecremata, qui Concilio interfuit, et aperte patet ex gestis illius Conc., decretum illud factum fuit solum ab aliquibus PP. obedientiae Joannis XXIII., quare pergit idem Turrecremata, nullius fuisse momenti. Quod vero nihil commune habebat cum erroribus Wiclefi, et Joannis Hus, ex se patet. Quibus accedit, quod si Martinus illud confirmasset, non confirmasset quoque illud aliud ejusdem Conc. Decretum, editum die 11. Sept. Sess. 40., quod *Papa rite, et canonice electus a Concilio ligari non possit*; si enim inferior esset Concilio Generali, quis non videt, quod ligari ab eo posset? Nec peculiari sua Constitutione, cujus ipse Gerson meminit in Dial. Apol. pro Conc. Const., declarasset, quod *nulli fas est*, *a Supremo Judice*, *videlicet Apostolica Sede*, *seu Rom. Pontifice*, *J. C. Vicario in Terris*, *appellare*; semper enim licuit ab inferiore appellare ad Superiorem. Quibus perpensis; nihil prorsus roboris Decretum Constantiense habere, consequens est.

Quoad alterum vero, expresse Eugenius in sua Constit. *Dudum Sacrum* negavit se approbaturum quidquid Conciliabulum Basileense contra Rom. Pontificis auctoritatem ediderat: *Omnia, et singula* (inquiens) *contra auctoritatem nostram facta prius omnino tollantur.* Cumque PP. Basilenses iterum, atque iterum petiissent optatam ab eo confirmationem, semper Eugenius renuit, *Nos* (inquiens in Conc. Flor.) *progressum Concilii approbavimus, non autem ejus Decreta*, tam nempe illud, de quo agitur, quam alia, quae eadem Pseudo-Synodus contra Rom. Pontificem ediderat. Immo cum et Imperator quoque, et Imperii Electores pro eadem confirmatione instassent, scripsit Eug. ad suos Legatos in Germania, quod licet Concilia tam Constantiense, quam Basileense susciperet, ea tamen suscipiebat, essetque semper suscepturus absque praejudicio juris, dignitatis, et praeeminentiae S. Sedis Apostolicae, et potestatis sibi, et in eadem canonice sedentibus concessae. Quibus omnibus accedit Const. *Moyses etc.* ab ipso Eug. edita in Florentino, in qua adversus propositiones PP. Basileensium, Concilium Pontifici praeferentes, ita Summus Pontifex, approbante eodem Sacro Concilio: *Quas propositiones juxta pravum Basileensium intellectum, quem facta demonstrant, velut Sacrae Scripturae, et SS. Patrum, et ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarias, tamquam impias, scandalosas, nec non in manifestam Ecclesiae scissuram cedentes, ipso Sacro approbante Concilio, damnamus, et reprobamus.* Legitur haec Const. in IX. edit. Veneta Conc. t. 18. n. 1201.

Demum nec Nicolaus V, nec Pius II. easdem approbavere; Nicolaus enim Basileense Conc. approbavit quoad ea solum, quae ad Beneficia, et censuras Ecclesiasticas spectant, ut patet ex ejus Constitutione relata in Summa Conciliorum t. 1. pag. 99. Pius vero adhaesit quidem ante Pontificatum, dumque esset junior placitis Basileensibus: at senior factus, et ad Pontificatum evectus, nedum sententiam mutavit, sed et sua peculiari Const. reprobavit: *Nos* (inquiens) *homines sumus, et ut homines erravimus; neque imus inficias, multa quae diximus, scripsimus, egimus, damnari posse. Verum dilectiones vestras hortamur, et in Domino commonemus, ne prioribus illis Scriptis inhaereatis, aut fidem ullam praestetis, quae Supremam Apostolicae Sedis auctoritatem ullo pacto elidunt. Sequimini, quae nunc dicimus, et seni magis,*

quam juveni credite, nec privatum hominem pluris facite, quam Pontificem. Æneam (hoc appellabatur nomine, antequam esset Pontifex, ex Piccolomini familia) *rejicite, Pium recipite.*

CAP. II.

De Conciliis Generalibus in specie.

De Concilio Nicaeno I.

Novemdecim haec communiter recensentur, octo scilicet Orientalia, et undecim Occidentalia; ex quibus 1.m Nicææ in Bithynia, quae est Metropolis in Asia coactum fuit; imperante Constantino Magno, et Romae sedente D. Silvestro an. 325., eodemque anno absolutum. Patres fuerunt 318., quibus Romani Pont. loco praefuit Osius Episcopus Cordubensis in Hispania, et Vitus, ac Vincentius Presbyteri: tribusque potissimum de causis coactum fuit, ad adstruendam nempe contra Arium Verbi Divinitatem, ad determinandum Paschatis diem contra Quartodecimanos, et ad Meletii schisma extinguendum. Quae omnia peracta fuere; ac praecipue contra Arii haeresim, et blasphemias definitum fuit juxta avitam fidem, Verbum esse Deum, atque unius, ejusdemque essentiae cum Patre; utque Verbi Divinitas exprimeretur vocabulo, quod Arianorum effugiis non pateret, editum fuit Symbolum, in quo Verbum dictum fuit Patri *consubstantiale.*

Hujus Concilii velut appendix fuit Conc. Sardicense (non Sardense, ut quidam imperite ajunt), a quo proinde spectatum non fuit vere, et proprie distinctum; quare et ejus Canones laudati fuerunt a Summis Pontificibus Zosimo, Bonifacio, Coelestino, et Leone sub nomine Nicaenorum Canonum. Congregatum fuit an. 347; Constantio, et Constante Imperatoribus, et Julio I. Pontificatum gerente, ut calumniae Eusebianorum Arianam haeresim faventium in D. Athanasium, Marcellum Ancyranum, et Asclepam Gazensem diluerentur; quod factum fuit, et Eusebiani proscripti, atque a suis sedibus ejecti fuere. Ipsum denique fuisse Generale, in dubium vocari nequit, cum coaluerit ex Galliae, Hispaniae, Macedoniae, Thessaliae, Achaiae, Ægypti, Palaestinae, et omnium Imperii Romani Provinciarum Episcopis; eique praefuerint

Julii Rom. Pontificis nomine Osius Cordubensis, atque Archidamus, et Philoxenus Presbyteri: quare D. Athan. illud appellat Apol. 2. *magnam Synodum*; Socrates l. 2. c. 2. *Concilium Oecumenicum*; Theodoretus, Severus Sulpitius, Vigilius Tapsensis *ex omnibus Provinciis, ex toto Orbe Terrarum*. Fuerunt autem Episcopi num. 376.

De Concilio Constantinop. I.

Sequitur Constantinopolitanum I., quod coactum fuit Constantinopoli an. 381., imperante Theodosio Seniore, et Petri Cathedram tenente Damaso. Non coaluit tamen, ut alibi etiam innuimus, nisi ex Orientis Episcopis num. 150., sed relatum fuit inter Concilia Oecumenica, eo quod Occidentalis Ecclesia in Romana Synodo a Damaso congregata in eamdem fidem, et haereticorum damnationem consensit. Fuerunt autem hi, adversus quos congregatum fuit, Macedoniani, Divinitatem Spiritus Sancti negantes; quam de fide catholica credendam Concilium fidelibus proposuit: conditoque Symbolo, quod inter Missam recitatur, quo Nicaena fides exposita magis fuit, et confirmata, integrum illi addidit articulum de Spiritu Sancto, de quo nihil statuerat Nicaena Synodus, utpote tota adversus Arium celebrata.

De Concilio Ephesino.

Sequitur Ephesinum, cujus nempe locus Ephesus, totius Asiae minoris primaria Urbs, quod coactum fuit an. 431., imperante Theodosio juniore, et Romae sedente D. Coelestino I., adversus Nestorium Constantinopolitanum Patriarcham, cujus duo erant praecipui errores: Primus, duas esse in Christo hypostases, seu personas: Alter, B. Virginem dicendam non esse *Theotocon*, seu Deiparam, sed *Christotocon*, seu Matrem Christi. Definitum proinde fuit juxta Catholicam fidem, unam tantum, eamque Verbi, esse in Christo personam; ideoque B. Virginem vere dici, et esse Deiparam: probatis praeterea 12. Anathematismis in Nestorii blasphemias jam antea a D. Cyrillo Patriarcha Alexandrio latis. Fuit hic Concilii Praeses simul cum Arcadio, et Projecto Episcopis, et Philippo Presbytero nomine Coelestini Summi Pontificis; fueruntque Patres, ex quibus coaluit, num. 274.

—

De Concilio Chalcedonensi.

Sequitur Chalcedonense; cujus nempe locus Chalcedone urbs Asiae minoris; quod coactum fuit an. 451., sub Marciano Imperatore, et D. Leone M. Summo Pontifice adversus Eutychem; Monasterii, quod Constantinopoli celeberrimum erat, Archimandritam, pertinaciter asserentem, *ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri J. C. duas esse Naturas, Divinitatis, et humanitatis, post unionem vero unam Naturam factam... Corpus vero Domini, quod ex Maria Virgine factum est, non esse nostrae substantiae... non esse nobis consubstantiale, neque Genitrici ejus secundum carnem.* Hos autem Eutychetis errores anathemate perculit Concilium; definiitque juxta Catholicam fidem, duas esse in Christo distinctas Naturas, Divinam, et humanam; quodque Christus est unus, non ob confusionem Naturarum, sed ob unitatem Personae, ac simul perfectus Deus, et perfectus homo: rescindens demum quae in favorem Eutychetis in Conciliabulo Ephesino impii Dioscori Patriarchae Alexandrini opera acta fuerant: fueruntque Patres plusquam 600.

De Concilio Constantinop. II.

Sequitur Constantinopolitanum II., quod coactum fuit in illa Imperiali Urbe an. 553, sub Justiniano Imp., ac Vigilio Pontifice Max., ad judicandum de tribus Capitulis, de quibus tam celebris mentio est in hist. Ecclesiastica, et acris tunc fervescebat controversia, an mererentur, necne damnari. Primum ex iis erant Theodori Mopsuesteni opuscula adversus Apollinarem. Secundum Theodori Cyrensis Episcopi opus, in quo hic 12. Ephesinae fidei capitibus a D. Cyrillo conscriptis, totidem anethamatismos opposuerat. Tertium Ibae Edesseni Episcopi epistola ad Marim Persam, quae et Cyrillum, ejusque contra Nestorium Scripta reprehendebat, et Theodorum Mopsuestenum magnis laudibus ornabat, ac decessorem suum Rabulam suggillabat, quod Theodoro anathema dixisset. Omnia autem damnata fuere, et anathemate perculsa, tamquam manifeste haeretica, et Nestorio faventia: scripta scilicet Theodori Mopsuesteni simul cum ejus persona; qua de causa definitum quoque fuit, etiam mortuos anathemate plectere, fas esse, exemplo Josiae, qui Idolorum Sacerdotes non

vivos tantum jugulari, sed eorum insuper, qui mortui erant, reliquias effodi, et projici jussit; quod et confirmatum fuit tum disertissimis SS. Aug., Cyrilli, aliorumque SS. PP. testimoniis, tum variis exemplis ex hist. Ecclesiastica petitis: scripta vero Theodoreti contra D. Cyrillum, et Ibae epistola, salvis eorum personis, propterea quod dicto in Nestorium anathemate, ad communionem a Conc. Chalcedonensi admissi fuerant. Adfuerunt 165. Episcopi; quibus caeterum non statim adhaesit Vigilius: prius enim, ut videri potest ap Petav. *l.* 1. *de Inc. c.*18., Decreto, quod *Judicatum* vocavit, tria capitula proscripsit, sed addita clausula: *Salva Synodo Chalcedonensi reverentia*, quam trium capitulorum proscriptione impeti, nonnulli contendebant. Instante postmodum Justiniano, ut, clausula hujusmodi sublata, absolute illa proscriberet, postulavit ad id Vigilius, quod Imperator ex omnibus Provinciis Concilium Episcoporum cogeret; quo tamen coacto, ad illud pluries invitatus adesse noluit, caussatus Occidentalium Episcoporum paucitatem: aliudque edidit Decretum, appellatum *Constitutum*, quo damnatis 60. capitibus, quae de Theodori Mopsuesteni libris excerpta fuerant, nihilominus adversus Theodorum ipsum, Theodoretum, et Ibam decerni aliquid, vetuit. At demum, re plene perspecta, absolute adhaesit Synodo, ut patet ex ejus litteris, quas e ruderibus antiquitatis erutas Petrus De Marca, nobili praemissa de Synodo V. dissertatione, evulgavit, ex ejus (inquam) litteris *ad Eutychium Archiepiscopum Constantinopoleos, et ad omnem praejacentem Sanctam Synodum*, ubi: *Praedicta itaque tria impia capitula anathematizamus, et condemnamus; scilicet impium Theodorum Mopsuestiae cum impiis ejus scriptis, et quaecumque impie Theodoretus scripsit, atque etiam epistolam, quae dicitur ab Iba scripta fuisse*; ex qua Vigilii confirmatione Concilium evasit Oecumenicum, quod et deinde, tamquam Oecumenicum, suscepere ejus Successores Pelagius II, ut constat ex ejus ep. ad Eliam Aquilejensem, et Istriae Episcopos, ab Ecclesia Romana ob trium Capitulorum defensionem divulsos; et D. Greg. M., ut patet ex ejus *ep. ad Joann. Constantinop. l.* 1. *ep.* 24., ubi: *Sicut Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, et venerari me, fateor. Quintum quoque Concilium pariter veneror.*

De Concilio Constantinop. III.

Sequitur Constantinop. III., quod coactum fuit an. 680. sub Constantino Pogonato Imp., et Agathone Summo Pont., qui ei praefuit per suos Legatos Theodorum et Georgium Presbyteros, et Joannem Diaconum. Adfuerunt circiter 200. Episcopi; fuitque coactum adversus haeresim Monothelitarum, negantium, duas esse in Christo voluntates, et duas operationes distinctas, Divinam, et humanam: quibus proinde Concilium fidei definitionem his verbis conceptam opposuit: *Duas naturales voluntates in Christo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum Patrum doctrinam. praedicamus.* Hujus haeresis parens fuerat Theodorus Episcopus Pharitanus; a quo manaverat ad Cyrum Alexandrinum Antistitem, itemque Sergium, Episcopum Constantinop., ejusque Successores Pyrrhum, et Paulum, et Macarium Patriarcham Antiochenum. Ejus fautores fuerant quoque Heraclius Imp., et Constans ejus Nepos. Eam vero jam proscripserant Summus Pontifex Severinus, Joannes IV. Severini Successor, Theodorus, ac Martinus I., coacta quoque Synodo 105. Episcoporum in Ecclesia Lateranensi: ante quos Honorius, a Sergio deceptus, non fuerat dumtaxat satis cautus, et efficax, ut haeresis progressus sisteret; expresse tamen in sua ad Sergium epistola fassus fuerat duas voluntates, et duas operationes D. N. J. C., Divinam, et humanam, excluseratque tantum repugnantiam inter utramque, *cum ab Eo* (ut ajebat) *assumpta fuerit nostra Natura, non culpa.* Sed de hoc fusius infra.

Huc cadit pauca dicere de falsa Synodo Trullana, paucis post annis Constantinopoli habita a Justiniano Constantini filio apud Trullum Regium Palatium; etiamque appellata *Quinisexta*, quia nempe nec quinta, nec sexta, sed coacta ad addendos Canones quintae, et sextae, quae nullos circa disciplinam ediderant. Sciendum ergo, quod nedum illi Rom. Pontifex nec per se, nec per suos Legatos interfuit, sed quod eam quoque Sergius tunc Papa reprobavit, teste Beda *l. de nat. rerum c.* 67. ubi: *Justinianus Romanae Ecclesiae Pontificem Sergium, quia erraticae suae Synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere, et subscribere noluisset, jussit Constantinopolim deportari; qui tamen ob culpam perfidiae regni gloria*

postea privatus, exul in Pontum secessit. Quod et habetur a Paulo Diacono *l.* 6. *c.* 4., Othone Frisingensi *l.* 5. *c.*13., Rheginone *l.* 1., et Adone Viennensi *in Chronico.* Illud autem reprobavit, et quia can. 2. rebaptizantium errorem excitaverat: et quod can. 3. Ecclesiae Rom. legem de bigamis non ordinandis summum jus dixerat: et quod can. 13. jusserat, ut Hypodiaconi, Diaconi, Presbyteri a suis legitimis uxoribus non separarentur: et can. 36. decreverat, ut Thronus Constantinopolitanus paria privilegia cum Apostolica Sede obtineret, et Alexandrino Antiocheno, et Jerosolymitano praeferretur: et can. 62. praeceperat, in omnibus diebus Quadragesimae, praeter Sabbatum, et Dominicam, nullas novas hostias consecrari, sed, prout fit in die Parasceves, fieri praesanctificatum sacrificium: et can. 67. damnaverat eos, qui cujuscumque animalis sanguinem arte aliqua condiunt, et sic comedunt; etc. Quod vero VII. Synodus act. 5., et 6., Nicolaus ep. ad Michaelem Imp., et Conc. Flor. sess. 5. aliquo, aut altero ex Canonibus Trullanis usum fecerint, non ostendit, quod reliquos probaverint; quemadmodum nec totum Menandrum, Aratum, aut Epimenidem confirmavit D. Paulus, quod horum aliquando sit testimoniis usus.

De Concilio Nicaeno II.

Sequitur Nicaenum II., quod coactum fuit an. 787., imperantibus Irene cum Constantino ejus filio, et Romae sedente Adriano I.; qui ei praefuit per suos Legatos Petrum Archipresbyterum Ecclesiae S. Petri, et Petrum Abbatem S. Sabae. Concilii PP. fuerunt 350., ac anathemate perculsi fuere Iconomachi, idest imaginum effractores, contra quorum haeresim definitum fuit juxta catholicam fidem, retinendas, atque honorandas esse tum Christi, tum Deiparae, tum Angelorum, tum Sanctorum Imagines; quodque honor, qui iis redditur, *in prototypum resultat, et qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum.* Hujus haeresis auctor fuit Constantinus Nacoliae in Phrygia Episcopus; eamque totis viribus promoverunt Leo Isaurus Imperator, ejusque filius Constantinus Copronymus, indictis ad id Conciliis Episcoporum, qui, ut innuimus initio cap. ant., turpiter a fide defecerunt, etiamque filius Copronymi Leo IV. Eorum

vero conatibus praecipue obstiterunt D. Germanus Patriarcha Constantinop., jussu proinde Isauri e solio Patriarchali dejectus, et in exilium missus; D. Joannes Damascenus, cui hanc praeclaram ob causam dextera amputata, eo ipso, quo illi abscissa fuerat, die, divinitus coram Deiparae Virginis imagine oranti restituta fuit; ac demum ex Summis Pontificibus Gregorius II., et III., Zacharias, Stephanus, Paulus, aliique, variis ea de causa habitis Romae Conciliis.

De Concilio Constantinop. IV.

Sequitur Constantinopolitanum IV., quod coactum fuit an. 869. sub Basilio Imperatore, et Adriano II. Pont. Max., qui Synodo praefuit per suos Legatos Donatum, et Stephanum Episcopos, et Marianum S. Rom. Ecclesiae Diaconum, fueruntque Concilii Patres num. 101. praeter Patriarchas, vel eorum Legatos. Causam illud cogendi dedit inexplebilis ambitionis sitis, qua actus Photius, vir caeteroqui tum praestantia ingenii, tum saeculari litteratura nulli secundus, Sedem Constantinopolitanam fraudulenter invaserat, dejecto ejus legitimo, ac Sanctissimo Patriarcha Ignatio, et datis ad Summum Pontificem Nicolaum I. litteris, quod Ignatius senio, et morbis confectus Episcopatu se abdicaverat, ipseque invitus fuerat illi suffectus. Fraude tamen a Nicolao detecta, Photium Summus Pontifex deposuit, et Ignatium suae Sedi restituit: quo facto iratus Photius, et ipse ausu temerario Nicolaum excommunicavit: datis subinde litteris ad Patriarchas, et Episcopos Orientis conviciis in Ecclesiam Romanam plenis, ac praecipue eam accusans, quod processionem Spiritus S. a Patre, et Filio profiteretur, quodque particulam *Filioque* Symbolo Constantinopolitano addiderat. Quibus a Synodo, de quo hic agimus, perpensis, rursus juxta sententiam a Nicolao prius latam depositus fuit Photius, restitutus suae Sedi Ignatius, clamatumque actione 7. *Photio invasori anathema., Photio schismatico anathema., Photio novo Dioscoro anathema. Novo Judae anathema. Omnibus sequentibus, et fautoribus ejus anathema.* Vita tamen functo S. Ignatio, iterum Photius artibus, et dolis in Patriarchale Solium a Joanne VIII. restitutus, statim Pseudo-Synodum adversus Oecumenicam Synodum convocatam coegit an. 883. quod ut rescivit Joannes, rursus Pho-

tium damnavit, cumque eo Synodum, quam coegerat; quod et egerunt ejus Successores Marinus, Adrianus III., et Stephanus VI. Quae omnia dolendo illi schismati, quod adhuc perdurat apud Graecos, originem dedere.

De Concilio Lateranensi I.

Sequitur Lateranense I., ac primum quoque ex Oecumenicis in Occidente celebratis. Coactum istud fuit Romae in Basilica Lateranensi an. 1123., imperante in Germania Henrico IV., et Romae sedente Callixto II., qui per se praefuit Concilio. Adfuerunt Episcopi plusquam 300. cum pluribus aliis Viris Ecclesiasticis, ita ut omnium summa fuerit 997.; ejusque causa fuit praecipue abrogatio investiturarum ad Beneficia Ecclesiastica per Principes Saeculares, quae nedum ab his conferebantur per baculum, et annulum, quae habentur, ut insignia potestatis spiritualis, sed et invexerant in Ecclesiam, quod et earum praetextu Sacrarum electionum libertas opprimeretur, et venales fierent Episcopatus, et Abbatiae, et ad sacras hasce dignitates indigni plerumque promoverentur. Acriter proinde contra eas dimicaverant D. Greg. VII., Victor III., Urbanus II., Felix II., Paschalis II., Gelasius II., Callixtus II.; donec indicto ab Henrico IV. apud Vormatiam omnium Primatum conventu, ac postmodum de consensu tam Imperatoris, quam Pontificis Generali Concilio, de quo agimus, pacis conditiones apud Vormatiam propositae fuerunt utrinque firmatae; quod scilicet Imperator investituras Episcopatuum, et Abbatiarum per baculum, et annulum dimitteret, et omnino liberas relinqueret canonicas electiones, et consecrationes: electi vero ad praefatas dignitates Regalia, seu feuda Ecclesiis donata, ab ejus Majestate per sceptrum acciperent. Actum quoque fuit in hoc Concilio de sacris expeditionibus in Hispaniam, et Jerosolymam, quae tunc ab Infidelium tyrannide premebantur, promovendis; nec non de restauratione disciplinae Ecclesiasticae, quae fere collapsa variis in Ecclesiis reperiebatur.

De Concilio Lateranensi II.

Sequitur Lateranense II., quia nempe et habitum Romae in Basilica Lateranensi an. 1139. sub Innocentio II. Pont. Max., et imperante Lothario. Adfuere 1000. circiter

Episcopi, quibus ipse Pontifex praefuit; ac illud cogendi causa fuit, 1.° ut penitus convelleretur schisma Petri Leonis, qui Innoc. II. canonice electo, inauguratus fuerat Pseudo-Pontifex a quibusdam factiosis sub nomine Anacleti II., et Innocentium legitimum Pontificem Roma armis expulerat. Hoc tamen Pseudo-Pontifice vita functo, et a schismaticis in ejus locum alio suffecto, hic, depositis Pontificalibus vestibus, Innocentio obedientiam praestitit, et subinde Concilium magis firmavit. 2.° ut damnarentur errores tum Petri De Bruis, quod baptisma scilicet nihil parvulis prodest, quod Templa, et Cruces destrui debeant, quod Eucharistia non continet vere, et realiter Christi Corpus, quod animae defunctorum nec sacrificiis, nec precibus juventur; tum Arnaldi De Brixia, qui eosdem fere errores disseminans, addiderat quoque, nec Clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec Monachos possessiones habentes, aliqua ratione posse salvari. 3.° ut disciplina Ecclesiastica diuturno schismate collapsa restauraretur. Quibus omnibus Concilium 30. canones opposuit.

De Concilio Lateranensi. III.

Sequitur Lateranense III., hoc quoque nomine appellatum, quia Romae habitum in Basilica Lateranensi an. 1179. sub Alexandro III. Pont. Max., et Imperante, in Germania Friderico I.. Adfuerunt Concilio 300. Episcopi, quibus et praefuit Pontifex; et causa illud cogendi fuit 1.°, quia post Adriani IV. mortem an. 1159. ad Pontificatus solium Alexandro III. legitime evecto a 23. Cardinalibus, Octavianus Romanus, licet a tribus tantum Cardinalibus electus, Pontificatus insignia assumere ausus fuerat sub nomine Victoris IV.; eoque mortuo, ambo alii successive electi fuerant, ac nomen sibi indiderant Paschalis III. et Callisti III.. Hoc tamen vita functo, Fridericus, cum viginti circiter annis schisma fovisset, ejurato schismate, supplex ab Alexandro veniam petiit; quam cum Alexander concederet, totius Orbis Episcopos ad tertium Later. Conc. convocavit; utque in posterum vitarentur schismata, sancitum fuit, ut Summus Pontifex non esset, nisi qui a duabus partibus Cardinalium eligeretur. 2.° impietas Valdensium, et Albigensium, quorum primi ita dicti a Petro Valdo, ac dicti etiam

Pauperes De Lugduno a loco, ex quo eruperant, Donatistarum excitaverant errores circa validitatem Sacramentorum, et Ecclesiam Romanam, quam a Silvestri tempore defecisse, asserebant, ob temporales possessiones, quibus frui coepit: Albigenses vero, dicti etiam *Cathari*, quod se prae caeteris puros gloriarentur, et *Bulgari*, quia in his regionibus praesertim versabantur, Manichaeorum errores renovantes, quos proinde Bossuetius *l.* 11. *Variat.* veros Manichaeos appellat, Ecclesiam scandalis impleverant. Utrisque idcirco a PP. proscriptis, declarata magis fuit fidei doctrina; editique insuper fuere contra usuram, simoniam, et Clericorum incontinentiam, nec non circa ordinem judiciorum Ecclesiasticorum Canones sapientissimi.

De Concilio Lateranensi. IV.

Sequitur Lateranense IV., ita etiam dictum a Basilica Lateranensi, in qua Romae an. 1215 fuit celebratum sub Innoc. III. Pont. Max., qui et Concilio praefuit. Adfuerunt 412 Episcopi, ac praeterea secundi generis Praelati plusquam 800., et omnium Principium Christianorum Legati, unde etiam appellatum fuit Magnum Lateranense Concilium. In eo rursus damnati fuerunt haeretici Albigenses, editumque *C. Firmiter de Summa Trinitate* contra eorum praecipuum errorem de duobus rerum principiis; fuitque juxta fidem Catholicam declaratum, *unum solum esse verum Deum. Creatorem omnium, invisibilium, et visibilium, spiritualium, et corporalium.* Proscripti item fuere cujusdam Almarici errores, quos inter, quod non aliter est Corpus Christi in Eucharistia, quam in alia qualibet re: ac demum error Joakim Abbatis Florensis Monasterii in Calabria, salva tamen ejus persona, ob pertinaciae defectum, quod Divinae Trinitatis personae unum sunt, non unitate essentiae, sed unitate affectiva, et morali; quod ex illis Christi verbis Jo. 17. inferre arbitrabatur: *Rogo, Pater, ut unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te.* Decreta item fuit expeditio in Terram Sanctam; et Cruce signatis indulgentiae, ac varia privilegia concessa fuere. Tandem varii canones circa disciplinam fuerunt editi; quos inter *C. Omnis utriusque sexus etc.* de Confessione, et Communione Paschali. Quae omnia causam illud convocandi dederant.

De Concilio Lugdunensi I.

Sequitur Lugdunense I., quod Lugduni in Galliis coactum fuit ab Innoc. IV. an. 1245., imperante in Germania Friderico II., et in Galliis regnante D. Ludovico IX. Praefuit Concilio ipse Pontifex, eique adfuerunt Episcopi centum circiter, et quadraginta, ac praeterea Cardinales plurimi, et Patriarchae Constantinop., Antioch., et Aquilejensis, etiamque Orientis Imperator Balduinus. Causam vero illi dederunt crimina, et hostilia in Ecclesiam acta Friderici Imperatoris, in quem proinde Concilium animadvertit: item schisma Ecclesiae Graecae, quod in dies augebatur, nec non varii clericalis status excessus, quibus providendis varii editi fuerunt canones: ac demum clades Jerosolymitana a Saracenis illata, et Tartarorum in Christianorum Terras irruptio; quare et Constitutiones editae fuerunt de expeditione in Terram Sanctam, hujusque expeditionis Dux D. Ludovicus Galliae Rex designatus fuit. In hoc quoque Concilio dicitur ab Innoc. IV. facultas Cardinalibus concessa utendi pileo rubro, in signum constantiae pro fidei defensione.

De Concilio Lugdunensi II.

Sequitur Lugdunense II., quod ibidem coactum fuit an. 1274., Romae sedente Greg. X., et in Occidente imperante Rodulpho; eique ipse Summus Pont. praefuit, atque adfuerunt Cardinales quindecim, Patriarcha Antiochenus, et Constantinopolitanus, Episcopi plusquam quingenti, ac mille, et amplius Praelati inferiores, nec non Jacobus Rex Aragoniae, ac Oratores Michaelis Paleologi Graecorum Imperatoris, et aliorum Regum. Ad illud quoque vocati fuerunt D. Thomas Aquinates, qui in itinere obiit, et D. Bonav., qui Episcopus Albanensis, et Cardinalis in ipso Concilio creatus, inter 4., et 5. sessionem diem clausit extremum. Ejus vero causa fuit praecipue Graecorum cum Latinis unio; quae feliciter peracta fuit post professionem a Graecis factam fidei Catholicae, ac signanter processionis Spiritus Sancti a Patre, et Filio, poenarum Purgatorii, et Primatus Romani Pontificis de jure Divino: cumque ab hoc solemniter celebrata fuerit Missa, Symbolum graece, et latine decantatum fuit; illaque verba *qui ex Patre, Filioque procedit* ter a Graecis repetita fuere.

De Concilio Viennensi.

Sequitur Viennense, quod Viennae in Gallia coactum fuit an. 1311. sub Clemente V. Pont. Max., qui et Concilio praefuit, et Henrico VII. in Occidente imperante. Adfuerunt Cardinales plurimi, Patriarcha Alexandrinus, et Antiochenus, trecenti circiter Episcopi, ingens Praelatorum inferiorum numerus, ac Philippus Pulcher Rex Galliae cum tribus suis filiis, Eduardus II. Rex Angliae, et Jacobus II. Rex Aragoniae. Illud vero convocandi causa fuit 1.° ut extingueretur Ordo Templariorum ob nefanda crimina, de quibus accusabatur: sicut reapse, audita duorum ferme millium adversus eos testium depositione, a Clem. V., sacro approbante Concilio, extinctus fuit, traditis eorum bonis Equitibus S. Joannis Hierosolymitani. 2.° ut damnarentur Beguardi, et Beguinae, docentes prae aliis erroribus, necessarium animae non esse lumen gloriae ad Deum intuitive videndum; nec non errores Petri Joannis Olivi Minoritae, quos inter, duplicem esse, ajebat, Ecclesiam, carnalem unam, ac divitem, cui praeerat Summus Pontifex; spiritualem alteram, et pauperem quam constituebant, qui strictiorem Fratrum Minorum paupertatem profitebantur. Demum Fraticellorum, et Dulcinistarum, qui ferme idem cum Petro Olivi docebant: quique omnes fuerunt proscripti. 3.° ob morum reformationem. 4.° ob subsidium Terrae Sanctae ferendum. Ac demum dissidium, quod inter Bonifacium VIII., et Philippum Pulchrum exarserat, feliciter sublatum fuit.

De Concilio Constantiensi.

Sequitur Constantiense, Constantiae, quae Germaniae Urbs est prope Helvetios, incoeptum an. 1414., et conclusum post annos quatuor, et sex menses an. 1418. Coactum autem fuit 1.° ad abolendum schisma, cui causam dederat translatio Sedis Apostolicae in Gallias facta a Clem. V., ubi ejus Successores amplius 70. annis manserant: cum enim Gregorius XI., relictis Galliis, Romam repetiisset, mortuo Greg., populus Romanus Cardinales Conclave ingressos adiit, petiitque, ne Gallum in Pontificem eligerent. Creatus proinde fuit in Pontificem Archiepiscopus Barensis, qui Urbani VI. nomen assumpsit: sed hujus postea severitatem cum Cardinales ferre non possent,

Digitized by Google

Anagniam primum, deinde Fundos secessere; ubi causantes vim sibi illatam in electione Urbani, hanc nullam, et irritam declararunt, aliumque Pontificem sub nomine Clem. VII. communibus suffragiis, uno tantum excepto, elegerunt, qui simul cum illis in Galliam secessit, et Avenione Pontificatus Sedem collocavit: quo mortuo, suffectus illi fuit Petrus De Luna sub nomine Bened. XIII.; cum interim, Urbano VI. vita functo, suffectus Romae fuisset a 14. Cardinalibus illius obedientiae Bonifacius IX., huic Innoc. VII., ac demum huic Greg. XII. . Indictum autem fuerat tam dolendo schismati abolendo aliud quoque Concilium Pisis au. 1409., cui adfuerunt 22. Cardinales, 4. Patriarchae, 24. Archiepiscopi, ac 300. Episcopi, quorum alii per seipsos, alii per suos Procuratores; itemque inferiores Praelati quamplures, nec non celebriorum Universitatum Legati, multorumque Regum Oratores; sed frustra: cum enim Greg. XII., et Bened. XIII. de Pontificatu contendentes nec voluissent Concilio interesse, nec Pontificatu se abdicare, suffectus illis fuit Petrus Philargi ex Ordine Minorum, Archiepiscopus tunc Mediolanensis, et Cardinalis, qui Alexandri V. nomen assumpsit, quin tamen schisma desiisset, quod immo auctum visum fuit, quia cum nec Gregorius, nec Benedictus electioni a Synodo factae se submiserint, non amplius duo, sed tres nomine Pontifices apparuerunt in Ecclesia; donec Concilium, de quo agimus, finem schismati imposuit. Hoc nempe coacto a Joanne XXIII., qui Alexandro V. successerat, primum ipse Joannes praefuit Concilio, ad quod convenerunt plerique Cardinales, quatuor Patriarchae, trecenti circiter Episcopi, inferiores Praelati fere sexcenti, atque Imperator Sigismundus cum plerisque Germanis Principibus; cum vero Joannes post secundam sessionem discessisset, modo unus, modo alter ex Cardinalibus: donec, lata in ipsum Joannem depositionis sententia, quam caeterum idem Joannes postea ratam habuit, et scripto confirmavit, et facta a Greg. XII. Pontificatus abdicatione, lata etiam fuit in Bened. XIII., tamquam in contumacem, et schismatis fautorem, depositionis sententia, fuitque in legitimum Pontificem electus Otho Columna Cardinalis Diaconus, qui assumpsit nomen Martini V.; ac postremis Concilii sessionibus praefuit, ipsumque confirmavit; declarans tamen, ut diximus c. ant., *omnia, et singula determinata, conclusa, et decreta in materiis*

idei per praesens Concilium conciliariter approbare, et ratificare, et non aliter, nec alio modo: prout supra fusius declaravimus.

Causam quoque hujus Concilii convocationi dederunt errores Wicleti, Joannis Hus, et Hieronymi Pragensis; quorum primus natione Anglus, et Parochialis Ecclesiae Lincolniensis Rector, adeo contra Ecclesiam, et Sacramenta blasphemaverat, ut ejus errores usque ad octingentos numeraverit Thomas Valdensis. Prae aliis autem docuerat, omnia fatali necessitate evenire; Ecclesiam ex solis praedestinatis constare; nullum in peccato mortali constitutum esse Dominum aut civilem, aut Praelatum, aut Episcopum; bonorum temporalium possessionem esse Ecclesiasticis illicitam, etc. Joannes Hus vero, Presbyter Bohemus, et Wiclefi errores propugnabat, et alia illis addiderat: quae omnia demum Hieronymus Pragensis, vir laicus, sed Magister artium, et facundia praeditus, et adoptaverat, et ardenter disseminabat. Damnatis porro a Concilio cunctis eorum erroribus, tam Joannes Hus, quam Hieronymus Pragensis igne per saecularem potestatem periere: primus nempe, quia cum promisisset, se emendaturum, si quid in se erroris esse probaretur, in errore postmodum pertinax fuit; cumque esset sacris interdictus, in contemptum potestatis Ecclesiasticae saepius celebrare ausus fuerat: alter vero, quia cum errores Joannis Hus in Concilio damnasset, eum deinde in Concilii contemptum, velut Sanctissimum Martyrem, praedicabat. Demum in hoc Concilio probata fuit communio sub una tantum specie, ac praecepta non celebrantibus, contra Bohemos, et Hussitas.

De Concilio Basileensi.

Sequitur Basileense a Martino V. primum Papiam vocatum, tum Senis coeptum, ac septennio post ab ipso Concilio Basileae indictum. Praesidem habuit loco Martini Cardinalem Julianum; quem et, Martino mortuo, habuit loco Eugenii IV. Coactum autem fuit, quia in Concilio Constant. sess. 39. solemni Decreto *Frequens*, quod rursus confirmavit Conc. sess. 44., statutum fuerat, quinquennio post illius absolutionem aliud Oecumenicum celebrandum esse, et post illud, finito septennio, alterum, ac sic perpetuo deinceps de decennio in decennium.

Nec deerant causae; unio scilicet tam Bohemorum, inter quos adhuc vigebant impia Wicleti, et Joannis Hus dogmata, quam Graecorum, qui rursus a Latinis discesserant, unio cum Ecclesia Catholica; item pax inter Christianos Principes, qui mutuis bellis Christianam Rempublicam vexabant; ac denum non pauca quoad disciplinam statuenda, quae in Conc. Const. tentata quidem fuerant, sed non ad exitum perducta. Hinc initio fuisse legitimum, dubitari nequit: sed cum inde auserit deponere Eugenium, quia Concilium dissolvebat, et Bononiam post annum cum dimidio celebrandum transtulerat, tamquam locum Graecis commodiorem, atque ab iis electum; auseritque etiam Amedaeum Sabaudiae Ducem sub nomine Felicis V. in Pontificem eligere: hisce de causis, nequit quoque in dubium vocari, quod deinde fuerit Conciliabulum schismaticum, et seditiosum, quemadmodum appellatum fuit in Conc. Lateran. ultimo sess. 11. . Immo Bellarminus l. 1. De Conc. c. 7. addit, *hujus Concilii nihil esse ratum, et probatum, nisi quasdam dispositiones circa Beneficia Ecclesiastica, quae a Concilio factae fuerant; quas pacis, et unitatis gratia Nicolaus V. approbavit*: statim namque post primam sessionem Eugenius Basileensem Synodum dissolvit, Bononiam transtulit, ac commissam Card. Juliano praesidendi facultatem revocavit. Nec Constitutione *Dudum Sacrum*, quam postea, ac neque etiam libere, ut advertit Card. Turrecremata *in Summa De Eccl. l. 2. c. 10.*, signavit Eugenius, ullam illi legitimitatem tribuit; aliud namque, ait in Conc. Florentino, se non approbasse, nisi tantum *Concilii progressum*; idque etiam cum expressa clausula *absque praejudicio juris, dignitatis, ac praeeminentiae Sedis Apostolicae, ac potestatis sibi, et in eadem canonice sedentibus concessae.* Cui accedit, quod in praefata Constitutione duas quoque conditiones apposuerat Eugenius, sub quibus Concilii progressum approbare ajebat; quod nempe legati ab Eo deputati *ad Concilii praesentiam cum effectu admitterentur*, quodque „ *ut omnia, et singula contra Auctoritatem nostram facta prius omnino tollantur.* Quae ambo cum PP. Basileenses minime impleverint, neque enim in sess. 18., in qua rursus debacchari coeperunt adversus dignitatem Sedis Apostolicae, hujus Legatos admiserunt, nisi omni jurisdictione coactiva exutos, quare, ut laud. Card. Turrecremata testatur, nedum praefa-

tae sessioni Legati *non consenserunt*; *quin immo contradixerunt*, *et protestati sunt*; nec umquam sublata fuerunt e Concilii Actis, quae Eugenius jusserat: hinc Concilii dissolutio ab eo facta, firma perstitit; nec ullatenus Concilium per praefatam Constitutionem *Dudum Sacrum* aliquod robur acquisivit. Non omittendum tandem, quod tam Card. Arelatensis, qui primas in hoc Concilio tenuerat, quam Amedaeus, Felix V. appellatus, et caeteri PP. Basileenses Nicolao V. Eugenii successori se humiliter subjecerunt.

De Concilio Florentino.

Sequitur Florentinum, coeptum Ferrariae post dissolutionem Basileensis an. 1438., sed post sexdecim sessiones Florentiam ob luem Ferrariam vastantem translatum, ibique post novem alias sessiones absolutum. Adfuere Eugenius IV. Summus Pontifex, qui illi praefuit; Patriarcha Constantinopolitanus, nec non Alexandrini, Antiocheni, et Jerosolymitani Patriarcharum Vicarii; Graeci, Latinique Episcopi perplures, ac Paleologus Graecorum Imperator. In eo autem peracta fuit unio inter Ecclesiam Graecam, et Latinam, postquam Decreto Eugenii, cujus initium, *Laetentur Coeli*, Sacro approbante Concilio, tam latine, quam graece promulgato, Cardinales, et Ecclesiae utriusque Episcopi, et Abbates, uno excepto Marco Episcopo Ephesino, qui pertinax in schismate fuit, subscripsere. In illo autem Ecclesiae Catholicae doctrina declarata fuit super processione Spiritus Sancti *ex Patre*, *et Filio aeternaliter*, *tamquam ab uno principio*, *et unica spiratione*; super additione particulae *Filioque* licite., ac rationabiliter Symbolo factae, veritatis declarandae gratia; super veraci Corporis Christi confectione sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo, juxta utriusque sive Occidentalis, sive Orientalis Ecclesiae consuetudinem, quam Sacerdotes sequi debeant juxta uniuscujusque ritum; super Purgatorii poenis, ac suffragiorum pro animabus ibi detentis utilitate; super consecutione statim post hanc mortalem vitam intuitivae Dei visionis ab animabus plene purgatis decedentibus, magis, vel minus perfectius juxta meritorum diversitatem; ac demum super Primatu, ac plena Romani Pontificis potestate in universalem Ecclesiam. Post discessum vero Graecorum

unio etiam peracta fuit cum Armenis per aliud ipsius Eugenii Decretum, cujus initium, *Exultate Deo adjutori nostro*, quodque ait tradere, *Sacro approbante Oecumenico Concilio Florentino*; quo instructi fuere de fide orthodoxa, quam Romana sequitur Ecclesia, et quam acceptare, suscipere, et amplecti nomine suo, et sui Patriarchae, totiusque suae Ecclesiae professi sunt Armenorum Oratores. Item unio cum Jacobitis, et Æthiopibus, qui iisdem erroribus erant implicití; nec non cum Syris, cumque Chaldaeis, et Maronitis, per alia totidem Decreta ipsius Eugenii, ac, Sacro approbante Concilio, edita, quorum initia: *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit*: Et: *Multa, et admirabilia diebus nostris*: Et: *Benedictus Deus*, errorum prius, quibus implicabantur, ejuratione, et professione fidei Catholicae ab iis postulata, et facta. Haec igitur Florentini Concilii Acta: quod Oecumenicum fuisse, nemini demum dubitare fas est, tum quia speciali Constitutione hanc in rem unice edita quinto Idus April. an. 1438. expresse id decrevit, et declaravit Eugenius IV., *sicque ab omnibus reputari debere*; tum quia in omnibus Conc. Generalium collectionibus, ut in Romana, Regia, Coloniensi, Binii, Labbe, Harduini, etc., Oecumenicum simpliciter inscribitur, et appellatur; tum quia, ut disserit Natalis Alex. hist. Eccl. t. 8. Diss. 10. art. 1., *cur Florentina Synodus Oecumenica, et legitima non censeretur, cum ipsi conveniant characteres omnes, quibus legitimam, seu bene gestam Synodum Gelasius I. delineat, etc.?*

De Concilio Lateranensi. V.

Sequitur Lateranense V. a Julio II. habitum an. 1512., imperante in Germania Maximiliano. Ejus causa fuit potissime imminentis schismatis periculum; cum enim Julius juramento promisisset aliud Generale Concilium intra biennium a creatione sua indicere, ac nisi id faceret, ex tunc concessisset facultatem, et potestatem duabus partibus Sacri Collegii illud congregandi: hoc proinde a Julio justis de causis intra statutum tempus non convocato, occasionem inde acceperunt novem Cardinales, Maximiliani Imperatoris, et Ludovici XII. auctoritate freti, illud ausu temerario Pisis, repugnante Julio, cogendi: ex quo Julius metuens, ne aliquod schisma in Ecclesia oriretur, illud

Romae statim eodem anno indixit in Basilica Lateranensi. Adfuerunt autem Cardinales 18., Patriarcha Alexandrinus, et Antiochenus, centum, et quatuordecim Episcopi ex variis Orbis Christiani Provinciis, Prelati inferiores quamplures, ac demum multorum Principum Oratores; quibus omnibus praefuit primum ipse Julius; quo postea lethaliter decumbente, praefuit Cardinalis Episcopus Ostiensis, ac demum Leo. X., qui Julio successit. Initium vero dedit Concilio post lectionem Diplomatis, quo indictum fuerat, rescissio omnium Actuum Pseudo - Synodi Pisanae: quo facto, quoniam Concilium coactum quoque fuerat ad Ecclesiae reformationem, Christianorum Principum pacem, et expeditionem contra Turcas promovendam, super his etiam allaboratum fuit: et praecise quoad disciplinam editi fuerunt canones super electione Rom. Pontificis, super onere recitandi Divinum Officium, quod inest Beneficiatis, super montibus pietatis, super librorum impressione, et contra insectatores Cardinalium, eorumque domos, vel bona diripientes. Item definitum fuit, Romanum Pontificem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, eorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere; Concilium Basileense vocatum fuit Conciliabulum; et Pragmatica sanctio in eo confirmata, Constitutio scilicet Rege Christianissimo Carolo VII. praesente edita in Congregatione Ecclesiae Gallicanae apud Bituriges an. 1438., cujus 1. titulus erat, quod *priora Concilii Basilecnsis Decreta sessionibus* 2. 3. 12. 16., *et* 18. *de Concilii Generalis auctoritate lata, acceptentur*, abrogata fuit. Hinc illius tituli nullatenus deinde meminit Concordatum; quod loco Pragmaticae Sanctionis initum fuit Bononiae an. 1516. inter Leonem X., et Franciscum I. Galliarum Regem. Demum Cardinales Julio II. contumaces, qui Pisanam Synodum coegerant, solemniter, uti illegitimam, eam detestati sunt, et pristinae dignitati, qua a Julio exuti fuerant, restituti. Haec igitur praecipua hujus Concilii Acta; de cujus Oecumenicitate ita Bellarm. scribit l. 2. De Conc. auct. c. 17. *Concilium Lateranense non fuisse Generale, vix dici potest*: ex toto enim Orbe Catholico vocatis Episcopis, nemine excluso, illi praefuit Julius II., ac deinde Leo X.; adfueruntque praeter 18. Cardinales, duo etiam Patriarchae Orientales, 114. Episcopi, aliique Praelati inferiores perplures; ac demum, si prius Galli illi contradixerunt, deinde tamen

sess. 9. quinque illius Nationis Episcopi a Rege Christianissimo ad Concilium missi publico Instrumento declararunt, *se tam nomine suo, quam aliorum Reverendorum Patrum Archiepiscoporum, Episcoporum, et omnium, et singulorum cujuscumque status, gradus, et dignitatis existentium, qui in Congregatione Pisana interfuerunt, renuntiare Congregationi Pisanae jam dissolutae, et adhaerere Concilio Lateranensi.*

De Concilio Tridentino.

Ultimum ex Oecumenicis hactenus celebratis fuit Tridentinum, a Paulo III. primum Mantuae indictum, deinde Vincentiae, ac postremo Tridenti, quod est Urbs Germaniae contermina, incoeptum sub eodem Paulo III. die 13. Decemb. an. 1545., continuatum sub Julio III.; ac tandem absolutum sub Pio IV. die 4. Decemb. 1563. Ad illud Paulus III., ut ipse testatur in Convocationis Diplomate, vocavit *omnes ex omnibus locis, tam Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, et Abbates, quam alios quoscumque, quibus jure, aut privilegiis in Conciliis Generalibus residendi, et sententias in eis dicendi permissa potestas est*; ac tres potissimum convocationis Concilii caussas expressit; 1.° scilicet fidem vindicandam adversus Lutheri, Zuinglii, aliorumque haereticorum, qui tunc grassabantur, errores. 2.° firmandam pacem, et concordiam inter Principes Christianos. 3.° restituendam Ecclesiae disciplinam, quam haereses, et bella plurimum labefactaverant. Convenerunt vero praeter Cardinales, tres Patriarchae, viginti quinque Archiepiscopi, centum sexaginta octo Episcopi, triginta novem Procuratores Praelatorum absentium, septem Abbates, et totidem Religiosorum Ordinum Generales: quibus semper praefuit Summus Pontifex pro tempore existens per suos legatos, quorum nomina quibuscumque Concilii Actis, et Instrumentis praefixa sunt. Equidem prioribus Concilii sessionibus pauci adfuerunt Episcopi; nihil tamen id obstat, cum postremis sessionibus ingens adfuerit Episcoporum numerus, qui suo judicio priores sessiones comprobarunt, ut constat ex verbis, quae in ultima Concilii sessione leguntur: *Quoniam diversis temporibus, tam sub fel. rec. Paulo III., quam Julio III. multa in hoc Sacro Concilio quoad dogmata, ac morum reformationem statuta, et definita sunt, vult*

et legantur :
Sancta Synodus, ut illa nunc recitentur, quo facto, subsequens accessit omnium Episcoporum judi- cium, et approbatio prioribus sessionibus; ac dein abso- luto Concilio, omnia in eo definita, et peracta Pius IV. Pontifex Max. confirmavit Diplomate dato septimo Kalen- das Febr. an. 1564., cujus initium: *Benedictus Deus.* Habitae autem in eo sessiones fuerunt viginti quinque; in quibus viginti sex supra centum canones conditi fuerunt, ac tot, tantaque declarata, ac definita habentur, ut recte scripserit Habertus in Theol. Proleg. §. 12., quod *in hoc Concilio tanta est copia dogmatum definitorum, tanta scientiae Ecclesiasticae eruditio, tanta moderatio in di- sceptationibus Scholasticis a dogmatibus fidei secernen- dis, tantum denique restauratae disciplinae lumen, ut ipsa legere necesse sit Concilii Decreta, e quibus, velut e quodam veritatis, sanctitatisque fonte, doctrina pura, sinceraque pietas hauritur.* Hinc statim per totum Ca- tholicum Orbem solemniter receptum, summisque laudi- bus celebratum fuit; ac solum haeretici, ne haberentur, tamquam legitime, atque irreformabili judicio proscripti, ni- hil intentatum reliquerunt, omnesque exhauserunt vires, ut illius auctoritatem labefactarent; nec nisi ab illis ejus oecumenicitas, atque infallibilis auctoritas in iis, quae ad fidem, vel mores spectant, negatur. Adeo tamen vana, et nullius momenti sunt, quae ab Haereticis adversus il- lud objiciuntur, ut ex iis, quae supra ostensa sunt, fa- cili negotio ab omnibus dilui possint, immo abunde con- futata, ac soluta maneant.

TRACTATUS V.

DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

Quamvis Romani Pontificis auctoritate sublata, Concilia quaecumque vacillare necesse sit, immo ruere, dum e converso Romanus Pontifex etiam sine Conciliis suam ex se habeat auctoritatem; unde consequens videretur, quod prius de Rom. Pontificis auctoritate, quam de auctoritate Conciliorum fuisset sermo instituendus: quia tamen ita comparati sumus, ut a notioribus ad ea, quae sunt minus nota, proficiscamur; Conciliorumque auctoritas notior plerisque est, quam auctoritas Rom. Pontificis, prius idcirco de illorum, quam de hujus auctoritate agendum existimavimus. Porro quam magni momenti sit hujus loci tractatus, ex ipsis haereticorum conatibus, ut Rom. Pontificis radicitus convellerent auctoritatem, quisque potest colligere; cum enim Rom. Pontifex ille sit, cui in persona Petri dictum fuit a Christo: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* 16.); itemque: *Pasce agnos meos; pasce oves meas* (*Jo.* 21.); cumque idcirco, quemadmodum concusso fundamento, aedificium ruere, percussoque Pastore, oves dispergi necesse est, ita Rom. Pontificis auctoritate concussa, totum quoque necesse est Ecclesiae aedificium pessum ire, eodemque percusso, totum Christi ovile dissipari: hinc, quia ambo haec semper fuere, in quae haeretici omnes incubuerunt, totis proinde viribus conati semper sunt, et conantur ex animis omnium evellere supremam Rom. Pontificis auctoritatem, quod nempe ipse in persona D. Petri constitutus a Christo fuerit Ecclesiae Caput, et Rector; quodque eidem omnes in rebus fidei, et morum parere teneantur, ejusque judiciis prono animo obsequi, et adquiescere.

Praecise vero ejus Primatum negare ausus fuit Photius saec. VIII., nemini inter coaevos in eruditione secundus, at simul ambitionis spiritu usque ad phrenesim actus: cum enim, ut diximus in tract. De Conciliis, impios ejus conatus, ut Sedem Constantinopolitanam, per vim ex ea dejecto S. Ignatio ejus legitimo Patriarcha, invaderet, Romanus Pontifex, ut par erat, compescuisset, in ejus auctoritatem debacchari coepit, ejusque in totam Ec-

clesiam Primatum infectari, ac de medio tollere praesumpsit. Graecis autem pro avita eorum levitate in eumdem errorem facile accitis, licet postmodum, ac praecipue in Lugdunensi, et Florentino Concilio illum ejurare visi fuerint, ad eumdem denuo, Marci Ephesini praesertim opera, rediere, nec nisi pauci respectu errantium ex iis sunt, qui Rom. Pontificem, tamquam totius Ecclesiae Caput, venerantur, eique obediunt. Graecos vero secuti deinde sunt Wiclefus, Lutherus, Calvinus, eorumque sequaces: quibus demum accessere omnium callidissimi Jansenistae, verbo tenus fatentes Rom. Pontificis Primatum, sed et illum revera e medio tollentes, cum non sit juxta eos, nisi tantum honoris, et vi cujus Rom. Pontifex *primus est inter pares.*

His praemissis, de ejus nos auctoritate sermonem facturi, totum hunc tractatum quinque capitibus absolvemus; in quorum 1.°, D. Petrum constitutum a Christo fuisse totius Ecclesiae Primatem non solum quoad honorem, sed etiam quoad jurisdictionem; in 2.°, eumdem in fide errare non potuisse; 3.°, aliquem adesse debere in Ecclesia, et quidem jure Divino, qui in utroque privilegio D. Petro succedat; in 4.°, hunc D. Petri Successorem esse Romanum Pontificem; cujus demum Primatum honoris, ac jurisdictionis, atque in fide indefectibilitatem, dum ex cathedra definiat, 5.° loco demonstrabimus. Sit igitur.

CAPUT I.

De Primatu D. Petri ex Christi institutione tum honoris, tum jurisdictionis in totam Ecclesiam.

Prop. D. Petrus constitutus a Christo fuit totius Ecclesiae Primas non solum quoad honorem, sed etiam quoad jurisdictionem. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex illis Christi verbis ap. Matth. 16. *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Coelis est. Et Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves Regni Coelorum; et quodcumque ligaveris super Terram, erit ligatum et in Coelis; et quodcumque solveris super Terram, erit solutum et in Coelis.* Quod enim haec verba dicta fuerint soli Petro, patet 1.° ex quod et suo, et ejus patris no-

mine eum indicavit, ac distinxit: *Beatus es, Simon Bar-Iona.* 2.° ex eo quod solus Petrus ejus Divinitatem confessus fuerat. 3.° ex contextu, qui totus nonnisi Petrum alloquitur. Iis porro constitutus a Christo fuit totius Ecclesiae fundamentum, nam 1.° ita litteraliter praeseferunt ipsa verba. 2.° ita confirmant clariores PP., quorum meminit Canus *l.* 5. *De Loc. c.* 3. *prop.* 1., itemque Bellarm. Natalis Alex., ac plerique alii, qui omnes illa verba *super hanc petram* in haec vertunt: *Super te, o Petre.* Quod *si alii* (ait Nat. Alex.) *haec verba*, Et super hanc petram, *exposuerunt de fide, quam Petrus confessus est, alii de Christo ipso, plerique omnes de ipso Petro, una interpretatio alteram non excludit, et loquutionum dumtaxat diversitas est, non sententiarum. Super Christum fundata est Ecclesia, lapidem angularem, fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere; et nihilominus super Petrum a Christo fundata propter illius fidem* (*In c.* 16. *Matth. n.* 10.). 3.° ita ostendit versio Syriaca sic habens: *Tu es Cephas, et super hoc Cephas aedificabo Ecclesiam meam.* 4.° demum ita sigillat ipsa ratio, quis enim animadvertens, ut alibi etiam diximus, ad pronomen *hanc*, statim non intelligit, de illa Petra Christum loqui, de qua immediate antea locutus fuerat? Sive, ut idem diversimode promamus, cum Christus prius dixerit: *Tu es Cephas*, idest petra ingens, seu rupis magno ferendo aedificio idonea, et e vestigio addiderit: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, nonne aperte significavit, hanc petram, super quam esset Ecclesia aedificanda, ipsum Petrum esse? Cum igitur praefatis verbis constitutus a Christo fuerit totius Ecclesiae fundamentum, ejus simul constitutus fuit Primas quoad honorem, et quoad jurisdictionem, idem enim significat secundum metaphoram domus fundamentum, quod, servata corporis analogia, Caput; idemque caput, quod Primas quoad honorem, et quoad jurisdictionem, ut patet ex c. 6. Amos, ubi populi Rectores Capita dicuntur, et ex 1. Reg. 15., ubi Saul, quoniam Rex erat, Caput populi dicitur. Quod caeterum magis, magisque confirmat potestas clavium, illi subsequentibus verbis collata, an non enim cui traduntur Civitatis claves, idem quoque instituitur, vel declaratur Rex, aut certe Gubernator Civitatis? Sicut etiam ligandi, ac solvendi potestas absolute, et indiscrete eidem collata verbis immediate sequentibus, ut ex se patet.

Google

2.° Ex illis Christi verbis ap. Jo. c. ult. *Simon Ioannis, diligis me plus his? Pasce agnos meos. Simon Joannis, diligis me plus his? Pasce oves meas* (Hic in graeco legitur *oviculas*). *Simon Ioannis, diligis me plus his? Pasce oves meas.* Quod enim haec verba dicta et fuerint soli Petro, patet 1.° ex eo quod et suo, et ejus Patris nomine eum indicavit quoque, ac distinxit. 2.° ex interrogatione ei facta, an ipsum plus caeteris diligeret. 3.° ex mortis genere, quod passurus fuisset, quodque ei praedixit immediate postea: *Amen, amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te, et ambulabas, ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet, quo tu non vis* (*ibid.*). Quibus proinde verbis, quod D. Petrus constitutus a Christo fuerit totius Ecclesiae Pastor, evidens est. In quae idcirco, *qui non distinxit* (inquit D. Bernardus De Consid. c. 6.) *inter has oves, et illas, alienam a suo demonstravit ovili, quae Petrum Pastorem non recognosceret.* Et c. 8. *Cui Apostolorum sic absolute, et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certe Regni? Oves meas, inquit.* Atque in eadem praeclare etiam D. Eucherius Lugdun. *Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorem Pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et Matres; regit et subditos, et Praelatos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos, et oves in Ecclesia nihil est* (*hom. in Nat. Apost.*). Jam vero quod pro munere Pastorali jus, et potestas intelligi debeat regendi, gubernandi, praecipiendi, ac leges ferendi, aperte constat 1.° ex Scripturis tam veteris, quam novi Testamenti. Ita sane intelligitur l. 2. Reg. c. 5., ubi Deus ad David: *Tu pasces* (ait) *populum meum Israel, et tu eris dux super Israel.* Ita quoque Ezech. 34. Ita tandem aliis in locis veteris Testamenti. In novo etiam ita quoque intelligi, manifestum ex eo fit, quod ipse Christus in 1. Petri ep. c. 2. dicitur *Pastor, et Episcopus animarum nostrarum*, et rursus *Princeps Pastorum* appellatur. Item D. Paulus *Pastorem magnum ovium* in sua ad heb. ep. c. 13. ipsum Christum appellat: idemque Christus demum *Pastorem* non semel se vocat in Evangelio. 2.° ex ipsa Pastoris significatione; Pastoris enim est non solum pa-

bula gregi praebere, verum etiam ducere, reducere, tueri, baculo coercere, et castigare oves. Cum igitur Petrus constitutus a Christo fuerit totius Ecclesiae Pastor, hoc ipso constitutum a Christo fuisse totius Ecclesiae Primatem, nec solum quoad honorem, sed etiam quoad jurisdictionem in omnes fideles, Laicos, Clericos, et Episcopos, consequens est.

3.º Ex Matth. 10., ubi D. Petrus expresse dicitur Apostolorum primus: *Primus Simon, qui dicitur Petrus*; ubi tò *primus* dignitatem exprimere, non numerationem, ex eo patet, quia non sequitur *secundus, tertius etc.*. Nec non ex illis Scripturae textibus, in quibus licet expresse non dicatur D. Petrus primus Apostolorum, primus tamen, licet post Andream a Christo vocatus, numeratur inter Apostolos; ut nedum Matth. 10., sed et Marci 3., Lucae 6., et Actuum 1.: primus post acceptum in die Pentecostes Spiritum Sanctum Christum Jerosolymis praedicat; ut Actuum 2.: primus in Concilio ab Apostolis habito super observatione, vel cessatione legalium sententiam profert; ut Actuum 15.: primus demum ubique habitus, ipse legitur, ut advertit Bossuetius, *il primo a confessare la fede; il primo nella obbligazione di praticare l'amore; il primo di tutti gli Apostoli, che vide il Salvatore risuscitato da morte, nella guisa stessa, che poi ne fu il primo testimonio innanzi a tutto il popolo; il primo quando fu di mestieri di compiere il numero degli Apostoli; il primo, che confermò la fede con un miracolo; il primo a convertire gli Ebrei; il primo ad accogliere i Gentili; il primo per tutto* (*Sermone sull' unità*, parte 1.). Quidnam autem pronum est inde inferre, nisi quod ex Christi institutione primus Apostolorum fuerit?

4.º Ex imaginibus, sub quibus Ecclesia in Evangelio repraesentatur; ut enim D. Franciscus Salesius super his disserit in Controversiis serm. 42.: *E dessa*, Ecclesia scilicet, *una casa? E assisa sul suo scoglio, e sul suo fondamento ministeriale, che è Pietro. Ve la rappresentate voi, come una famiglia? Vedete il Signor nostro, che paga il tributo, come Capo della Casa, e il primo dopo di lui S. Pietro, come suo rappresentante. E' la Chiesa una barca? S. Pietro n' è il vero Capitano, ed è il Signore istesso, che me lo insegna. La riunione operata dalla Chiesa è da una pescagione rappresentata? S. Pietro vi si mostra per primo, e gli altri discepoli non

pescano, che dopo di lui. Vuolsi paragonare la dottrina, che ci viene predicata, onde trarci fuori delle grandi acque, all' amo di un pescatore? E S. Pietro, che lo getta: è S. Pietro, che lo ritira: gli altri discepoli non sono, che suoi ajutanti. E S. Pietro, che presenta i pesci al nostro Signore. Volete, che la Chiesa sia rappresentata da una ambasceria? S. Pietro è alla testa della medesima. O volete meglio, che sia un Regno? Pietro ne porta le chiavi. Vi piace finalmente di ravvisarla sotto l' immagine di un ovile di agnelli, e di pecore? S. Pietro n' è il Pastore, ed il Pastore generale subito dopo Gesù Cristo. Hactenus SS. Episcopus Genevensis.

5.° Ex PP.; ita enim D. Cyprian. ep. 43 *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.* Et l. De unitate Ecclesiae: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus etc. Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super unum aedificat Ecclesiam suam. . . Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur.* Item D. Cyrillus Jerosol., a quo Catechesi 2. appellatur D. Petrus *Apostolorum summus, et princeps*: Catechesi 11. *Apostolorum princeps, et supremus Ecclesiae praeco*: et Catechesi 17. *Apostolorum princeps,, et Regni Coelorum Claviger.* Item D. Leo. serm. 2. *Sic enim prae caeteris est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum Regni Coelorum janitor constituitur, dum ligandorum, solvendorumque arbiter, mansura etiam in Coelis judiciorum suorum definitione, praeficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus.* Et serm. 3. *De toto Mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum Gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* Item D. Greg. M. l. 4. ep. 32, *Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, et omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiae cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Nonnisi ob Petri Primatum denique fuit semper ejus Cathedra ab omnibus Patribus celebrata: eaque est, ut laudatus Bossuetius cit. loco dis-

serit, *nella quale essi hanno, come a gara, esaltato il Principato della Cattedra Apostolica, il principato principale, la sorgente della unità, e nel posto di Pietro il grado eminente della Cattedra Sacerdotale; la Chiesa Madre, la quale ha in sue mani la condotta di tutte le oltre Chiese; il Capo dell' Episcopato, d' onde parte il raggio del governo; la Cattedra principale, la Cattedra unica, nella quale sola tutte conservano l' unità. Con queste parole si esprimono S. Optato, S. Agostino, S. Cipriano, S. Jreneo, S. Prospero, S. Avito, il Concilio di Calcedonia, e gli oltri; l' Affrica, le Gallie; la Grecia, l' Asia, l' Oriente, e l' Occidente uniti.*

6.° Ex unitate Ecclesiae; nisi enim D. Petrus Primatum, de quo loquimur, a Christo accepisset, tot fuissent Ecclesiae, quot Apostoli, immo quot Episcopi ab ipsis ordinati, totque Ecclesiis praefecti. Quare hoc fidei dogma nos profiteri dicendum est in ipso Symbolo, cum dicimus: *Credo in unam Ecclesiam*; ut prae aliis D. Cyprianus innuit laudatis supra verbis: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur.*

Objic. 1.°, quod nedum Petrus, sed et caeteri Apostoli non semel in Scripturis vocantur fundamenta Ecclesiae, ut Ps. 86, illis verbis: *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*; idest, ut D. Aug. exponit, *in Apostolis, et Prophetis*. Et ad Eph. 2., ubi omnes dicimur *superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.* Et Apoc. 21., ubi: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Quod cum ita sit, nihil praeeminentiae, seu primatus in caeteros Apostolos inferri quoad Petrum potest ex eo, quod Christus illi ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*: Ergo. Cui accedit, non deesse Patres, ut et nos supra innuimus, quorum alii per petram intellexerunt Christum, alii fidei confessionem a Petro factam. Et demum D. Aug. expresse ait *serm. Apost. Petri, et Pauli*, quod relatis Christi verbis: *Tu es Petrus etc. Claves non unus homo Petrus, sed unitas accepit Ecclesiae.* Et hom. 10. in Jo. *Potestatem ligandi, ac solvendi Petrus cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius unitatis, accepit.* His autem positis, ubinam amplius relatis verbis Primatus honoris, et jurisdictionis Petro collatus?

R. neg. sequ. min.; quoad 1. enim, cum nemini Apostolorum locutus fuerit Christus, prout Petro, hinc si et caeteri Apostoli vocantur in Scripturis fundamenta Ecclesiae, intelligendum id non est eodem modo, quo Petrus, et cum praejudicio ejus Primatus, sed triplici sensu: 1.° quia omnes juxta Christi praeceptum, *Euntes, docete omnes Gentes* (Matth. ult.): *Euntes, praedicate Evangelium omni Creaturae* (Marci ult.), totum Terrarum Orbem sibi diviserunt ad praedicandum ubique Evangelium, et Gentes Christo lucrandas; quare omnes simul Christi Ecclesiam fundarunt. 2.° quia omnes juxta Christi promissionem Jo. 14. Spiritus Sanctus docuit *omnem veritatem*; omniumque idcirco una fuit fides ab ipsis praedicata, quae est velut Ecclesiae fundamentum. 3.° ob extraordinariam Missionem a Christo acceptam laudatis verbis: *Euntes, docete omnes Gentes*. (*Matth. ult.*), *Euntes, praedicate Evangelium omni Creaturae*. (*Matth. ult.*). Itemque illis: *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos* (*Jo. ult.*): cum enim Ecclesia, et congregatio idem significent, Missionem proinde accipiendo omnes illi Gentes, omnemque creaturam congregandi, Missionem acceperunt fundandi ejus Ecclesiam, quare et recte ejus fundamenta dicuntur.

Quoad 2.m, et nos supra diximus, fuisse ex PP., qui in relato textu per *petram* Christum intellexerunt; sed 1.° ut ibidem diximus, una interpretatio alteram non excludit: ac 2.° hic addimus, quod minus recte, ut patet tum ex dictis eodem loco; tum etiam ex eo, quod in hac hypothesi Christus dixisset: *Tu es Petrus, et super me aedificabo Ecclesiam meam*, quam loquendi rationem, quis satis rectam dicet? Qui vero ex illis per *petram* intellexerunt fidei confessionem a Petro factam, id dixerunt, tum quia Petrus ob suae fidei meritum consecutus fuit, ut institueretur Ecclesiae fundamentum, tum quia fideles recte docendo, eos in vera fide, et vero Dei cultu sustentat, et continet.

Quoad 3.m, D. Augustini mens ex ejus scopo petenda est. Agit nempe ibi S. D. contra Donatistas, qui etsi essent extra unitatem Ecclesiae, de clavium tamen potestate jactabantur; agitque simul adversus Montanistas, et Novatianos, docentes, periisse jamdiu in Ecclesia potestatem remittendi peccata post Baptismum, propterea quod Coelorum claves Christus soli Petro contulerat. Audiatur Ter-

Digitized by Google

tullianus, cum jam ad Montanistarum castra migrasset, l. de pudic. c. 21. *De tua nunc sententia unde hoc jus Ecclesiae usurpas? Si quia dixit Petro Dominus: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dedi claves Regni Coelorum; vel quaecumque alligaveris, vel solveris in Terra, erunt alligata, vel soluta in Coelis; idcirco praesumis, et ad te derivasse alligandi, et solvendi potestatem, idest ad omnem Ecclesiam Petri propinquam; qualis es evertens, atque commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem? Super te, inquit, aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves, non Ecclesiae; et quaecumque solveris, vel obligaveris, non quae solverint, vel obligaverint.* Porro adversus Donatistas ajebat D. Augustinus, quod simul ac amiserant de Ecclesiae unitate esse, clavium quoque potestatem amiserant, eam namque, clavium nempe, potestatem, unitas Ecclesiae acceperat. Adversus Montanistas vero, et Novatianos ajebat, adhuc, et usque ad saeculorum consummationem futuram esse in Ecclesia clavium potestatem, propterea quod Coelorum claves non unus homo Petrus, sed unitas Ecclesiae acceperat; idest non acceperat Petrus, nisi in bonum Ecclesiae: *Haec omnia* (ita apposite Canus l. 4. De loc. c. 5.), *quae ex D. Aug. contra Petri, et Successorum ejus auctoritatem afferuntur, nihil aliud significant, quam Petrum, et caeteros Eccles. ae Ministros, nec sibi, nec ob sua merita, sed Ecclesiae, obque Ecclesiae causam claves, reliquaque Evangelii publica munera accepisse.* Quibus perpensis, patet nihil prorsus ex relatis Aug. verbis contra Petri Primatum colligi.

Objic. 2.° quod quia Petrus confessus fuerat Christi Divinitatem, ideo Christus illi inquit: *Tu es Petrus, et super hanc petram etc.* Christi autem Divinitatem confessus fuerat Petrus omnium Apostolorum nomine, omnes namque Apostolos Christus interrogaverat, quem, se esse, dicerent? *Vos autem, quem me esse, dicitis?* Illis ergo verbis: *Tu es Petrus, et super hanc petram etc.*, omnes Apostolos Christus allocutum esse, ideoque ex illis nihil pro Petri Primatu inferri, dicendum est.

R. 1.° 2.° neg. cons.; ex contextu enim, qui solum Petrum alloquitur, ipsum quoque solum in allato textu Christum allocutum esse, manifeste sequitur, non alios.

Id autem dicimus factum, quia cum omnes quidem Apostolos Christus interrogasset, quem se esse dicerent, sed solus Petrus respondisset, ejusque Divinitatem, quam illi Pater Coelestis revelaverat; confessus esset illis verbis: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; ipsi etiam soli in praemium tribuit, ut ob praeclaram ejus Divinitatis confessionem, nec non promptitudinem, qua in eam sibi revelatam crediderat, aeternum suum consilium explicaret dandi Ecclesiae in persona ipsius unitatem, et Caput.

Objic. 3.° quod cum Christus Petro ait: *Pasce oves meas*, in ipsius persona omnes Ecclesiae Ministros alloquebatur, omnibus namque incumbere, ut gregem Dei pascant, auctor est ipse Petrus in sua 1. ep. c. 2. Quod si omnes Ecclesiae Ministros in persona Petri alloquebatur, nihil ejusmodi verbis praeeminentiae illi contulit: Ergo.

R. neg. maj.; omnibus namque Ecclesiae Ministris incumbit, ut gregem Dei pascant, qui in iis est, seu particularem, et suae curae commissum, quemadmodum D. Petrus l. c. eos hortatur, inquiens: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*; non vero universalem, seu totam Ecclesiam, quod soli Petro commissum fuit.

Objic. 4.° quod omnibus Apostolis data a Christo fuit ligandi, ac solvendi potestas illis verbis Matth. 18. *Quaecumque alligaveritis super Terram, erunt ligata et in Coelo.* Quod si aeque omnibus eam tradidit, aeque etiam dicendum est, eam omnes habuisse, nec inter eos Christum ullum instituisse Primatum: Nullum ergo Petrus Primatum super eos habuit.

Resp., recte quidem ex relatis verbis inferri, Apostolos potestatem a Christo accepisse ligandi, ac solvendi, ut infra clarius explicabitur; non tamen ex iisdem sequi, Christum inter eos nullum quoque Primatum instituisse: etenim cunctis quidem simul cum Petro ait, *Quaecumque alligaveritis etc.*, prius tamen soli Petro dixerat: *Tu es Petrus etc.*; *et tibi dabo claves Regni Coelorum; et quodcumque ligaveris etc.* 1.° autem, ut D. Th. animadvertit l. 4. contra Gent. c. 76., quorsum soli Petro ait, *Tibi dabo claves Regni Coelorum, nisi ut ostenderetur potestas Clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiae unitatem?* 2.° ut advertit Alvarus Pelagius *l.* 1. *de planctu Eccle. c.* 55., fitque perspicuum cuivis consideranti utriusque textus verba, *quorsum Petro dictum est sine aliis*,

Quodcumque ligaveris etc., et non aliis sine Petro, nisi ut intelligatur sic ei attributa potestas hujusmodi, ut alii sine ipso non possint, ipse sine aliis possit ex privilegio sibi collato, et concessa sibi plenitudine potestatis?

Objic. 5.°, quod Christus Apostolos alloquens Luc. 22. *Reges Gentium* (ait) *dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat, sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator.* Quod cum ita sit, nullum inter eos gradum instituit alio praestantiorem: Non igitur Petro aliquem Primatum tribuit.

R. neg. sequ. min.; cum enim Apostoli contenderent, *quis eorum videretur esse major* (*Luc. ibid.*), noluit Christus praefatis verbis, nisi ejusmodi praelationis desiderium compescere, eosque docere tum humilitatem, et animi modestiam, tum a dignitatum Mundi natura dignitates Ecclesiae non metiri, cum hae potius, quanto majores sunt, tanto etiam majore exornari humilitate debeant. Hic igitur Christi scopus: quem Petri nihil prorsus afficere Primatum, evidens est.

Objic. 6.ª quod, ut legitur Act. 6., absque ullo Petri mandato Apostoli constituerunt Diaconos; utque legitur c. 8., Petrum ipsum in Samariam miserunt: ac demum legitur c. 10., ambigisse Petrum, num sibi liceret Gentibus evangelizare; utque additur c. 11., reprehensus a discipulis, quia id fecerat, rationem iis reddere opus fuit, ut adversus illum disceptare ea de causa desinerent. Nihil autem horum cum Primatu, quem illi attribuimus, conciliari potest: Ergo.

R. neg. min.; quoad 1.m enim, dicimus, quod id derogaret quidem Petri Primatui, si Apostoli Diaconos constituissent Petro nolente, aut invito; non vero ipso Auctore, vel certe consentiente, prout dicimus factum, licet Apostolorum Actus id non referant, quia nec omnia scripta sunt, nec omnia scribere oportebat. Nisi dicere velimus, quod fortasse hoc silentio demonstretur, ordinationem Clericorum, non ad Summum Pontificem, sed ad Episcopos deferendam.

Quoad 2.m dicimus, quod nomen Missionis non semper significat subjectionem in eo, qui mittitur. Mittere siquidem dicitur quicumque est auctor alicui, ut eat, sive id praecepto faciat, ut Dominus respectu servi, sive

Google

suasione, et consilio, quomodo et par parem, et minor majorem aliquando mittit. Postremo autem hoc sensu ab Apostolis Samariam missus Petrus dicitur.

Quoad 3.m, dicimus, quod non ambigit Petrus, num sibi liceret Gentibus evangelizare, sed habita visione, de qua sermo fit c. 10., legitur tantum *haesitasse*, *quidnam esset visio, quam vidisset*: ante quam scivisse, id sibi licere, evidenter patet ex Marci ult., et Matth. ult., ubi praeceptum a Christo legitur omnibus Apostolis, ut *docerent omnes gentes*; quodque Christus *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, quoniam oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis, et praedicare in nomine ejus poenitentiam in omnes gentes.* Hinc ipse Petrus Act. 1, 2. et 3. praeter Joelem, Psalmos, et Deut., laudaverat hac super re illud quoque Geneseos 22. *In nomine tuo benedicentur omnes familiae terrae.*

Dicimus demum quoad ultimum, quod cum Judaei ad fidem conversi nondum plene tam de vocatione Gentium, quam de legis abrogatione instructi essent, fuerintque idcirco admirati, quod Petrus ipsas quoque Gentes admisisset in Ecclesiam, eos proinde de utraque re suadere existimavit. Hinc rationem illis reddens de eo, quod fecerat, prout ipsemet ep. 1. cap. 3. faciendum monet, quum proximi bono expediens judicatur, manifestavit tum visionem in Joppe habitam, tum effusionem Spiritus Sancti in eos, quos in Ecclesiam admiserat, per supernaturalium donorum sensibilem largitionem. Quibus auditis, Apostolorum Actus testantur, quod omnes *tacuerunt, et glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo et Gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.*

Objic. 7.° quod si Petrus fuisset a Christo Apostolorum Princeps constitutus, non potuisset Paulus illi in faciem resistere, eumque reprehendere. Illi autem *restitisse in faciem, quia reprehensibilis erat*, ipse Paulus testatur ad Gal. 2.: Ergo.

R. 1.° neg. sequ. maj.; et inferior enim potest Praelato reverenter contradicere, ubi hic minus recte aliorum cum damno incedat. Ita autem res se habebat, cum Paulus Cephae in faciem restitit; quia enim Cephas, ne Judaeos credentes contristaret, qui simul cum Evangelio legem quoque Moysis necessario implendam esse, ajebant, iis proinde advenientibus, a Gentilium, incircumcisorum nempe, mensis se subduxerat, prout jubebat lex Moysis;

atque hac agendi ratione occasionem praebuerat Gentilibus existimandi, necessarium adhuc esse servare legem, quae Judaeos a Gentilium convictu abstinere jubebat: hoc posito, recte contradixit ei Paulus, siquidem consentaneum magis erat, Gentiles credentes, qui multi erant, non terrere, quam paucos Judaeos non contristare, qui immerito scandalizabantur, eo quod Gentiles ad Christum conversi non observabant Judaeorum caeremonias, quibus non adstringi, jam in Concilio Jerosolymitano, Petro Praeside, definitum fuerat.

2.º Negatur, quod ille Cephas, de quo ibi Apostolus loquitur, atque, quod in faciem illi restitit, fuerit Petrus: 1.º enim de tali, ac tanto Apostolo satisne accurate diceretur ejt, loco ad Gal. v. 6., quod *videbatur esse aliquid*; utque subditur v. 9., quod *videbatur columna esse*? Nonne vox imminutiva *videbatur* multo melius convenit alicui non exigui nominis discipulo, qui vocabatur Cephas, et cum magnam Antiochiae existimationem haberet, videbatur columna esse? Porro dum haec D. Paulus scriberet, aderat Corinthi quidam Cephas, qui adeo aestimabatur, ut aliqui ex Corinthiis, ut ipse Ap. testatur 1. ad illos ep. c. 1., dicerent: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae.* Hic autem Cephas non erat Petrus, utpote qui numquam praedicavit Corinthi. Quod et confirmatur ex c. 9., ubi idem Cephas distinguitur, sicut a fratribus Domini, ita et à caeteris Apostolis illis verbis; *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et caeteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* Quam verisimile igitur dicendum, quod de hoc Cepha, non vero de Petro D. Paulus eo loci loqueretur? 2.º quia credibile non est, quod cum Petrum bis *Petri* nomine paullo ante expressisset, statim illum paullo post appellaverit, Cepham; praesertim cum hoc nomine numquam eum alibi appellaverit. 3.º quia nonne inverisimiliter dicitur, quod Petrus, qui per tot annos cum Gentilibus palam, et aperte in ipso Judaeae medio manducaverat, quique viriliter responderat, hanc esse Domini voluntatem, eo usque veritus deinde fuerit Judaeos aliquot, ut cum Gentilibus Antiochiae comedere coram illis recusaverit? Et quidem coram illis, qui e Jerosolymis venerant a Jacobo missi, coram quibus Jerosolymis non semel, sed centies cibum cum ejusmodi incircumcisis sumpserat?

Objic. 8.° Quod si Paulus ratione potestatis aequalis Petro fuit, Primatus, qui huic attribuitur, commentum profecto dicendum est. Fuit autem Paulus aequalis Petro ratione potestatis, ipso ajente Paulo 2. ad Cor. 11., quod ipsi incumbebat *sollicitudo omnium Ecclesiarum*; de quibus proinde scripserunt quoque D. Irenaeus, et D. Epiphanius, quod ambo fuerunt Romae Episcopi; quare et ambo dicuntur Apostolorum Principes: Ergo.

R. neg. min.; quoad 1.m enim, quidnam contra Petri Primatum, quod Paulus de omnibus Ecclesiis erat sollicitus? Quod vero D. Iren., et Epiph. scripserunt, significat tantum, ambos Romae munus Pastorale obiisse. Ac tandem ambo quidem dicuntur Apostolorum Principes, non tamen ob eamdem rationem: sed Petrus, quia a Christo universae Ecclesiae Caput, et Pastor supremus constitutus; Paulus vero, quia munus Apostolicum epistolis, praedicationibus, et laboribus excellentissime implevit: *Apostolus fuit par Petro* (inquit de eo D. Thomas in c. 2. ad Gal.) *in executione auctoritatis, non in auctoritate regiminis*. Hinc propositio, quod Petrus, et Paulus fuerint duo Ecclesiae capita, damnata fuit ab Innoc. X. speciali Decreto sub die 24. Febr. 1647., tamquam haeretica. Sicut etiam propositionem, quae ajebat: *S. Petrus, et S. Paulus sunt duo Ecclesiae Summi Pastores, ac Praesides, qui unicum Caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum, et S. Paulum sine subordinatione, et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, et regimine universalis Ecclesiae, idem Sanctissimus, auditis votis etc., haereticam censuit, et declaravit.*

Objic. 9.° quod D. Cypr, ait *l.* 1. *de unitate Ecclesiae*, Christum, inquiens *Apostolis omnibus parem potestatem* tribuisse. Concinitque D. Hieron. *l.* 1. *contra Jovinianum* his verbis: *At dicis: super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves Regni Coelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur etc.*. Quod si Christus Apostolis omnibus parem potestatem tribuit, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudinem solidavit, ubinam amplius Primatus, et quidem honoris, et jurisdictionis Petro tributus? Ergo.

R. neg. sequ. min.; etenim parem quidem Apostolis omnibus potestatem tribuit, et ex aequo super eos Eccle-

siae fortitudinem solidavit, quia, ut supra innuimus, pariter, et ex aequo omnibus inquit: *Quaecumque ligaveritis super Terram etc.* (*Matth.* 16.). Et: *Euntes docete omnes gentes* (*Matth. ult.*). Et: *Praedicate Evangelium omni Creaturae* (*Marci ult.*). Et*: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Io. ult.*). Quare omnibus potestas convenit fundandi Ecclesias, instituendi Episcopos, ministrandi Sacramenta, edendi miracula, aliaque Apostolici muneris officia obeundi. *Ut unitatem tamen manifestaret* (subdit idem Cyprian.), *unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et caeteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris, et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Et paullo post: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur,* En Petri Primatus expressè ab eo traditus. Quem aeque agnoscens D. Hieron., *inter duodecim* (inquit l. cit.) *unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tolleretur occasio.* Paucis modo, quae diximus, complectentes, parem Christus Apostolis omnibus potestatem tribuit, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudinem solidavit, quatenus Apostoli ex aequo omnes fuerunt Evangelii praecones in Universum Orbem praefatis verbis ab eo missi; non vero absolute, ita ut simul Primatum super eos Petro non contulerit, quemadmodum ejusdem Christi verbis, Patrum testimoniis, aliisque invictissimis momentis abunde ostendimus.

CAPUT II.

De indefectibilitate D. Petri in fide.

Prop. = D. Petrus errare in fide non potuit. Est de fide

Prob. Et 1.° ex Script.; ut ex illis Christi verbis Luc. 22, *Simon, Simon, ecce Satan expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Oratio autem Christi semper exaudita fuit, ut ipse Christus testatur Jo. 11. *Pater, sciebam, quia semper me audis*: Nec non Apostolus ad Heb. 3. inquiens, quod *exauditus est pro sua reverentia*: Petrus ergo errare in fide non potuit.

Item ex verbis immediate sequentibus: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Si autem Petrus con-

stitutus a Christo fuit, ut fratres suos vacillantes in fide firmaret, dicendum profecto, quod in fide deficere ipse non potuit; ineptus enim est ad alios in fide firmandos, qui in fide deficere ipse queat: Ergo.

Reponitur quidem, quod Christus oraverit pro Petri fide, quatenus Ecclesiae figuram gerebat. Sed nihil insulsius: 1.° cum unam tantum personam designaverit, bis inquiens: *Simon, Simon. Et: Rogavi pro te.* 2.° cum pro illo rogare dixerit, cui addidit: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; quae verba nequeunt de Ecclesia intelligi, tum quia haec non habet, unde convertatur, cum numquam defecerit, nec unquam defectura sit; tum quia Ecclesia non habet fratres, quos confirmet, cum omnes ejus filii, non fratres simus.

Item ex ipsius Christi verbis Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; quibus verbis Petrum constitutum a Christo fuisse totius Ecclesiae fundamentum, jam supra ostendimus. *Manifestum* autem *est* (ut Origenes in hunc locum disserit), *etsi non exprimatur, quod nec adversus Petrum, nec adversus Ecclesiam portae praevalere poterunt inferorum, nam si praevalerent adversus petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam praevalerent*; quia nempe eo ipso quod aliquod accidens adversus fundamentum praevalet, praevalet quoque adversus ipsum aedificium: Ergo. Praeterquam quod, ut scite advertit Comes Le Maistre in opere italice reddito, cui titulus *Del Papa* c. 2., *togliete un tal fondamento, come sarebbe ella infallibile, dacchè più non esiste? Fa di mestieri prima essere, per essere qualche cosa. Non lo dimentichiamo giammai; niuna promessa è stata fatta alla Chiesa separata dal suo Capo, e la ragione naturale sola lo comprenderebbe, poichè non potendo, come ogni altro corpo morale, la Chiesa esistere senza unità, le promesse non possono essere state fatte, che all' unità, la quale inevitabilmente scomparisce, se si tolga il Sovrano Pontefice.* Cui etiam accedit, et quod nonnisi ad significandam firmitatem, ac soliditatem, quam illi in fide conferebat, novum Petri nomen a Christo accepit, non enim alia de hoc causa assignari potest: et quod si domus, idest Ecclesia, nequit deficere, nedum aeque, sed multo magis nequit deficere fundamentum, non enim fundamentum a domo, sed domus a fundamento firmitatem accipit.

Item ex subsequentibus verbis : *Et quodcumque ligaveris super Terram, erit ligatum et in Ceelis: et quodcumque solveris super Terram, erit solutum et in Coelis*. Itemque ex illis ipsius Petri verbis in Conc. Jerosolymitano Act. 15. *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere*; ex quibus sequitur, quod si Petrus in fide errare potuisset, potuissent Christi fideles ab obligatione, qua tenebantur juxta ipsius Christi institutionem, ei obediendi, in haeresim duci. Id autem dictu nefas, ut nemo non videt : Et nemo igitur non videt, quod in fide errare non potuit.

Demum ex munere universam Ecclesiam pascendi ipsi illis verbis demandato : *Pasce agnos meos. Pasce oves meas* (*Jo. ult.*); ex quo et sequitur, quod si potuisset in fide errare, potuisset quoque dilectas Christi oves venenosis pascuis interimere. Æque autem nefas dictu, quod Christus ejuscemodi Pastorem suae Ecclesiae dederit : Petrum igitur non potuisse in fide errare, magis, magisque perspicuum est.

2.° Ex PP.; ita enim D. Greg. Naz. or. de moder. serv. in disp. *Petrus petra vocatur; atque Ecclesiae fundamenta fidei suae credita habet.* Et D. Chrysost. hom. 82. in Matth. *Super confessionem Petri Ecclesiam ita fundavit, et munivit.* Et D. Ambr. l. 4. in Luc. *Non turbatur navis Petri; quemadmodum enim turbari poterat, cui praeerat is, in quo Ecclesiae firmamentum est?* Et D. Leo Magnus ser. 4. c. 3. *Specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et Divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Et Auctor libror. de vocat. Gent. l. 2. c. 28. *Petrus fortissima Petra, quae ab illa principali petra communionem et virtutis sumpsit, et nominis.* Et D. Chrysol. ser. 154. de S. Steph. *Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare.* Et D. Maximus Taurin: hom. 54. *Tamquam bonus Pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum; et qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, caeteros fidei stabilitate fundaret.* Quibus alii et concinunt.

3.° Ratione invictissima ; potuerit enim Petrus in fide errare. Si aliquando errasset, potuisset Ecclesia ab ejus judicio discedere, an non ? Si hoc, en tota Ecclesia ab errore perculsa. Si illud, en membra una ex parte, ex altera Caput ; en Corpus Christi discerptum ; en vestis Christi inconsutilis dilacerata. Utrinque ergo scopulus ; quare D. Petrum in fide errare non potuisse, concludendum est.

Objic. 1.° , quod adversus exploratam facti veritatem quaevis congerantur rationes, nihil profectò roboris habere possunt. Factum autem exploratae veritatis est, quod Passionis Christi tempore fides Petri defecit, negavit enim se nosse Christum, coepitque *detestari*, *et jurare*, *quia non novisset hominem* (*Matth.* 26.) Hinc D. Ambros, ser. 47. de fide Petri : *Fidelior* (ait) *factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse, deflevit* : quodque, ut censent non pauci, significatur per candelam, quae, dum Passionis, et Mortis Christi memoria recolitur, sola in Officio illorum dierum non extingnitur, est, quod eo temporis in sola B. Virgine fides permansit, unde discipuli lumen deinde, quod amiserant, receperunt. Nedum ergo Petri fidem fuisse defectibilem, sed reapse tunc temporis defecisse ; consequens est.

R. neg. min. ; cum enim Christus ante suam Passionem rogaverit, ne deficeret fides ejus, habendum procul dubio est, quod ejus peccatum pusillanimitatis quidem fuit, non jam infidelitatis, quodque peccaverit contra fidei confessionem, non jam contra fidem. Nec tantum Christi oratio pro eo fusa id aperte demonstrat, sed ejus postea agendi ratio : statim namque ac Christus eum respexit, *recordatus Petrus verbi Jesu*, *quod dixerat* : *Prius quam gallus cantet*, *ter me negabis*, *egressus foras*, *flevit amare* (*Matth. l. cit.*). Cum igitur Passionis Christi tempore negavit, se eum nosse, defecit quidem timore ductus in fidei confessione, fidem vero in Christum non abjecit, sed servavit ; utique enim quisque potest timore ductus in fidei confessione deficere, et simul in corde ipsam fidem servare, cum fidei confessio sit quid externum, ipsa vero fides quid internum. Hinc patet etiam responsio ad verba Ambrosii : quod nempe ajendo, Petrum fidem amisisse, nomen fidei vel pro fidelitate accepit, quam Christo non servavit, vel pro fidei confessione, ut non est infrequens nomen fidei usurpari. Al-

lata vero consuetudo extinguendi in Officio praefati temporis omnes cereos praeter unum, vel etiam significat Apostolorum tunc temporis defectionem in fidei confessione, aut in fide viva, quae per dilectionem operatur: vel, ut rectius explicat Rupertus *l. de Divinis Officiis, c.* 5., per extinctos cereos priores significantur Prophetae a Judaeis interempti; per cereum vero illum, qui ad breve tempus absconditur, significatur Christus, qui paullo post erat e mortuis resurrecturus. Sed et consulantur dicta tract. 3. c. 3. resp. ad 2.

Neque omittendum quod M. Gregorius *hom.* 21. *in Evang.* super D. Petri lapsu advertit: *Considerandum nobis est, cur Omnipotens Deus eum, quem cunctae Ecclesiae praeferre disposuerat, ancillae vocem pertimescere, et seipsum negare permisit. Quod nimirum magnae actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, ut is, qui futurus erat Pastor Ecclesiae, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset.*

Objic. 2.°, quod de Petro legitur ep. ad Gal. c. 2., Gentes scilicet coegisse, ut judaizarent. Necessitas autem legalia observandi post Evangelii promulgationem est manifestus in fide error: Ad id ergo coegit, quod erat contra fidem; in qua proinde erravit.

R. 1.° neg. maj.; ex ostensis enim cap. ant. resp. ad 7., non absque solida probabilitate negatur, Cepham illum, de quo sermo fit cit. loco epistolae ad Gal., cuique D. Paulus ea de causa in faciem restitit, fuisse D. Petrum. Sed posito etiam, quod hic fuerit, resp. 2.° neg. cons.; non enim ejus error fuisset *praedicationis*, sed *conversationis*, ut advertit Tertull. l. de Praescriptionibus, siquidem numquam decreto aliquo sancivit prorsus esse judaizandum, quin immo contrarium docuerat, et decreverat c. 15. Actuum: sed tantum ne offenderet Judaeos nuper ad fidem conversos, subduxerat se a mensis Gentilium, ob quam dumtaxat agendi rationem dicitur coegisse Gentes, ut judaizarent. Aliud autem dictu est, suo exemplo praebuisse errandi occasionem, quod extra quaestionem est; aliud vero in fide errasse, quod tantum asserimus, in ipsum cadere non potuisse.

CAPUT. III.

In quo ostenditur, aliquem adesse debere in Ecclesia, et quidem jure Divino, qui tum in Primatu honoris, ac jurisdictionis, tum in fidei indefectibilitate D. Petro succedat.

Prop. Jure Divino adesse in Ecclesia debet aliquis D. Petri Successor tum in Primatu honoris, ac jurisdictionis, tum in fidei indefectibilitate. Prima pars est de fide. Altera saltem fidei proxima.

Prob. 1. pars. Et 1.° est Ecclesia Christi Ovile usque ad consummationem saeculi duraturum; nec non Regnum, cujus numquam erit finis. Ovili autem usque ad consummationem saeculi duraturo, ac Regno numquam interituro congruum non erat, quod Christus dedisset Pastorem, Regemque ad tempus, qualis Petrus erat, sed Pastorem quoque, Regemque numquam interiturum debuit sufficere: Talem ergo illi Christum suffecisse, consequens est; qui proinde ex Christi institutione adesse in eá debet, Petro scilicet in Primatu honoris, et jurisdictionis succedens.

2.° Jure Divino constitutum fuerat in veteri Testamento, ut unus alteri in Supremo Pontificatu succederet, nam Aaroni successit Eleazarus (Num. 20), huic Phinees (Judic. 20.), et sic deinceps. Veteris autem Testamenti Sacerdotium fuit Novi typus: Et in hoc igitur jure Divino adesse debet, qui in Supremo Pontificatu sit Petri successor.

3.° Quod Christus Pontificatum instituerit propter Ecclesiae bonum; evidens ex se est, expressitque D. Aug. *l. De Pastor. c.* 1. illis verbis: *Quod Christiani sumus, propter nos est; quod Praepositi sumus, propter vos est.* Quod cum ita sit, aeque etiam Supremum Pontificatum instituisse propter Ecclesiae bonum, dicendum est; qui proinde eo usque debet jure Divino manere, donec manet Ecclesia: Donec ergo haec manet, jure Divino debet Petri loco Supremus in ea Pontifex manere.

4.° Si Petri potestas ad posteros translata non est, nec caeterorum Apostolorum potestatem agnoscemus transmissam, nullaque propterea aut Episcoporum, aut Sacerdotum potestas aderit hodie in Ecclesia. Hoc autem ne-

fas dictu, ac error in fide manifestus; cumque successio Episcoporum, ac Sacerdotum sit de jure Divino, de jure etiam Divino dicendus est Successor in Petri potestate: Ergo.

5.° Si nullus, Petro mortuo, ipsi in suprema Potestate successisset, neque etiam, eo mortuo, una, eademque Ecclesia mansisset, sed ob mutatam regiminis formam mutata etiam esset Ecclesia, aliaque deinde fuisset ab ea, quam Christus instituit. Hoc autem nefas quoque dictu, ac error in fide manifestus: Sicut ergo Ecclesiam ex Christi institutione Supremum Pontificem in persona Petri initio habuit, ita eumdem ex ipsius Christi institutione in Petri Successoribus semper habebit.

6.° Quod Ecclesia corpus unum sit, suum in Terris habens Caput praeter Christum, expresse docet Apostolus ep. 1. ad Cor. c. 12., ubi postquam ait, Ecclesiam unum esse corpus, subdit: *Non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarii*; quae de Christo intelligi nequeunt, qui nobis omnibus potest dicere, non esse illi necessarios. Si autem, Petro vita functo, nullus ei successisset in ratione capitis, neque etiam, eo defuncto fuisset corpus, suum in Terris praeter Christum Caput habens: Hoc ergo habet: cumque in persona Petri illud habuerit ex Christi institutione, ex eadem quoque illud in Petri successoribus semper Ecclesiam habere usque ad Mundi finem, concludendum est. Quibus positis, merito Concilium Constantiense hunc Wiclefi articulum damnavit: *Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Militanti Ecclesia conversetur, et conservetur.*

Prob. 2. pars, quod nempe jure Divino adesse etiam debet in Ecclesia, qui Petro succedat in fidei indefectibilitate. Aderat enim in Synagoga, et quidem ex Divina ordinatione, sive jure Divino, ultimus, supremusque Iudex, qui irreformabili judicio omnes lites, quaestionesque definisset: *Si difficile, et ambiguum* (ita nempe Deut. 17.) *apud te judicium esse prospexeris, et Iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge; et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quaecumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, se-*

querisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis morietur homo ille, ut nemo deinceps intumescat superbia. Quod si in Synagoga aderat jure Divino ejuscemodi Judex, adesse idem debet jure Divino in Ecclesia, utpote cujus typus Synagoga erat, quamque Christus multo magis, quam Synagogam diligit: Patet ergo propositum.

Probatur tandem utraque pars duplici ratione; 1.° enim adesse debet jure Divino in Ecclesia, qui Petro in utroque succedat, si utrumque privilegium Petro a Christo collatum, collatum ei fuit propter bonum Ecclesiae. Ita autem res se habet ex PP., ex quibus ita D. Cypr. ep. 70. *Una est Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis, et ratione fundata.* Et l. de unit. Eccl. *Ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Et D. Pacian. Barcinon. ep. 3. *Locutus est Dominus ad unum ideo, ut unitatem formaret ex uno.* Et D. Optatus Milevit. l. 7. cont. Parmen. c. 3. *Bono unitatis B. Petrus praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves Regni Coelorum communicandas caeteris, solus accepit.* Et D. Hier. l. 1. in Jovin. n. 26. *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio.* Quibus similia produximus etiam ex D. Aug. c. 1. obj. 1. Adesse ergo debet jure Divino in Ecclesia, qui Petro in utroque succedat.

2.° Quia nisi esset in Ecclesia, qui jure Divino ei succedat in primatu honoris, ac jurisdictionis, et in fidei indefectibilitate, grassante hac in hypotesi in perniciem fidelium, ut non raro contigit, aliqua haeresi in Ecclesia, quis eorum bono prospiceret, tantoque malo obstaret? Ecclesia, Adversarii inquiunt, eaque vel dispersa, vel coacta. Episcopis vero inter se dissidentibus, ut etiam non raro contigit, quis gliscens dissidium compesceret? Sublato igitur Petri successore in Primatu honoris simul, ac jurisdictionis, et in fidei indefectibilitate, en Christi fideles, ut ait Ap. ad Eph. 4., *velut parvuli fluctuantes, qui circumferrentur ab omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris*; en Christi ovile apertum quibuscumque luporum insidiis; en Ecclesia deterioris status, et conditionis, quam

quaelibet vel infelicissima Respublica. Id autem Christum dedecuisse, nemo est, qui non videat: Adesse ergo debet jure Divino in Ecclesia, qui Petro in utroque succedat. Quod ex dicendis magis, magisque manifestum fiet.

CAPUT IV.

In quo ostenditur, quod D. Petri Successor est Romanus Pontifex.

Prop. Romanus Pontifex ipse est Petri Successor. Est de fide.

Prop. . Et 1.° Rom. Pontifex ipse est Petri Successor, si Christi verba: *Tu es Petrus etc.*, et alia: *Ego pro te rogavi etc.* nonnisi ad Rom. Pontificem Ecclesiae Patres retulere. Ita autem res se habet, siquidem ita 318. PP. in Nicaeno I. cap. 19. *Quamquam accusati Pontificis causam comprovincialibus Episcopis scrutari liceat, non tamen inconsulto Rom. Pontifice, cum B. Petro Apostolo, non ab alio, quam ab ipso Domino dictum sit: Quaecumque ligaveris super Terram etc.* In. Conc. autem Constantinop. III. ducentorum circiter PP. act. 8. 13. et 17. probata fuit ab omnibus Concilii PP. fidei professio, quam Agatho Rom. Pontifex ad Concilium miserat; quaeque ita se habet: *Beati Apostoli Petri adnitente praesidio, haec Apostolica ejus Ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est. Hujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, et universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt. Haec enim Apostolica Christi Ecclesia per Dei gratiam a tramite Apostolicae Traditionis numquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio Christianae fidei percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem; Petre, Petre, ecce Satan expetivit vos etc. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu confirma fratres tuos. Quod Apostolicos Pontifices meos Praedecessores confidenter fecisse, semper est cognitum.* Accedat quoque D. Maximus Martyr. ep. ad Marin. Diacon. *Sancta Romanorum Ecclesia est fundamentum solidum, et maximum, contra quod portae inferi nullo pacto praevalebunt juxta ipsiusmet*

Salvatoris promissionem. Praeclara item sunt quae habet D. Bern. l. 2. de Cons. c.3., ubi sic Eug. Papam alloquitur : *Tu Princeps Episcoporum, tu haeres Apostolorum, tu primatu Abel, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii Coeli janitores, et gregum Pastores : sed tanto gratiosius, quanto et differentius utrumque prae caeteris nomen haereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos : Tibi universi crediti; uni unus. Nec modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem, quaeris? Ex verbo Domini, etc.* Apposite etiam D. Petr. Dam. ser. 23. De Nat. S. Jo. Bapt. *Illa Mater, et Magistra Ecclesiarum omnium Ecclesia Romana, cui dictum est : Ego rogavi pro te, Petre, etc.*

2.° Ex iis PP., qui Rom. Pontificem ipsum D. Petrum appellaverunt; ex quibus ita D. Ambr. in Ps. 50. a. 30. *Ubi Petrus, ibi Ecclesia*; ubi pro Petro Romanum Pontificem intelligere, ex eo patet, quod etiamnum manet, manebitque Ecclesia, quamvis D. Petrus vita functus fuerit a tot saeculis. Ita quoque D. Leo M. ser. 3. de Anniv. assumpt. suae c. 3. *Manet dispositio veritatis; et B. Petrus in accepta petrae fortitudine perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Cujus in sua Sede vivit potestas, et excellit auctoritas. In persona itaque humilitatis meae ille honoretur, cujus dignitas etiam in indigno haerede non deficit.* Ita demum sexcenti PP. Concilii Chalced., qui lecta ejusdem Leonis epistola ad Flavianum, una voce omnes dixerunt : *Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credimus. Anathema, qui non ita credit. Petrus per Leonem ita locutus est.*

3.° Ex iis PP., qui de Ecclesia Romana, tamquam de principali, et maxima locuti sunt; ita enim de ea D. Irenaeus l. 3. adv. haer. c. 3. *Maxima, et antiquissima, et omnibus cognita a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, et Paulo Romae fundata, et constituta Ecclesia. Ad hanc enim propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique, fideles.* Et D. Athan. ep. ad Felic. Pont. *Ob id vos, Praedecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Praesules in summitate arcis constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere praecepit, ut nobis succurratis.* Ita quoque D. Cyprianus ep. 55., ubi Ecclesiam Roma-

nam vocat *Ecclesiae Catholicae radicem*, et *Matricem.* Ita quoque D. Aug. ep. 162. *In Romana Ecclesia semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus.* Et l. 2. cont. duas. ep. Pelag. c. 1. sic S. D. Bonifac. Papam alloquitur: *Neque dedignaris, qui non alta sapis, esse amicus humilium. Fungimur Episcopatus officio, quamvis ipse in eo praeemineas celsiore fastigio.* Ita quoque D. Prosp. l. 2. De vocat. Gent. *Roma per Sacerdotii Principatum amplior facta est arce Religionis, quam solio potestatis.* Aliique infra opportunius.

4.° Ex Conc. Generalibus; ita enim Nicaen. I. cap. 19. *Omnes Episcopi in gravioribus causis libere Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad Matrem, confugiant, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas antiqua Apostolorum auctoritas reservavit.* Ita etiam Chalced. act. 1. *Veneramur secundum Scripturas, et Canonum definitionem Sanctissimum antiquae Romae Episcopum, primum, et Maximum Episcoporum.* Quae verba non habentur quidem in hujus temporis exemplaribus; sed, ut notat Can. l. 6. De loc. c. 6., quia ab haereticis erasa, illa enim retulit D. Th. *in Opusc. cont. errores Graecorum.* Et in eadem act. dicitur Sedes Romana *Caput omnium Ecclesiarum*; et D. Leo. in ea tunc temporis sedens, *universalis Ecclesiae Pontifex.* Nec non additur: *Si quis Episcopus praedicatur infamis, liberam habet sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquae Romae, quia habemus Petrum petram refugii, et ipsi soli libera potestate loco Dei est jus discernendi, secundum claves a Domino sibi datas: et omnia ab eo definita teneantur, tamquam a Vicario Apostolici Throni.* Ita etiam Concilium Constantinop. III., ubi, ut supra diximus, act. 8. 13., et 17. lecta, et probata fuit ab omnibus Conc. PP. fidei professio, quam Agatho ad Conc. miserat, et quam supra retulimus. Et act. 18. dictum fuit a PP., *Romanum Episcopum Agathonem Successorem esse in Sede Principis Apostolorum.* Et Nicaen. II., ubi similiter act. 2. lecta, et probata fuit ep. Synodica Adriani I., qua Romana Ecclesia dicebatur *Caput omnium Ecclesiarum.* Ita etiam Concilium Constantinop. IV. act. I., ubi approbata fuit, et subscripta ab omnibus PP. haec fidei formula ab Hormisda Papa edita: *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et observantes omnia ejus constituta*,

Digitized by Google

speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est vera, et integra Christianae Religionis soliditas. Promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, idest in omnibus non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina in sacra non recitanda esse Mysteria. Ita etiam Concilium Lugdunense II., ait namque c. *Ubi peric. de elect. in 6., Romanum Pontificem esse Vicarium Jesu Christi, Successorem Petri, Rectorem Ecclesiae universalis.* Ita quoque Concilium Constantiense, ubi damnatus fuit Wiclefi articulus, qui ajebat: *Papa non est manifestus, et verus successor Petri.* Aliusque inquiens: *Papa non est proximus, et immediatus Vicarius Christi.* Nec non alius, qui ajebat: *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* Ita demum Concilium Florentinum, in definitione fidei; Graecis, ac Latinis consentientibus, ac plura simul comprehendens de fide tenenda; *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere Primatum; et ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem, et Doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

Tandem multiplici ratione: 1.° enim ille alicui succedit, qui huic in munere, quo fungebatur, vel per mortem, vel per renunciationem, vel per depositionem succedit; quare, cum haec duo postremo loco posita locum non habeant in quaestione, de qua agimus, ille dicendus est Petro in Supremo Ecclesiae Pontificatu successisse, et sic deinceps succedere, qui illi per mortem successit in loco, ubi Sedem fixerat. Hanc autem Romae fixerat; nec sine Christi jussu: postquam enim, secuta Christi morte, annis fere quinque in Iudaea mansisset, Antiochiam migravit, hujusque Urbis Episcopus fuit annis fere septem. Septimo vero Antiochensis Episcopatus anno Jerosolymam rediit, ubi ab Herode Agrippa in carcerem conjectus, et paullo post ab Angelo liberatus, eodem anno, qui erat Claudii Imp. secundus, Jerosolyma Romam profectus, hic Sedem fixit: unde licet post septem annorum commorationem a Claudio cum caeteris Judaeis expulsus fuerit, et

Jerosolymam redierit, tamen post Claudii mortem Romam reversus, ibi, cum Romanam Sedem tenuerit annis 25., ultimo Neronis anno martyrio coronatus fuit: *Simon Petrus* (ita inter alios D. Hieron. De Viris illustribus) *ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit; ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit usque ad ultimum, idest decimum quartum Neronis annum, a quo et affixus Cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso.* Id vero Canus *De loc. l.* 6. *c.* 8. *resp. ad* 10. non minus, quam 22. Patrum, Doctorumque testimonio confirmat: ac magis, magisque extra omnem controversiae aleam ponunt et constans traditio, qua scimus, quod ante quodcumque Ecclesiae Concilium semper Romanus Episcopus Petri Successor est agnitus; et Concilia omnia in Ecclesia habita, a quibus Romanus Pontifex appellatus semper est Petri Successor; et unanimis omnium PP. consensus, qui omnes Romanam Sedem Petri Cathedram vocant; et catalogus Romanorum Pontificum, quem texuerunt prae aliis D. Iren. *l.* 3 *c.* 3., D. Epiph. *haer.* 27., D Aug. *ep.* 16., etc., inter quos primo loco Petrum recensent; et consensus omnium Christianorum usque ad Wiclefum per 15. saecula, quin aliquis id umquam in dubium vocaverit; et ipsius Petri sepulchrum, quod Roma veneratur: quibus omnibus positis, quis, nisi impudentissimus, immo stultus, ullam de hoc movere quaestionem potest? Quas autem Velenus Lutheranus consarcinat argutias, contendens probare, quod Petrus numquam Romae fuerit, quodque nec Petrus, nec Paulus Romae, sed Jerosolymis fuerint occisi, exsufflat Bellarminus *l.* 2. *de Rom. Pont. c.* 5., *et sequ.*, apud quem videri et possunt; non enim est de Institutionum ratione super rebus certissimis, et probatissimis, quas sola haereticorum impudentia negare ausit, immorari.

Diximus *non sine Christi jussu*, si enim Moysi revelatus fuit locus, quem Dominus elegerat, ut inde a Judaeis Divina oracula peterentur (Deut. 17.), quanto magis credendum est, Christum Petro manifestasse, quisnam esset ille locus, ubi constituerat Regni sui et principatum, et Sedem collocare? Cui accedit et D. Marcellus Papa, et Martyr ep. ad Antiochenos, scribens, *Petrum, Domino jubente, venisse Romam*; et D. Athan. in Apol. pro fuga sua, scribens, *Petrum Christi jussu Romae pertulisse Martyrium*; et D. Ambr. in orat. de non

tradendis Basilicis, scribens, Christum voluisse, ut Petrus Romae moreretur, et idcirco Petro fugienti dixisse: *Venio Romam iterum crucifigi*, in illius scilicet persona, qui ejus vices gerebat: quod proinde intelligens pro se dictum, Romam protinus rediit. Et demum D. Leo ser. 1. De Nat. Ap. Petri, et Pauli, scribens: *Tropheum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te Divinis praeordinationibus anteibant et honor potestatis, et gloria passionis*.

2.° Vel nemo praeter Rom. Pontificem Petro succedit, vel ipse est Petri Successor; quisnam enim Episcoporum praeter Rom. Pontificem sibi unquam vindicavit, vel vindicare potuit Petro succedere? Neminem autem Petro succedere cum ego pugnat, quod demonstravimus cap. ant.: Romanus ergo Pontifex ipse est Petri Successor.

. Demum *Romanum Pontificem* (ut praeclare disserit Canus l. 6. De loc. c. 7.) *in Petri locum, fidem, auctoritatemque succedere, Ecclesia ab Apostolorum tempore semper agnovit. Ad Romanam quippe Sedem Episcopos Ecclesiarum in causis quibusque gravissimis provocasse, ab illius ore fideles fidei semper oracula petiisse, illius judicium Catholicos omnes in Religionis controversiis expectasse, illius denique et vim, et auctoritatem Sacra omnia efflagitasse Concilia, adeo certum, et manifestum est, ut sim ego ineptus, si velim ostendere. Cumque legum Christi interpres nullus sanior sit, quam perpetuus Ecclesiae usus, quis dubitet, Romanum Pontificem esse, quem, ut Successorem Petri, ita quoque doctrinae Apostolicae Magistrum, quaestionumque de fide Judicem habemus?*

CAPUT V.

De Rom. Pontificis Primatu tum honoris, tum jurisdictionis, nec non de ejus fidei indefectibilitate.

Iam ab exordio hujus tractatus diximus, quod contra Rom. Pontificis Primatum omnes cujusvis temporis haeretici semper dimicarunt, ac dimicant; ex quibus omnium callidissimi Jansenistae, inter quos novissime Justinus Febronius, ut fucum Catholicis facerent, Rom. Pontificem, inquiunt, Primatum in Ecclesia habere, sed ordinis, et honoris tantum, vi cujus *primus est inter pares*, at non etiam jurisdictionis, seu potestatis. Utrumque tamen in Ecclesia eum habere, fides Catholica docet,

oppositumque est haereticum. Hinc praecise adversus Febronium ait Pius VI De Nunciaturis c. 1. n. 9. *Cujus doctrinae, a doctrina Ecclesiae prorsus alienae, fuernnt a S. Sede damnatae, et ab ipsis Germanicis Episcopis reprobatae.* Et paullo post citans Opusculum, cui titulus, *Colpo d' occhio sul congresso di Ems*, subdit, ibi c. 5. *invictis documentis* probari, *opus hujusmodi* (Febronii) *ab Archiepiscopis, et Episcopis Germaniae damnatum fuisse, uti scandalo, et periculo plenum, filium tenebrarum, succum haeresum, partum satanae.* Scripserunt autem contra eumdem Febronium Franciscus Ant. Zaccaria, Mamachius, Card. Gerdil, nec non B. Ligorius peculiari Dissert., cui titulus: *Vindicae pro suprema Rom. Pontificis Potestate contra Justinium Febronium.* Paullo post Febronium vero caput quoque extulit adversus Romani Pontificis Primatum Josephus Valentinus Eybel venenato opere, cui titulus latine redditus: *Quid est Papa?*; in quod etiam animadvertit laudatus Pontifex Pius VI. peculiari Brevi sub die 28. Novembris 1786. Qua super re praetermittenda item non est propositio num. 3., quam laudatus Pontifex Pius VI. proscripsit solemni sua Const., cujus initium *Auctorem fidei*, in Synodum Pistoriensem: *Propositio, quae statuit, Romanum Pontificem esse Caput Ministeriale; sic explicata* (subdit laudatus Pius VI.), *ut Romanus Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem Ministerii accipiat, qua, velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae Caput, pollet in universa Ecclesia: Haeretica.*

Contra ejus infallibilitatem autem in definiendis quaestionibus fidei, et morum, solemne est apud Theologos Gallos, quod licet in ejusmodi quaestionibus praecipuae partes sint Rom. Pontificis, ejusque Decreta ad omnes, et singulas Ecclesias pertineant, ac quisque eadem venerari, tueri, et observare teneatur, ejus tamen judicium, tametsi ex Cathedra docentis, *non est irreformabile, nisi Ecclesiae consensus accesserit.* Quod tamen in id genus quaestionibus, dum ex Cathedra definiat, errare nequeat, docent omnes fere caeteri DD.; idque, ait Canus, *Sacrarum litterarum testimonia confirmant, Pontificum Decreta finiunt, veterum Sanctorum chorus concinit, Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiae usus observat* (*l.* 6. *De loc. c.* 7.).

Eamdem sententiam vocat Suaresius tract. de fide disp. 5. sect. 8. n. 4. *veritatem catholicam*, *ac rem de fide certam*; additque contra Rogerum, qui de fide esse, negabat, Romanum Pontificem errare non posse, etsi absque Concilio Gen. definiat: *Haec propositio est*, *non solum nimis temeraria*, *sed etiam erronea*, *nam tam est constans Ecclesiae consensus*, *et Scriptorum Catholicorum concors de hac veritate sententia*, *ut eam in dubium revocare*, *nullo modo liceat.* Concinit Bellarm. *De Rom. Pont. c.* 2., de adversa sententia sic quoque inquiens: *Contraria sententia videtur erronea omnino*, *et haeresi proxima.* Bellarminum sequitur Ligorius *Theol. Mor. l.* 1. *Dissert De Potest. Pont.*; utque testantur Acta ejus Beatificat. *Vol.* 1 *sum. p* 208. *e v.* 2. *Inf. sup virt. p.* 67;, paratum se esse, ajebat, ad sanguinem fundendum pro tuenda utraque veritate tum Primatus, tum infallibilitatis Rom. Pontificis. Discant hinc Clericali praesertim Militiae adscripti, quibus animi sensibus Apostolicam Sedem, ejusque judicia prosequi, ac venerari teneantur; inde enim fiet, quemadmodum idem Ligorius voce, scriptis, exemplo monere non desinebat, ut numquam a recta credendi norma possint excidere. Sed ut ad propositum redeamus, de eadem quaestione agens Duvallius, etsi Doctor Sorbonicus, De Sup Pont p. 1. q. 7. *Opinio* (*ait*), *quae Romae tenetur*, *vacat omni temeritate*, *cum totus Orbis*, *exceptis paucalis Doctoribus*, *eam amplectatur*, *et praeterea rationibus validissimis tum ex Scriptura*, *Conciliis*, *et Patribus*, *tum ex principiis Theologiae potius confirmatur.* Et p 4. q. 7. addit, quod *nemo nunc est in Ecclesia*, *qui ita pro certo non sentiat*, *praeter Vigorium*, *et Richerium*, *quorum si vera esset sententia*, *totus fere Orbis Christianus*, *qui contrarium sentit*, *in fide turpiter erraret.* Nedum demum Suaresius, ut supra diximus, verum etiam Lucius Ferraris illam absolute appellat de fide *V. Papa n* 41.

Ut vero definiat ex Cathedra, duo requiruntur: 1.°, ut res ad fidem, vel mores spectet; idque per se, et proxime, non autem per accidens, et remote. 2.° ut loquatur, tamquam Magister universalis Ecclesiae, obligans nempe omnes fideles ad credendum, et confitendum, quod ipse proponit. Quibus duobus etsi quidam addiderint, quod mature procedat, Sapientum judicium audiendo; prorsus tamen immerito: ut enim Ligorius disserit l.

cit. Diss. sup. Rom. Pont. ; *infallibilitatis promissio non Consiliariis, vel examini, sed ipsi in persona Petri fuit a Christo facta; pertinebitque ad Providentiam Spiritus Sancti, ut recte ait Suaresius, quod Pontifex non temere, nec imprudenter in re tam magni momenti, uti est depositum fidei, et morum, aliquid unquam decernat.* Utque scripserat Bellarm. De Rom. Pont. c. 2., *parum prodesset scire, Pontificem non erraturum, quando non temere definit, nisi etiam sciremus, non permissurum Dei Providentiam, ut ille temere definiat.* Qua super re consulantur quoque quae diximus tract. 3. cap. 4. prop. 4. part. 4. Quibus praemissis, sit.

Prop. Romanus Pontifex Primatum jure Divino habet in Ecclesia tum honoris, tum jurisdictionis; nec umquam in fidei controversiis ex cathedra definiens errare potest. Prima pars est de fide; altera saltem fidei proxima.

Probatur autem utraque 1.° ex ostensis c. 3., quod nempe jure Divino adesse debet in Ecclesia aliquis D. Petri Successor tum in Primatu honoris, ac jurisdictionis, tum in fidei indefectibilitate. Ex ostensis porro c. ant. Romanus Pontifex ipse, et non alius est Petri Successor: Idem ergo, et non alius Primatum jure Divino habet etc.

2.° Ex Patrum, et Conciliorum textibus c. ant. allatis, qui omnes dum asserunt, quod Rom. Pontifex ipse est Petri Successor, asserunt simul, et quod habet in Ecclesia Primatum honoris, et jurisdictionis, et quod in fidei controversiis ejus judicium est infallibile. Quorum tamen postremum quia non desunt ex Catholicis, qui illud insectari non verentur, vel saltem animis ingerere, quod utraque sententia sit gravibus momentis fulcita, ac de earum numero, quas quisque pro libito refellere, aut tueri possit; Pontificiae idcirco infallibilitatis sententiam aliis quoque et luculentissimis Patrum testimoniis, et gravissimis momentis magis semper, magisque comprobemus. Praeeant porro eorum agmen tres ex principalioribus Doctoribus.

Ita ergo D. Ambr. ep. ad Siricium Pont. *Quid plura apud Magistrum, atque Doctorem? Itaque Jovinianum, Auxentium, etc., quos Sanctitas tua damnavit, scias, apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos.* Et l. de obitu fratris sui Satyri c. 7. pro eodem penitus habet, catholicum esse, et cum Romana Ecclesia convenire. Ita quoque D. Aug. ser. 2. de verbis

Ap., ubi: *Iam de causa Pelagianorum duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est.* Et l. 2. c. 3. cont. duas ep. Pelag. *Litteris Innocentii tota de hac re dubitatio sublata est.* Neutrum autem fuisset, si Rom. Pontificis iudicium in ejusmodi rebus fallax vel esset, vel esse posset. Et ep. 106. ad Donatist. n. 16. *Deus* (inquit) *in Cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis.* Cathedram autem unitatis esse Petri, ejusque Successorum Cathedram, in comperto est. Et ep. 157. *In verbis Apostolicae Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, et clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.* Ita quoque D. Hieron. ep. ad Damasum in causa, an in Deo dicendae essent tres hypostases, vel una hypostasis: *Ego Beatitudini tuae communione consocior; super hanc petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Non novi Vitalem, Meletium respuo, Paulinum ignoro. Quicumque tecum non colligit, spargit. . A Pastore praesidium ovis flagito; non timebo tres hypostases dicere; si iubebis. Hic in tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat; ego autem clamito: Si quis Cathedrae Petri jungitur, meus est.*

Audiatur item D. Cypr. l. 4. ep. 9. *Qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse, non confidat.* Et de simpl. prael. tr. 3., alienum, ait, esse, profanum esse, hostem esse, qui universalis Ecclesiae non tenet unitatem, hoc est, *lumen unum, unde multi radii; radicem unam, unde multi rami, petram unam, supra quam Ecclesia aedificata est; unum Pontificem qui caeteros omnes sua vi, et auctoritate contineat.* Item D. Cyrill. Alex. ep. ad Coelest. Pont. in causa Nestorii: *Non prius Nestorii communionem palam, aperteque deseruimus, quam Pietati tuae indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, praescribere, quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere ei denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, et praedicat.* Item. D. Leo M. ser. 5 c. 4. *Soliditas illa fidei, quae in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est. Soliditas enim illa, quam de petra Christo, etiam ipse Petrus petra factus, accepit, in suos quoque se transfudit haeredes.* Item D. Petrus Chry-

sologus ep. ad Eutychem: *In omnibus hortamur te, ut his, quae a Beatissimo Papa Romanae Urbis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.*

Item D. Maximus Martyr, loquens de Pyrrho Patr. Constantinop., et Monothelita, *si vult* (inquit) *haereticus non esse, nec audiri, non isti, aut illi satisfaciat. Festinet pro omnibus Sedi Romanae satisfacere; hac enim satisfacta, communiter omnes pium, et orthodoxum praedicabunt.* Sergius quoque Cypri Episcopus scribens in causa Monothelitarum ad Theodorum Pont., *Tu* (ait) *profanarum haeresum profligator existis, ut Princeps, et Doctor immaculatae fidei. Itaque non despicias fratrum tuorum fidem aestuantem, et ab aliquibus haeretcis ventis violentatam, nec non periclitantem. Resolve nebulam insipientium lumine tuae Divinae Scientiae, o Sanctissime.* Et eorumdem Monothelitarum causa ita quoque ad eumdem Theodorum Primates Numidiae, Byzacenae, et Mauritaniae: *Magnum, et indeficientem apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere potest. Cui etiam in honorem Beatissimi Petri Patrum Decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino, et sollicite debent, maxime vero, justeque ab ipso Praesulum examinari vertice Apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid, quamquam in remotis, et in longinquo positis ageretur Provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almae Sedis vestrae fuisset deductum, ut hujus auctoritate justa quae fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent caeterae Ecclesiae, velut de natali suo fonte, praedicationis exordium, et per diversas Mundi regiones puritatis incorrupta maneant fidei Sacramenta salutis.*

Praeclara etiam sunt, nec omittenda D. Bernardi verba ad Innoc. Pont. ep. 190. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum scandala quaeque, et pericula emergentia in Regno Dei, ea praesertim, quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum; haec quippe hujus praerogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides*

tua ? Ergo quod sequitur , a Petri Successore exigitur : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Qua super re sint demum pro coronide D. Thomae verba 2. 2. qu. 1. a. 10., ubi de Rom. Pont. docet, quod ad eum *pertinet finaliter determinare ea , quae sunt fidei , ut ab omnibus inconcussa fide teneantur* , ipsamque *symboli editionem*. Idem autem dictu est, quod *finaliter*, quodque *infallibiliter*.

Ad hoc idem propositum collimant quoque Concilia Generalia superius relata , Constantinopolitanum II. , III., et IV.; quibus omnibus sequantur alia itidem momenta.

Et 1.°, ut praeclare Canus argumentatur l. 6. De loc. § 7. , *qui negaret in ligando , atque solvendo eamdem potestatem in Romano nunc Episcopo inesse , quam Petro Christus contulisse creditur , is jure , ac merito haberetur haereticus. Qui ergo firmitatem Petri ad fratres in fide confirmandos his ; qui Petro succedunt , denegaverit , hic haereticus quoque judicandus erit.* Subdit quidem : *Sed nolo ego Ecclesiae judicium antevertere:* At relatis Martini verbis in fine Concilii Constantiensis : *Sacro approbante Concilio , mandamus Archiepiscopis , Episcopis , etc. , ut qui de Sacramento Corporis , et Sanguinis Domini , vel de baptismate , seu peccatorum confessione , poenitentiae pro peccatis injunctione , vel reliquis Ecclesiae Sacramentis , seu fidei articulis aliter sentit , ac docet , quam Sacrosancta Romana Ecclesia docet, et observat, eum, tamquam haereticum, judicetis* ; relatis, inquam , his Martini verbis , ita pergit : *Quamquam non videor antevertere , cum jam ipsius Ecclesiae sermo nostram omnem comprobarit de Romanae Sedis auctoritate sententiam. Sed hoc vix aegre dico propter viros quosdam doctos , et pios , qui nos contradixerunt. Illud assero , et fidenter quidem assero , pestem eos Ecclesiae , ac perniciem afferre , qui aut negant, Rom. Pontificem Petro in fidei , doctrinaeque auctoritate succedere , aut certe astruunt , Summum Ecclesiae Pastorem errare in fidei judicio posse. Utrumque scilicet haeretici faciunt ; qui vero illis in utroque repugnant , hi in Ecclesia Catholici habentur.* Nihil profecto solidius.

2.° Cum Ecclesia sit una , adesse in ea debet quoddam unitatis centrum. Hoc autem esse nequit , nisi ejus Supremum Caput , quod est Romanus Pontifex , infallibilitatis privilegio gaudens in iis , quae sunt fidei , et mo-

rum, quo omnes in unitate contineat: *Neque enim* (ajebat D. Cyprianus l. 1. ep. ad Cornel.) *aliunde haereses obortae sunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.* Hinc quoque D. Hieron. Dial. adv. Luciferianos: *Si non est in Ecclesia una eminens potestas, tot futura sunt schismata, quot Sacerdotes.* Hinc quoque laudatus D. Thom. l. 4. cont. Gentes c. 76. *Per diversitatem autem sententiarum dividetur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservetur.* Additque 2. 2. qu. 1. art. 9. ad 2. *Una fides debet esse totius Ecclesiae secundum illud 1. ad Cor. 1. Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur.*

3.° Quod necesse sit idem, quod credit Romana Ecclesia, nec aliter, credere, ipsimet Galli, qui nobis in quaestione, de qua agimus, adversantur, admittere tamen coguntur, verbisque amplissimis profitentur. Et sane infensissimus profecto Pontificiae infallibilitati fuit Tournelius: ita tamen scribit tom. 1. De Ecclesia a. 6. *Cum Romana, seu Apostolica Sedes centrum sit, ac vinculum unitatis, et communionis Catholicae, nemo Catholicus haberi potest, nisi qui unitate fidei, ac doctrinae cum ea conjunctus fuerit. - Haec unio cum Ecclesia Romana semper necessaria fuit, omnibusque saeculis spectata, tamquam certissimum verae fidei, ac purioris doctrinae signum, et argumentum.* Et paullo ante: *Catholica Christi Ecclesia dicitur Romana tum a disciplina generali, tum maxime ab ipsa fide, quae una esse debet cum Romana in omnibus, et singulis Ecclesiis.* Concinit Bossuetius in concione habita in famosis Comitiis Cleri Gallicani celebratis an. 1682., atque horum jussu typis mandata, et evulgata: *Fides Romana semper est fides universalis Ecclesiae, idcirco quod creditum est hactenus, etiamnum creditur, et in posterum credetur semper; eadem etenim vox aeternum personat ubique, Petrusque in Successoribus suis aeternum manet fidelium fundamentum.* Immo Ecclesia ipsa Gallicana in conventu Melodunensi an. 1579. declaravit, fideles omnes credere, et profiteri debere ea omnia, *quae credit, et profitetur Sancta Ecclesia Romana, quae est*

Magistra, calumna, et firmamentum veritatis. Ex quibus omnibus simul congestis patet, ipsorum quoque Gallorum sententiam esse, quod necesse est, idem, quod credit Romana Ecclesia, nec aliter, credere. Nihil autem insulsius, quam subinde cum iis distinguere inter Ecclesiam Romanam, et Romanum Pontificem. Et sane, ut invictissime disserit Canus, num 1.° cum ad Sedem Apostolicam accedimus fidei oracula postulaturi, singulos Romanae Ecclesiae fideles interrogamus, vel Ecclesiam ipsam Romanam in Concilium cogimus; an vero Pontificis Max. judicium quaerimus, ejusque sententiam expectamus? 2.° num Romanus populus est, qui Ecclesiam universalem docet ea, quae ad fidem attinent; an vero Romanus Episcopus? Num potestas judicandi de causis fidei, ligandi, solvendi, pascendi in populo Romano est, an vero in Romano Pastore? Num Concilia Generalia postularunt umquam confirmationem, et robur ab ipsa Romana plebe, an vero a plebis Romanae Antistite? 3.° nonne sicut omnibus simul Episcopis docentibus errorem, necesse esset, totam Ecclesiam in errore versari; ita si Pastor Ecclesiae Romanae errorem fidei contrarium doceret, oves quoque, errante Pastore, dispergerentur? 4.° fuitne Ecclesiae Romanae, an potius Petro firmitatis privilegium illis verbis collatum: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; et tu confirma fratres tuos.* Et: *Tu es Petrus; et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam?* In Petro igitur, et successoribus primum fidei agnoscere debemus firmitatem, mox vero in Ecclesia Romana, cujus Petrus cum Successoribus Caput, et fundamentum est. Quibus perpensis, sicut nemo non videt, fidei firmitatem, qua Romana, seu Apostolica Sedes gaudet, ab eo, qui in illa sedet, proficisci; ita inficiari nemo potest, eamdem quoque firmitatem huic tribuendam esse; ut enim illud Philosophorum effatum ait: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.*

Nec praetermittendum heic loci est, allatam Ecclesiae Rom. a Romano Pontifice distinctionem inintelligibilem quoque esse: audiatur enim quoad eam magnus caeteroqui Bossuetius Defensio etc. tom. 2. p. 191. *Accipiendi Romani Pontifices sunt, tamquam una persona Petri, in qua numquam fides Petri deficiat; atque ut in aliquibus vacillet, aut concidat, non tamen deficit in totum; quin statim revictura sit, nec porro aliter ad consumma-*

tionem usque saeculi in tota Pontificum successione eventurum esse, certa fide credimus. Quis autem non mirabitur adeo inepta e gravi Bossuetii calamo excidisse, ut testimoniorum molem tam Scripturae, quam PP. super Pontificia infallibilitate evaderet? *Quai ragnateli*; (praeclare hac super re alibi laudatus Le Maistre c. 11.) *quali sottigliezze indegne di Bossuet? Ciò è presso a poco lo stesso, come se avesse detto, che tutti gl' Imperadori Romani debbono essere considerati, come la persona di Augusto continuata; che se la saggezza, e l' umanità sembrarono vacillar qualche volta su quel Trono nelle persone, come Tiberio, Nerone, Caligola, ec., non si potrebbe dir nondimeno, ch' elleno sieno giammai interamente mancate, giacchè dovevano ben tosto risuscitare nelle persone degli Antonini, dei Trajani, ec.* Apage nugas.

Caeterum, ut magno etiam Bossuetii consulatur nomini, non absque solida probabilitate negatur, quod opus sub titulo: *Defensio Declarationis Cleri Gallicani*, e quo excerpta sunt quotquot ex Bossuetio objiciuntur adversus Rom. Pontificis auctoritatem, sit ejus foetus genuinus: 1.° cum numquam ejus originale visum fuerit, sed in publicam lucem prodierit Luxemburgi, et Basileae an. 1730., ideoque viginti sex annis post mortem Bossuetii. Ait quidem Editor Anonymus, illud *summo studio ad fidem autographi codicis exegisse*. Quis tamen facile fidem dabit cuidam Anonymo, qui extra Galliam in publicam lucem edit quamdam Cleri Gallicani defensionem; et quidem, ut idem ait, a Galliarum Rege imperatam? Nec non aetate, qua sub nomine aliorum quoque Clarissimorum Virorum alia et Opera edebantur posthuma, ac sub ipsius Bossuetii nomine posthumum quoque aliud apparuit Gallico idiomate, cui titulus italice: *Giustificazione delle riflessioni Morali del P. Quesnel*, sublatis tamen centum supra viginti correctionibus hic, atque illic in Quesnelli Opere a Bossuetio postulatis, tribus, vel quatuor minoris negotii tantum exceptis? 2.° nedum in praefatione, sed et part. 1. cap. 12., et 13. magna ibi elogia Bossuetii habentur. Haec autem suimet Bossuetium fecisse, quis credet? 3.° Bossuetius oratione 1.ª ab eo habita in Comitiis anni 1682., *unum* (ait), *vel alterum e Romanis Pontificibus, qui contra omnium suorum Praedecessorum morem satis non explicaverit fidei doctri-*

nam, vix reperiri: dum e contrario Auctor *Defensionis etc.* multos ex iis traducit, tamquam errantes, et haereticos, qui Scripturis, et Traditioni ipsius Romanae Ecclesiae repugnaverint. Habitaque ab eodem Bossuetio in Comitiis ejusdem anni altera Oratione, ait, Romanis Pontificibus deberi omnem illam auctoritatem, quam in iis Majores semper agnovere; quamque, ut Soardus ostendit in Opere, cui titulus: *De Suprema Rom. Pontificis auctoritate hodierna Ecclesiae Gallicanae doctrina*, infallibilem esse in iis, quae sunt fidei, ac morum, Gallicana Ecclesia a D. Ireuaeo usque ad epocham quatuor famosarum propositionum semper agnovit: dum e contrario Auctor *Defensionis etc.* totis viribus conatur eorum prorsus infallibilitatem e medio tollere. Quis autem dicet, et quidem Opere posthumo ductus, adeo Bossuetium sibi contradixisse? Quibus perpensis, profecto non absque solida probabilitate negatur, Opus illud genuinum Bossuetii foetum fuisse. Qua super re adest quoque celebris Dissertatio, cui titulus: *An Bossuetius sit Auctor libri*: Defensio Gallicanae Declarationis *etc. Ingolstadii* 1789.; ubi ejus Auctor, qui dicitur P. Froelich Ordinis S. Benedicti Congr. Casinensis, tum allatis, tum aliis etiam momentis probat, falso Opus illud Bossuetio tribui; sed sub ejus nomine ab hostibus Pontificiae infallibilitatis evulgatum fuisse, ut tanti Viri auctoritate caeteris quodammodo imponerent. Sed ad propositum redeamus.

3.° Ut alibi ostendimus tract. ant. c. 1. prop. 4., licitum quidem est a Concilio Generali appellare ad Rom. Pontificem; illicitum vero, ac poenis canonicis vetitum, etiamque ex D. Antonino *haereticum*, a Romani Pontificis judicio appellare ad Concilium Generale. Si autem Romani Pontificis judicium esset fallax, Concilii vero verax, et certum, naturae, rationi, ac verae Theologiae adversaretur, qui appellationem a Pontifice ad Concilium negaret: Non ergo fallax Rom. Pontificis judicium, sed verax aeque, ac certum.

4.° Ecclesiae consensus, ut Rom. Pontificis judicium juxta Gallos sit irreformabile, vel significat omnium fidelium, vel omnium, aut saltem plurimorum Episcoporum consensum. Nihil autem horum dici potest, quin cum ingenti Religionis damno latissima aperiatur janua innumeris ex parte contumacium tergiversationibus. Non 1.m, tum quia ex ostensis tract. 1. c. 2. prop. 3., et

sequ., et tract. 3. c. 4. prop. 2., non sunt simplices fideles idonei Judices controversiarum fidei: tum quia donec eorum omnium exploraretur consensus, nonne error interim grassaretur, et in fidelium perniciem radices ageret? Non alterum, 1.° enim quantonam tempore opus esset, donec nova Rom. Pontificis Constitutio ad omnium Episcoporum, etiam in Oriente, et Indiis habitantium notitiam perveniret, et inde certi redirent nuntii de eorum saltem tacito consensu? Ac 2.° etiam, an non, uno, aut altero reclamante Episcopo, nullam haberet vim Pontificia definitio; nec proinde, si aliquis Episcopus veritati contumaciter reluctaret, damnari umquam posset, nisi libenter suae consentiret damnationi? Non postremum denique, tum quia quantum quoque temporis, laborisque requireretur, ut appareret, quod major Episcoporum toto Orbe diffusorum pars Pontifici adhaeret? Tum quia quidnam eveniret, si pars eorum aequalis, vel major, a Supremo suo Capite revulsa, ejus decisioni resisteret, et in fide erraret, sicut aliquando contigit? In hoc autem casu quisnam litem dirimeret, nisi Supremus Judex in Ecclesia agnoscatur, qui in fidei causis decidendis infallibilitatis privilegio gaudeat, etiam antequam Ecclesiae consensus accedat? Quaenam pateret via haeresibus, schismatibusque extinguendis? Nulla plane, ut praeclare ait D. Th. 2. 2. *qu.* 1. *a.* 5. *ad* 2., ubi primum ait, quod Symbolis discimus veritates fidei, deinde vero pergit: *Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis.*. Et paullo post art. 9. ad 2., *Una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud 1. ad Cor. 1.: Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur.* Et praeiverat D. Cypr. ep. 55., ubi post verba ibidem quoque a nobis allata: *Non aliunde haereses obortae sunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et ad tempus Judex vice Christi cogitatur*, subdit: *Cui si secundum Magisteria Divina obtemperaret fraternitas universa.. nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens, ac tumens scorsim foris haeresim novam conderet.*

5.° Si Romanus Pontifex suam ab Ecclesia infallibi-

litatem mutuaretur, sequeretur ex hoc et quod non jam Ecclesia super ipsum, sed ipse super Ecclesiam fundaretur; et quod non ipse, tamquam Petri Successor, confirmaret fratres suos, sed ipse a fratribus suis confirmaretur; et demum quod Summus Ecclesiae Pontifex nihil supra caeteros Episcopos, immo simplices fideles haberet, accedente enim Ecclesiae consensu, cujusvis etiam Episcopi, immo simplicis fidelis judicium est quoque irreformabile; quo posito, neque etiam praecipuae illae partes, quae in quaestionibus fidei ab ipsis Gallis Romano Pontifici tribuuntur, ullibi amplius consisterent. Haec autem totidem esse absurda, nemo profecto est, qui non videat: Non ergo eum ab Ecclesia infallibilitatem mutuari, sed a Supremo, quo potitur, Pontificatu habere, dicendum est.

6. Ecclesiae regimen procul dubio est Monarchicum. Democraticum esse, docuit Richerius; ac deinde Quesnellus, ut patet ex ejus prop. n. 90., quam simul cum aliis 101. Clemens XI. proscripsit Const. *Unigenitus*, ubi: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem praesumpto totius Corporis.* Nec non Ep. Pistor. Scipio De Ricciis, et sua Syn., ut patet ex 2. ejus prop., in quam Pius VI. laud Const., cujus initium, *Auctorem fidei*, ita animadvertit: *Propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus Ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur Ecclesiastici Ministerii, ac regiminis potestas: haeretica.* Aristocraticum vero esse, docuit Marcus Antonius De Dominis, Archiepiscopus Spalatrensis; vel potius et ipse docuit Democraticum esse, ut satis colligitur ex censura in eum lata a Facultate Parisiensi, de qua trac. 3. c. 4. prop. 2., parte 3.. De fide tamen est, illud esse Monarchicum: quare, ut loquitur Gersonius, quisquis pertinaciter id impugnaret, esset haereticus, caderet enim in haeresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiae usque hodie, tam per institutionem Christi de Principatu Petri super alios Apostolos, quam per Traditionem totius Ecclesiae (*tract. de statibus Eccles. cons. 1.*). Nec Monarchico Ecclesiae regimini aliquid detrahit Episcoporum potestas, tum quia Christus quum Episcopalem Ordinem instituit, nullos distinxit fines Ecclesiarum, quibus singuli Episcopi essent praeficiendi, quod idcirco humano jure fieri debuit, nec

fieri, nisi auctoritate ejus, qui universim Ecclesiis omnibus praefectus est: tum quia Episcopalis potestatis exercendae modus subest Romani Pontificis judicio, cui non minus ovium, quam Pastorum cura commissa est, ut tamquam Princeps, et Moderator totius Ecclesiae constitueret quidquid ratio temporum, et communis salus postulare videretur. Hinc D. Leo ait ep. 14. c. 1., Episcopos *in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis esse vocatos*. Idem autem dictu est, quod Ecclesiae Regimen sit Monarchicum, quodque ejus Supremus Rector, seu Summus Pontifex sit infallibilis in iis, quae ad fidem, ac mores spectant, et quidem infallibilitate eiusdem ordinis, cujus est Ecclesiae Regimen, ideoque ordinis Divini, cui nequeat prorsus subesse falsum; ut enim disserit non semel laudatus Comes Le Maistre, in opere cit., cui titulus *Del Papa c. 1. e. 2. L' infallibilità nell' ordine spirituale, e la Sovranità nell' ordine temporale, sono due vocaboli perfettamente sinonimi. Esprimono entrambi quell' alto potere, che governa, e non è governato, che giudica, e non è giudicato; imperocchè ogni governo assoluto dal momento, in cui gli si può resistere sotto pretesto di errore, o d' ingiustizia, esso non più esiste . . . Stabilita che siasi la forma Monarchica, l' infallibilità, non è altro, che una conseguenza necessaria della Supremazia; o piuttosto è assolutamente la cosa stessa sotto due nomi differenti . . . Colui, che avesse il dritto di dire al Papa; che si è ingannato, avrebbe per l' istessa ragione il dritto di dissubidirgli; il che annienterebbe la Supremazia . . . Si ricorrerebbe indarno ai Concilj, imperocchè una Sovranità periodica, o intermittente è una contradizione in termini, atteso che la Sovranità debbe costantemente vivere, vigilare, agire. Non havvi per lei differenza alcuna fra il sonno, e la morte. D' altronde i Concilj nulla decidono senza appellazione, se non sono universali; e siffatti Concilj traggono seco sì grandi inconvenienti, che non può essere entrato nelle viste della Provvidenza, di confidar loro il governo della sua Chiesa.*

7.° Quod nemo hactenus Romanorum Pontificum aliquem in fide errorem ex Cathedra docuerit, sed quisquis eorum aliquid ex Cathedra definiit, fuerit semper fidei consentaneum, nec unquam a veritatis tramite deflexerit, ostendit et Canus *l.* 6. *de Loc. c.* 8., et Bellarm. *De*

Rom. Pont. c. 8., *et sequ.*, et Lucius Ferraris *V. Papa n.* 48., aliique etiam ex ipsis Gallis, ut Antoine, Chambres, etc.. Quid autem inde pronum est inferre, nisi quod definiens ex Cathedra errare in fide non possit? Nec omittendum, quod docet laud. Bellarm. *l. cit. c.* 6., scilicet probabile esse, pieque credi posse, Summum Pontificem, non solum, ut Pontificem, errare non posse, sed etiam, ut particularem personam, haereticum esse non posse, falsum nempe aliquid contra fidem *pertinaciter* docendo. Quod probat 1.° ex eo quod Summus Pontifex cum debeat, veram fidem semper praedicando, totam confirmare Ecclesiam, id videtur requirere suavis Dei Providentiae dispositio, etenim posset quidem Deus ex corde haeretico extorquere verae fidei confessionem, sicut olim verba articulata ex ore Asinae Balaam; sed violentum id esset, et contra morem ejus Providentiae omnia suaviter disponentis. 2.° Ex eventu; nam de aliarum Sedium Patriarchis scimus, quod Constantinopoli sedit Nestorius haeresiarca, nec non Sergius, et Pyrrhus Monothelitae; Alexandriae Gregorius, et Lucius Ariani, et Dioscorus Eutychianus; Antiochiae Paulus Samosatenus haeresiarca, et Macarius Monothelita; Jerosolymis Eutychius, et Hilarius Arianismo imbuti, et Joannes, qui Origenistas fovit. Quisnam tamen Romanorum Pontificum hactenus fuit haereticus, ac certe de quo probari potest, quod haereticus fuerit? Quidnam autem pronum est inde inferre, nisi quod talis esse non possit? Nec valet, dicere, quod *C. Si Papa* 6. *Dist.* 40. supponitur, Papam, ut Personam privatam, posse a fide deficere; dicitur enim, quod a nemine propter quodcumque crimen judicari potest, *nisi deprehendatur a fide devius*. Nam resp., quod textus ille non est alicujus Pontificis, aut Concilii Generalis, sed cujusdam Bonifacii Episcopi Moguntini, qui hujusmodi opinionis esse potuit; sed a qua nos et recedere libenter possumus, et allatis rationibus ducti ultro recedimus.

Objic. 1.° contra Rom. Pontificis Primatum, quod si munus universam Ecclesiam regendi singulis Episcopis convenit, sibique illud immediate demandatum a Christo habent, nullus profecto locus illi Primatui superest, quem Romano Pontifici attribuimus. Nullus autem universam Ecclesiam regendi singulis Episcopis convenit, sibique illud immediate demandatum a Christo habent, tum quia aeque omnibus Episcopis dictum legitur Act. 20. *Atten-*

dite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; tum quia Episcopos Apostolis succedere, docuit et Florentinum in Instruct. ad Armenos, et Trid. sess. 23. cap. 4.; Apostoli vero, non in partem Ecclesiae, sed in universam Ecclesiam generalem potestatem, omnemque jurisdictionem immediate a Christo acceperunt: Nullus ergo locus illi superest Primatui, quem Rom. Pontifici attribuimus.

R. neg. min., competit enim singulis Episcopis munus Ecclesiam regendi, non tamen universam, sed illam partem tantum, quae iis regenda commissa fuerit; quem profecto sensum recte suscipiunt relata Actuum verba; unde et illis D. Petrus ep. 1. c. 5. non ait absolute, et indiscrete: *Pascite gregem Dei*, sed: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*. Sunt vero Episcopi Apostolorum Successores non in omnibus, et eo modo, quo unus Episcopus alteri, et unus Rex alteri succedit, sed. ratione ordinis Episcopalis, et per quamdam similitudinem, et proportionem, quia nimirum, sicut, Christo in Terris vivente, primi sub ipso erant 12. Apostoli, deinde 72. Discipuli, ita et modo primi sub Rom. Pontifice sunt Episcopi, deinde Presbyteri, Diaconi, etc. Iis proinde succedunt duplici praefata ratione: at neque in hoc quod habeant, prout Apostoli potestatem, ac jurisdictionem in universam Ecclesiam; neque in hoc, quod potestatem regendi eorum Diocesim immediate, prout iidem, a Christo habeant.

Sed ut ambo clarius intelligantur, atque ab eo, quod 1.° diximus, exordiamur, potestatem, ac jurisdictionem in universam Ecclesiam Christum Apostolis dedisse, evidenter infertur, quemadmodum etiam c. 1.° resp. ad ult. inquimus, ex illis verbis Matth. 18. *Quaecumque alligaveritis super Terram, erunt ligata et in Coelo etc.* Et ex illis Matth. ult. *Euntes docete omnes Gentes*. Et ex illis Marci ult. *Euntes in Mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae*. Itemque ex illis Jo. ult. *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos*. Ita sane. Quia tamen haec potestas, et jurisdictio fuit in Apostolis extraordinaria, quatenus nempe erant Spiritu Sancto pleni, et Evangelii praecones in Universum Orbem a Christo missi; ac si in ea Episcopi Apostolis successissent, Ecclesia non potuisset temporis saltem processu unitatem servare: in ea idcirco Episcopi Apostolis non succedunt, sed tantum iis

succedunt in ordinaria, quam nempe singuli Apostoli in suas Ecclesias habuerunt, ut Jacobus in Ecclesiam Jerosolymitanam, etc. En quoad potestatem regendi Ecclesiam, quomodo Episcopi Apostolis succedunt, secus namque Ecclesia, ut diximus, non potuisset profecto unitatem servare. Hinc apposite D. Cypr. l. 1. de unit. Eccl. *Quamvis Apostolis omnibus Christus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat, Sicut misit me Pater etc.; tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. . . . Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur.*

Quoad alterum vero, potestatem quidem, ac jurisdictionem in universam Ecclesiam immediate a Christo Apostoli habuerunt, ut ex praefatis Christi verbis colligitur, et ex eo etiam, quod D. Paulus de se ait ad Gal. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, et Deum Patrem.* Neque tamen in hoc Episcopi Apostolis succedunt; sed, dum omnes communiter docent, quod potestatem quidem Ordinis Episcopalis a Christo immediate habent, probabilior simul sententia docet cum Bellarm. *De Rom. Pont. c.* 22., quod suam in Dioecesim jurisdictionem non immediate a Christo, sed a Rom. Pontifice accipiunt: idque probatur 1.° ex PP.; ita enim Tertullianus Scorpiae c. 10. *Memento, claves Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse.* Item D. Cyprianus ep. 33., ubi allatis Christi verbis: *Tu es Petrus, et super hanc petram etc. etc.*, pergit: *Inde . . Episcoporum ordinatio, et Ecclesiarum ratio decurrit.* Item D. Greg. Nissaenus edit. Paris. in fol. tom. 3. p. 314. *Per Petrum Episcopis dedit Christus claves coelestium bonorum.* Item D. Aug. ser. 296. n. 11. *Commendavit nobis Dominus oves suas, quia Petro commendavit.* Item D. Optatus Milevitanus l. 7. cont. Parmenian. n. 3. *Bono unitatis B. Petrus . . et praeferri Apostolis omnibus meruit, et claves Regni Coelorum communicandas caeteris solus accepit.* Item Innoc. I. ep. 29. ad Africae Episcopos: *A Petro ipse Episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit.* Item D. Leo serm. 4. in anniv. suae Assumpt. *Numquam, nisi per ipsum* (Petrum) *dedit quidquid aliis non negavit.* Et ep. 10. *Ut ab ipso* (Petro), *quasi quodam Capite, dona sua velit in corpus omne manare.* Et ep. 89. *Hujus muneris Sacra-*

mentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam Capite, dona sua, velut in corpus omne, diffunderet. De quo demum rationem reddens D. Th. l. 4. *cont. Gentes c.* 76., quorsum, ait, soli Petro dixit Christus; *Tibi dabo claves Regni Coelorum, nisi ut ostenderetur potestas Clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiae unitatem?* Quod si aliqui ex PP. videntur oppositum docuisse, locuti sunt tamen vel de potestate Ordinis, quae procul dubio est immediate a Christo; vel eo sensu, quo ait Ap. ad Rom. 8.: *Non est potestas, nisi a Deo*; quia nempe, licet Christus immediate non conferat Episcopis potestatem jurisdictionis, ipse tamen voluit, instituitque, ut per Petri Successores illis conferatur.

2.° Ex similitudinibus, quibus D. Cyprianus utitur *l. de unit Eccl.*, ubi Sedem Petri comparat capiti, radici, fonti, ac Soli. In omni autem corpore virtus membrorum derivatur a capite; in omni arbore virtus ramorum oritur radice; in omnibus rivis aqua fluit ex fonte; omniumque demum radiorum solarium lux est a Sole: Aeque igitur omnis potestas jurisdictionis in Episcopis a Supremo Pontifice agnoscenda est.

3.° Si potestas jurisdictionis in Episcopis immediate a Christo esset, profecto sicut omnes pares sunt quoad ordinem, ita omnes pares essent quoad jurisdictionem, numquam enim Christus Episcoporum jurisdictionem per se determinavit. Falsum autem, quod omnes pares sint quoad jurisdictionem: Non ergo hanc immediate a Christo habent.

4.° Demum si eam immediate a Christo haberent, non posset Rom. Pontifex illam alicui Episcopo vel auferre, vel imminuere, nisi dicere velimus, hominem posse auferre, vel imminuere, quod Christus dederit. Illam autem iis posse et imminuere, et prorsus etiam auferre, semper Ecclesia agnovit, et perspicuum est ex historia Ecclesiastica: Ergo. Nec valet dicere, quod Summus Pontifex potest iis auferre, vel imminuere jurisdictionem, vel quia suam Episcopi jurisdictionem immediate quidem a Deo habent, sed tamen sub Pontifice: vel tantum auferendo illis materiam subjectam, idest populum, cui praesunt; qua ratione illis proprie non aufert jurisdictionem a Christo acceptam, sed indirecte efficit, ut illam perdant. Resp.

enim ad 1.m , quod etiam Apostoli habuerunt potestatem sub Petro; et tamen, quia eam immediate a Christo habuerant, non poterat Petrus eam illis auferre; vel imminuere. Sicut etiam ordinis potestatem omnes Presbyteri habent sub Pontifice; et tamen, quia eam immediate a Christo habent, non potest Pontifex eam illis ita tollere, ut, si velint, non possint valide ea uti. Aeque igitur si Episcopi potestatem jurisdictionis immediate a Christo haberent, non posset Pontifex eam illis tollere, vel imminuere, quia eamdem sub illo habent. Ad 2.m vero, quod cum potestas jurisdictionis significet relationem Prelati ad subditum, eaque sit relativorum natura, quod, uno posito, vel sublato, alterum quoque ponatur, vel tollatur: hinc si Pontifex non posset directe auferre, vel imminuere Episcopis potestatem jurisdictionis, neque etiam indirecte id posset, auferendo scilicet, vel imminuendo materiam illi subjectam.

Ita igitur probabilior sententia quoad quaestionem, an potestatem jurisdictionis habeant Episcopi immediate a Christo, vel potius a Romano Pontifice. Caeterum ex sententia, quod eam immediate a Christo habeant, nihil quoque inferri potest adversus Romani Pontificis Primatum: quomodocumque enim sit, eam tamen non habere *independenter* a Petri Successore, qualis est Romanus Pontifex, sed cum subordinatione ad eumdem, cuncta, quae supra accumulavimus, momenta abunde non minus, quam luculenter demonstrant. Hinc cum Pontificatus Pii VI. aetate ausus fuerit Eybel docere, quod *reservationes Dispensationum, sibi a Sede Apostolica factae, indebitae sunt, et injuriosae Episcopis*, laudatus Summus Pontifex ejus propositionem proscripsit die 28. Nov. 1786: Qua super re datis quoque epistolis ad Archiep. Coloniensem sub die 20. Jan. 1787.: Si *jus* (inquit) *esset Episcopis legem relaxare impedimentorum Matrimonialium ab Ecclesiae potestate constitutam, et ubique in Catholicis Ditionibus receptam, tota everteretur Ecclesiae disciplina, Caput subjiceretur membris, ac proinde actum esset de Ecclesiae Hierarchia Divinitus instituta, ut generaliter declaravit Nicolaus I. in ep. ad Michaelem Imperatorem. Fidei enim dogma est, Episcoporum auctoritatem, et jurisdictionem subjectam esse Summi Pontificis Auctoritati, ita ut subesse debeant Sedis Apostolicae Statutis, ut patet de jurisdictionis Primatu singulari Christi munere Pe-*

tro, *ejusque Successoribus Divinitus collato*, *quod quisque ex Catholicis fateri adstringitur*. Quod et deinde confirmavit ejus Successor Pius VII., datis e Savona, quo ab impiis detinebatur, epistolis ad Archiep. Tranensem sub die 20. Jun. 1810., illicitum, ac irritum declarans quod tunc temporis jussum Episcopis fuerat, super hujusmodi impedimentis potestate sibi propria dispensandi. Qua super re habentur quoque duae propositiones, VII. scilicet, et VIII., ab eodem laud. Pont. Pio VI. proscriptae in Episc. Pistor., ejusque Syn. tamquam, *inducentes in Schisma*, *et subversionem hierarchici regiminis*, *et erroneae*, solemni Constit., cujus initium *Auctorem fidei*. Propositio vero n. VI., qua idem profitebatur, *persuasum sibi esse*, *Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suae Dioecesis*: sic explicata, subdit Pontifex, *perinde ac si ad bonum regimen cujusque Dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes*, *spectantes sive ad fidem*, *et mores*, *sive ad generalem disciplinam*, *quarum jus est penes Summos Pontifices*, *et Concilia Generalia pro universa Ecclesia*, declarata fuit, tamquam *schimatica*, *ad minus erronea*.

Objic. 2.° quod D. Cyprianus ait l. de unit. Eccl. *Episcopatus unus est*, *cujus a singulis in solidum pars tenetur*. Item D. Hier. ep. 85. ad Evagr. *Ubicumque fuerit Episcopus*, *sive Romae*, *sive Eugubii*, *sive Constantinopoli*, *sive Rhegii*, *sive Alexandriae*, *ejusdem meriti*, *ejusdem est Sacerdotii. Potentia divitiarum*, *et paupertatis humilitas*, *vel sublimiorem*, *vel inferiorem Episcopum non facit*. Ac demum D. Greg. M., qui scribens ad Joannem Constantinopolitanum, eum arguit, quod *universalem Episcopum* se dixisset; hoc nomen, addens, *nomen esse blasphemiae*. Ex relatis autem testimoniis sequitur, quod omnes Episcopi pares sunt: Non ergo in eos Rom. Pontifex ullum habet Primatum jurisdictionis.

R. dist. min.; quod nempe omnes pares sunt *ratione ordinis*, *et characteris*, idem namque hic est in Episcopis, et in Rom. Pontifice, non diversus. Ejusque, ut scribit D. Cypr., *a singulis in solidum pars tenetur*, quia character Episcopalis indivisibilis est suapte natura, totusque proinde inest, quibus datur. Non tamen omnes pares sunt *ratione item jurisdictionis*; aequalitatem namque Ordinis aequalitatem simul non ferre jurisdictionis, evidens est. Hoc autem sensu locutum fuisse D. Cypria-

num, patet tum ex ejus ep. ad Stephanum Papam, ut deponeret Martianum Episcopum Arelatensem, qui Novatianam haeresim amplexus fuerat, et alium ejus loco constitueret (ep. 42.); tum ex altera ejus ep. ad Cornelium Papam, ac praecise ex illis verbis: *Navigare audent ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, ad quam perfidia non potest habere accessum.* Eodemque sensu locutum quoque fuisse D. Hieronymum, patet ex ejus ep. ad Damasum supra allata.

Quoad D. Gregor., vero, ait hic quidem, Episcopi universalis nomen esse nomen blasphemiae; in eo tamen sensu, quo illud usurpabat Joannes Constantinopolitanus, non tamen in sensu orthodoxo. Dupliciter namque accipi potest Episcopi universalis nomen: 1.°, ut qui talis appellatur, sit solus universae Ecclesiae Episcopus, ita nempe, ut caeteri Episcopi sint tantum ejus vicarii. 2.°, ut qui talis appellatur, sit quidem Episcopus totius Ecclesiae, Laicorum nempe, Clericorum, aliorumque etiam Episcoporum, non ita tamen, ut hi non habeant veram jurisdictionem in suas respective Dioeceses, tametsi Universali Episcopo subordinatam. In hoc autem secundo sensu acceptum nomen Episcopi Universalis nomen blasphemiae non est, ac Romanis Pontificibus ab ipsis Conciliis Generalibus datum legimus, ut patet ex supra allatis testimoniis; ac tantum est nomen blasphemiae acceptum in primo sensu, quo modo illud sibi usurpasse Joannem Constantinopolitanum, patet ex ipsius D. Gregorii verbis: *Ad hoc perductus es, ut despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari? Absit a cordibus Christianis nomen istud blasphemiae, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur* (*l. 4. ep.* 32.). Cui accedit, quod etiam in secundo sensu acceptum nemini, praeterquam Rom. Pontifici, illud convenit; quare in hoc etiam sensu usurpatum a Joanne Constantinop. erat respectu ipsius nomen blasphemiae.

Objic. 3.°, quod nec idem Cyprianus, nec alii Africani Episcopi obtemperarunt Stephano Rom. Pontifici, ne baptizatos ab haereticis rebaptizarent. Quodque cum Hispani Basilidem, et Martialem, Episcopatu privatos ob nefanda crimina, et ab eodem Stephano suis Sedibus restitutos, in communionem recipere noluissent, illis idem Cyprianus scripsit ep. 68., recte se gessisse. Neutrum autem licuisset agnoscenti in Rom. Pontifice Primatum

tum honoris, tum jurisdictionis in totam Ecclesiam: Ergo.

R. neg. min.; quoad 1.m enim, ideo ita se gessit D. Cyprianus, cumque eo se gesserunt pariter Africani Episcopi, quia, ut diximus tract. 3. cap. 4. prop. 4. resp. ad objic., praxim non rebaptizandi baptizatos ab haereticis illis a Stephano propositam habebant, tamquam meram disciplinae legem, quae varia esse poterat pro varietate regionum, quamque sequi, vel respuere, in arbitrio esset cujusvis Episcopi, prout bono suae Ecclesiae expediens judicaret. Sed consulantur et dicta l. cit.. Quoad alterum vero, dicimus ipsius Cypriani verbis ep. 68., quod cum Basilides, et Martialis, *libellis idololatriae commaculati, et nefandorum facinorum conscientia vincti*, fuissent *de universae fraternitatis suffragio, et de Episcoporum, qui in praesentia convenerant, judicio*, juxta disciplinam illorum temporum e suis Sedibus Episcopalibus ejecti, Basilides deinde *Romam pergens, Stephanum longe positum, et gestae rei, ac tacitae veritatis ignarum deceperat, ut exambiret reponi injuste in Episcopatum, de quo fuerat juste depositus:* Martialis vero similibus artibus fuerat quoque ab eodem in suam Sedem restitutus. His positis, laudabat Cyprianus Hispanos, quod eorum nihilominus communionem respuerant, donec Pontificem veritatis certiorem facerent; quam si comperisset, certe eos vel ipse laudasset: *neque enim* (ajebat) *tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit*: maxime cum Cornelius Praedecessor Stephani legem sanxisset, *ejusmodi homines ad paenitentiam quidem agendam posse admitti; ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.*

Objic. 4.º, quod Primatus totius Ecclesiae, qui Romano Pontifici tribuitur, vel dicitur privilegium locale, vel personale, vel mixtum. Quovis autem modo dicatur, immerito illi tribuitur; si enim dicatur locale, cum ergo semel fuerit Antiochiae concessum, ab ea tolli non potuit; licet inde Petrus recesserit, et alibi mortuus fuerit. Si dicatur personale, cum ergo datum non fuerit, nisi Petro, quodnam jus habet potius Rom. Episcopus, quam alius, ad Primatum totius Ecclesiae? Si dicatur mixtum, cum ergo privilegium fuerit partim locale, partim personale, datum non fuit Romae, nisi pro tempore, quo Petrus vixit. Ita Calvin. l. 4. Inst. c. 16.

R. cum Bellarm. *De Rom. Pont. c.* 13., ex Christi institutione privilegium Primatus fuisse personale, quia nulli determinato loco a Christo alligatum fuit, sed personae Petri absolute collatum: ex facto tamen Petri, qui ipsius Christi jussu, ut supra ostendimus, Romam migravit, factum postea esse localem, ratio enim successionis, seu ob quam Rom. Pontifex potius, quam alius Episcopus, succedit Petro in Primatu totius Ecclesiae, est, quia Petrus ex Antiochia Romam venit, ibique fixa ejus Sede, eam ad mortem usque retinuit. Quo posito, Calvini argutatio evanescit.

Objic. 5.° Concilium Chalced. act. 6., ubi dictum fuit, Romanam Ecclesiam a Patribus Primatum habuisse, eo quod Civitas illa Imperio Orbis terrae tunc temporis potiretur. Et in Novella 100. Justiniani ita legitur: *Decernimus secundum Sacrarum Synodorum Decreta, SS. veteris Romae Episcopum primum esse omnium Sacerdotum.* Quod cum ita sit, non ex jure divino, sed ex jure humano dicendum est, quod Rom. Pontifex habet totius Ecclesiae Primatum: Saltem ergo hunc non habet ex jure Divino, sed ex jure humano.

R. neg. sequ. min.; quod enim 1.° allatum est ex Conc. Chalcedonensi, nedum assertum fuit absentibus Sedis Apostolicae Legatis, verum etiam, ut constat ex act. 16., ab iisdem advenientibus reprobatum fuit. Quoad alterum vero, dici quodammodo potest, Conciliorum Canones istud Rom. Pontificis privilegium decrevisse, eo quod illud declararunt; prout nempe dicitur, Concilium Nicaenum definiisse, Verbum Divinum esse Patri consubstantiale, quia id declaravit.

Objic. 6.° contra Rom. Pont. infallibilitatem, Liberium, Honorium, aliosque Pontifices errasse, ut ex historiis, et corpore juris constat. Porro, ut et nos alibi diximus, contra exploratam facti veritatem quaecumque accumulentur rationes nihil habent roboris: Ergo.

R. neg. maj.; quoad Liberium enim, qui, omnibus caeterum consentientibus, Romam ab exilio reversus orthodoxam fidem strenue semper defendit, dure idcirco ad mortem usque ab Imperatore Constantio divexatus, resp. 1.° tres credendi formulas in totidem Synodis Syrmiensibus ab Episcopis Arianis conditas fuisse. Prima scilicet edita fuit anno 351., quam expendens D. Hilarius *l. De Synodis*, in catholicum sensum exponit. Secunda edita

fuit anno 357. , atque a D Hilario l. cit. appellatur *blasphemia per Osium , et Potamium apud Syrmium conscripta*, in ea enim Filius non dicitur Patri consubstantialis , imo nec similis , etc. . Tertia demum edita fuit anno 359.. atque in ea vox quidem *Omousion* , seu consubstantialis non reperitur , sed Filius dicitur similis cum Patre substantiae. His praemissis , quod huic tertiae Liberius non subscripserit, extra omnem est controversiae aleam ; uni enim ex tribus formulis Syrmiensibus subscripsisse dicitur, dum in exilio maneret , utque ab eo revocaretur. Ab hoc autem revocatus fuit, et Romam rediit anno 358. ; formula vero , de qua loquimur edita fuit anno 359. Ergo. Restat proinde , ut subscripserit primae , vel secundae.

Huic tamen , idest secundae , non subscripsisse , probatur contra Blondellum , et Petavium ex eo quod formula , ut scribit D. Hilarius in Fragmentis , *fragm.* 6. , cui Liberius subscripsit , condita fuerat a Basilio Ancyrano , Theodoro Heracleensi , Sylvano Tarsensi , Eudoxio Germanicae , Cecropio Nicomediae , Macedonio Constantinopolitano , Marco Aretusio , aliisque , quos ad viginti duos usque recenset. Secundae autem formulae Syrmiensis auctor esse non potuit Basilius Ancyranus , cum eam vix in lucem editam anathemate perstrinxerit , Synodo ad id Ancyrae habito. Neque etiam auctor illius esse potuit Theodorus Heracleensis , hic enim anno circiter 355 obierat , formula vero , de qua loquimur , condita fuit anno 357. . Neque etiam illius Auctor esse potuit Sylvanus Tarsensis , utpote qui adeo a pura haeresi Ariana alienus , ut pro Catholico habitus fuerit , et orthodoxam de Filii Divinitate doctrinam in Seleuciensi Concilio contra Anomaeos propugnaverit. Neque demum illius Auctores esse potuerunt caeteri , quorum supra meminimus, quippe qui omnes Episcopi Orientales , cum tamen secundae formulae praecipui Auctores Occidentales fuerint. Accedit , valde dubium , et incertum esse , an tunc , dum nempe Liberius Beroae in exilio degeret , formula , de qua loquimur , condita esset , cum nullum de hac re satis firmum , et clarum monumentum extet : quodque , ut referunt Sozomenus l. 4. c. 14. , et Nicephorus l. 9. c. 37. , non modo Liberius nulli Confessioni Arianae subscripsit , sed quia Ariani falsum rumorem sparserant , eum docere coepisse , Filium non esse Patri consubstantialem , confessionem quoque edidit , antequam ab exilio discederet ,

in qua aperte excommunicabat eos, qui Filium Patri similem in substantia, et in aliis rebus omnibus esse, negabant.

Nec movere debet, quod formulam Syrmiensem, cui dicitur Liberius subscripsisse, appellat D. Hilarius in fragm. 6. *perfidiam Arianam*; quare et subdit: *Anathema tibi a me dictum, Liberi, et sociis tuis . . . Iterum tibi anathema, et tertio, praevaricator Liberi.* Primam autem formulam Syrmiensem in sensu catholico ipse exposuerat: Non ergo haec, cui Liberius subscripsit. Accedit quoque D. Hieron., qui *in Catalogo Scriptor. Ecclesiast.* c. 97. Fortunatianum Aquilejensem Episcopum, detestabilem vocat, eo quod primus Liberium sollicitaverit, fregerit, et ad subscribendam haeresim impulerit. Et *in Chronico* addit, quod Liberius taedio victus exilii, in haereticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit. Respondetur enim, praefatam formulam appellasse D. Hilarium *perfidiam Arianam*, habita ratione consilii, et fraudis Auctorum illius, nec non eventus, qui eorum consiliis, et fraudibus respondit: quo sensu etiam locutum fuisse D. Hieronymum, nulla ejus verbis vi facta, dicere ex supra allatis rationibus cogimur. Anathema autem Liberio dixisse, tum quia praefatae subscriptionis causa triumphum canebat factio Ariana; tum quia fidei causam ea, qua par erat, fortitudine, non egerat; tum quia consenserat in dammationem Athanasii, quem ob ejus fidei constantiam de confictis criminibus accusari, optime noverat.

Ex supradictis sequitur, quod si Liberius exilio, et aerumnis fractus alicui ex tribus Syrmiensibus formulis subscripsit, non fuit, nisi primae ex iisdem: quae cum in sensum catholicum exponatur, ut diximus, a D. Hilario, immerito idcirco asseritur, quod Arianae formulae subscripserit, ac tali subscriptione Arianam haeresim probaverit. Cumque item id fecerit exilio, et aerumnis coactus, estne habenda ejusmodi subscriptio, tamquam decisio Romani Pontificis *ex Cathedra*, de qua locuti nos sumus? Estne haec etiam fides privata ejus, qui coactus fuerit? *Quae per tormenta* (ita apposite D. Athanasius de ipso, qui circumferebatur, Liberii lapsu) *contra priorem ejus sententiam extorta sunt, eae jam non metuentium, sed cogentium voluntates habendae sunt.* Accedit, quod si nec decisiones ipsorum Conciliorum ab

Adversariis infallibiles habentur, ubi decernendi libertas desit; cur in objecta Liberii subscriptione tormentis extorta infallibilitatem non fuisse, conqueruntur?

Sed resp. 2., quod non absque solida probabilitate negatur prorsus, Liberium alicui ex praefatis formulis subscripsisse: 1.º enim, esto etiam, quod Athanasius, Hieronymus, et Hilarius id referant, si e contrario alii graves Scriptores Ecclesiastici ab illa aetate non remoti id negant, tribuentes Liberii reditum seditionibus Romae ob ejus exilium ortis, nec non instantibus Matronarum Romanarum precibus ad Constantium, verisimillimum profecto dicendum, commentitium esse ejusdem lapsum. Ita autem res se habet; audiatur enim Sulpitius Severus, cujus auctoritas non parum aestimatur, hist. sacr. l. 2. *Liberius quoque Urbis Romae, et Hilarius Pictavorum Episcopus dantur exilio. . . Sed Liberius paullo post Urbi redditur ob seditiones Romanas.* Item Socrates hist. Eccl. l. 2. c. 37. *Caeterum Liberius haud multo post ab exilio revocatus Sedem suam recepit, cum populus Romanus seditione facta Felicem Ecclesia expulisset, et Imperator, licet invitus, assensum illis praebuisset.* Item Theodoretus Vir doctissimus hist. Eccl. l. 2. c. 17. *Gloriosus igitur veritatis athleta in Thraciam, uti praeceptum fuerat, perrexit. Elapso autem biennio, Constantius Romam profectus est. . . Flexus itaque Imperator* (precibus Matronarum Romanarum) *egregium illum, omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit. Ambos vero* (Liberium, et Felicem) *in commune Ecclesiam administrare permisit. Quod cum populus recusaret, omnes una voce clamarunt: Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus. . . Post has Christianissimae plebis acclamationes pietate, ac justitia plenas reversus est admirandus ille Liberius.* Eadem ferme repetit Cassiodorus, *vir* (ut scribit Hincmarus Rhemensis) *acerrimi ingenii, et insignis eruditionis*; appellatque Liberium l. 5. hist. trip. c. 18. *veritatis propugnatorem, et victorem Sanctissimum.*

2.º Si Liberius Romam rediens, in eam, tamquam victor, intravit, cumque extraordinario gaudio exceptus fuit, dum populus Romanus Nicaenæ fidei firmiter adhaerens maximo prosequebatur odio tum Arianam haeresim, tum omnes, qui praefatam fidem labefactabant; quidnam dicendum, nisi quod Liberius Nicaenam fidem strenue, ut par erat, exilio, aerumnis, minisque posthabitis,

professus fuerat, nec in eo vel hilum Arianam haeresim, ejusque fautores faverat? Res autem ita etiam se habet; quod enim Liberius Romam rediens, in eam tamquam victor intraverit, praeter Hieronymum in allato textu ex Chronico, testatur quoque Marcellinus tom. 5. Bibliot. PP.. Quod vero populus Romanus maximo prosequeretur odio tum Arianam haeresim, tum omnes, qui Nicaenam fidem labefactabant, ex eo luculenter constat, quod numquam communicare voluit cum Antipapa Felice, tametsi Romam misso ab ipso Constantio, propterea quod, ut scribit Theodoretus l. cit., Felix *formulam fidei a Nicaenis PP. expositae integram quidem, et inviolatam servabat; cum iis tamen, qui eam labefactabant, libere communicabat. Atque ob hanc causam nemo ex civibus Romanis in Ecclesiam ingressus est, dum ille intus esset*.

3.° Si Liberius fidei causam adeo turpiter prodidisset, profecto nec, tamquam Sanctus, praedicatus, nec summis laudibus celebratus fuisset ab Ecclesiae PP., aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis. Ita autem de eo D. Ambrosius l. 3. De Virginibus: *Tempus est sancta beatae memoriae Liberii praecepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior*. Et D. Epiphanius haer. 75. *Eustachius ad Liberium beatum Romae Episcopum una cum multis Episcopis legatum agebat*. Et D. Basilius ep. 74. ad Episcopos Occidentis: *Quaedam ei proposita sunt a beatissimo Liberio*. Siricius quoque, qui tertius fuit a Liberio, eum in epistola ad Hymericum *venerandae memoriae praedecessorem suum* appellat. Quem et diximus Theodoretus vocat *egregium, omnique laude dignissimum, atque admirandum*. Et Cassiodorus *veritatis propugnatorem, et victorem Sanctissimum*.

4.° Si testimonia, quibus superextruitur Liberii praevaricatio parum subsistunt, parum quoque ipsa Liberii praevaricatio subsistit. Parum autem praefata testimonia subsistunt: 1.° enim affertur testimonium D. Athanasii epist. ad Solit.; quam tamen vel suppositam esse, vel saltem mendosam, ex eo patet, quod in ea meminit cujusdam Leontii Ariani, Pseudo-Episcopi Antiocheni, tamquam inter vivos degentis his verbis: *Leontius Castratus, qui nunc Antiochiae Episcopus est*. Obierat autem Leontius anno 356., ut ex Socrate probant Baronius *h. Annal. anno* 356., Valesius *in Notis ad Socratem*, nec non Petavius *in Animadv. ad Epiph.*. Eam igitur Athanasius

scribebat anno saltem 356. Porro lapsus Liberii ab omnibus refertur ad annum 358.: Quomodo ergo Athanasius scribere poterat, Liberium cecidisse, si nondum ceciderat? Ait item in eadem ep. de Osio Cordubensi, quod *malis oppressus, vix tandem cum Valente, et Ursacio communicaret.* Nemo autem est, qui ignoret, Osium Auctorem secundae Syrmiensis formulae fuisse, quae totum Arianae haereseos virus complectebatur; quod profecto non fuit *vix cum Valente, et Ursacio communicare*, sed multo amplius: Falsumne ergo scripsisset Athanasius in rebus tam magni momenti, quin etiam metueret, quod illud Ariani eum undequaque prementes ipsi exprobrassent?

Affertur item pro Liberii lapsu D. Hilarii testimonium in Fragmentis *fragm.* 6. Eorum tamen Auctorem ignotum omnino esse, et incertae aetatis, ostendit Dupinius *tom.* 2. *Bibliot.*: Eminentissimus Perronius vero in libro, cui titulus *Replique à la response du Roi de la grande Bretagne*, eorum opus scribit esse aut Hilarii Diaconi Luciferiani, aut alterius ex eadem Luciferianorum secta Hilario Pictaviensi aequalis. Accedit, afferri illic epistolam Liberii, cujus initium *Studens paci*, in qua Liberius scribit, se Pontificatus sui initio, acceptis Orientalium epistolis ad Athanasium, litteras Alexandriam deferendas tribus legatis tradidisse, quibus ipsum sub excommunicationis poena Romam accedere jubebat: Athanasium vero in Urbem venire noluisse, atque hac de causa a se excommunicatum fuisse. Haec autem esse prorsus falsa, ipsi Adversarii coguntur fateri, cum ipsi quoque non negent, nec est, qui nesciat, Liberium usque ad sui exilii confinia animo semper junctum cum Athanasio fuisse. Quibus demum accedit, non esse prorsus credibile, quod in Liberium, qui Romam reversus strenuus jam erat, atque acerrimus Catholicae fidei propugnator, Hilarius nihilominus, nulla etiam ratione habita supremae illius Dignitatis, adeo inveheret, ac iterum, atque iterum anathema diceret.

Sed et addit Hilarius *l. cont. Constantium n.* 11., eumdem alloquens: *Vertisti deinde usque ad Romam bellum; eripuisti illinc Episcopum* (Liberium) *et oh te miserum! Qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris.* Inquiens autem, quod forsitan major fuit Constantii impietas ab exilio Liberium remittendo, quam eum in illud relegando, nonne aperte significavit,

quod Liberium suas in partes traxerat ? Resp. tamen neg. min. ; sed quia Constantius reditum Liberio concesserat, ut Theodoretus refert. l. cit., sub hac lege omnino ab Ecclesiasticis legibus aliena, quod Romanam Ecclesiam simul cum Felice administraret, en ratio, cur ei Hilarius dixit : *Nescio, utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris.*

Superest D. Hieronymi testimonium supra allatum ; quod aeque parum negotii facessit ; 1.° enim dicimus cum Scaligero, et Tillemontio, vix ullum esse librum, cujus tum editiones, tum codices MSS. tot mendis scateant, prout Hieronymi Chronicon. 2.° Liberii lapsum deesse tum in Vaticano Hieronymiani Chronici exemplo, ut testatur P. Mamachius, tum in perantiquo Lucensi Codice, ut testatur Mansius in Notis ad Natalem Alex. Diss. 30. Saec. 4. . 3.° quod, supposita allatorum verborum autenticitate, forte S. D. deceptus fuit circa Liberium, quemadmodum deceptus fuerat circa Chrysostomum, quem ep. 88, ad Theophilum, tamquam Origenistam, ac flagitiosum hominem, traducit. Quae vero addit in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* facili etiam negotio falsitatis convincuntur ; fuisse enim Hieronymum circa eum quoque deceptum, patet ex epistola Liberii ad Eusebium Vercellensem, quam ex Vercellensi Archivo primus omnium eruit Baronius, et in qua Liberius Fortunatianum exhibet, tamquam strenuum Catholicae fidei defensorem his verbis : *Etiam ad fratrem, et Coepiscopum nostrum Fortunatianum, quem sciebam, nec personas hominum vereri, et futura magis praemia cogitare, litteras erogavi, ut ipse pro sinceritate pectoris, et pro fide, quam se scit etiam cum discrimine vitae praesentis custodisse, etiam nunc vobiscum dignaretur exeubare.*

5.° Nihil facilius, quam quod rumor post Liberii reditum sparsus de ejus praevaricatione haereticorum commentum fuerit: tum quia cum non potuerint Liberium trahere in suas partes, facile comminisci potuerunt tum in haereseos patrocinium, tum in Romanae Ecclesiae odium epistolas, quae de Liberio ventitantur ; constatque reapse inter Eruditos, unam ex illis epistolis suppositam esse : tum quia non insolitum apud eos, in odium praesertim Romanæ Ecclesiae, haec comminisci. Et sane D. Marcellinum Papam idola thurificasse, ab haereticis quoque confictum fuisse, luculenter ostendit prae aliis Bercastel peculiari Dissert.

in hist. Eccles. saec. 4. , multis ad id congestis solidissimis rationibus ; quas inter, estne credibile, scribit , quod saeviente immanissima Diocletiani persecutione , dum maxime Episcopi hic , atque illic latitare cogebantur , ingens nihilominus Episcoporum numerus Sinuessam petierint ad Concilium ineundum , ut Marcellinum facti poenitentem de patrato crimine judicarent ? Hinc , posito etiam quod Athanasii , Hilarii , ac Hieronymi textus sint genuini, dicimus demum , quod decipi ab haereticis potuerunt quoad Liberium , quomodo innumeri decipi ab iisdem potuerunt quoad Marcellinum. Atque haec satis de Liberio. Sed et habetur hac super re Dissertatio Francisci Antonii Zaccariae , cui titulus : *De commentitio Liberii Lapsu.*

Honorius vero adeo expresse fassus fuit in utraque sua ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham epistola duas in Christo voluntates , et duas operationes , Divinam nempe , et humanam , ut Auctor Defensionis Declarationis Cleri Gallicani l. 7. , al. 22. c. 22. , licet Pontificiae infallibilitati maxime infensus , non potuerit tamen non fateri, *Honorii verba orthodoxa maxime videri.* Subdole scilicet suaserat Sergius Honorio , voluntatem in Christo homine legi mentis repugnantem , et quae ab Apostolis lex membrorum appellatur , a quibusdam invehi : aliosque sub praetextu duarum in eo voluntatum , et duarum operationum duas in eo personas praedicare iterum cum Nestorio ; et e converso alios unius voluntatis , et unius operationis vocabulo , rursus in eo cum Eutychete confusionem naturarum inducere. His positis , censuit Honorius ex oeconomia quadam silentium de una , aut duplici voluntate , et operatione praescribere ; non omittens simul dogma ipsum de duplici in Christo voluntate , et de duplici operatione profiteri , et praedicare ; ac solum excludens voluntatem , *quae repugnaret legi mentis ejus , quia a Divinitate assumpta est nostra natura , non culpa ; illa profecto , quae ante peccatum creata est , non quae post praevaricationem vitiata.* Hinc concludit : *Lex alia in membris , aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori , quia super legem natus est humanae conditionis.* Ita in 1.ª ad Sergium epistola. Quid porro per legem membrorum , nisi voluntas rationi repugnans ; sicut per legem mentis , nisi voluntas rationalis ? Illa ergo tantum exclusa , haec utique in Christo praedicata expresse fuit ab Honorio. Quod ex verbis paullo post sequentibus cla-

rius quoque elucescit : duplicem namque hunc Scripturae locum explicans : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me* : Et : *Non quod ego volo, sed quod tu*, inquit : *Ista propter nos dicta sunt, quibus nobis dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus... ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini nostri praeferat voluntatem*. Quis porro non videt, praedicari his verbis de Christo voluntatem humanam, qua voluntati Divinae se Christus submittens, nobis dedit exemplum nostram quoque voluntatem Divinae voluntati submittendi?

Nec minus clare praedicatae ab eo fuerunt in Christo duae operationes. In 1.ª enim ad Sergium epistola modo ait, *Christum operatum esse Divina media humanitate* : modo *eumdem operatum esse humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne* ; modo eum nuncupat *unum Operatorem Divinitatis, et humanitatis*: modo *unum operatorem Divinae, atque humanae naturae* : ac demum in fine epistolae hortatur Sergium, ut juxta fidem catholicam praedicaret *unum Dominum Jesum Christum. . in duabus naturis operatum divinitus, atque humanitus* ; rationem nempe reddens, ob quam praefatum silentium indicebat, et ita inquiens : *Ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur ; aut certe si rursus unam operationem D. N. J. C. fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur ; hinc hortamur, ut unius, vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum D. J. C. Filium Dei vivi, Deum verissimum in duabus Naturis operatum divinitus, et humanitus fide orthodoxa, et unitate catholica praedicetis*. Similia vero habens in altera ad Sergium epistola, geminae operationis fidem aeque docet : *Utrasque naturas* (inquiens) *in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus : et Divinam quidem, quae Dei sunt, operantem ; et humanam, quae carnis sunt, exequentem : non divise, neque confuse, aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes . . . Auferentes ergo scandalum novellae adinventionis, non nos oportet unam, vel duas operationes definientes praedicare, sed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos*

unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri; | *et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, idest Divinitatis, et carnis assumptae, in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, et inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes.* Quibus perpensis, ubinam superest de fide Honorii dubitandi locus?

Quod si forte deliquit in tuenda, ut par erat, fidei causa; si forte, inquam, Joannes namque Abbas Romanus, ejus nedum amanuensis, verum etiam, teste D. Maximo in Dialogo cont. Pyrrhum, omnis virtutis splendore conspicuus, qui et priorem ad Sergium epistolam nomine Honorii exaraverat, cujusque mentem idcirco probe callebat, testimonium, jubente Joanne Papa IV., de sinceritate fidei Honorii perhibuit ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium; quod item egit ipse D. Maximus, qui et tempore Honorii vixit, et paullo post Honorii mortem Martyrii corona extitit gloriosus; a quo etiam appellatus fuit *Divinus Hônorius* (*ep. ad Petrum illustrem ap. Syrmond. S. Jesu*): non in alio deliquit, nisi in hoc, quod deceptus a Sergio, ac simul de hujus fraudibus, artibusque commonefactus a Sophronio Jerosolymorum Antistite, exoratusque, ut imminenti malo promptum adhiberet remedium, id neglexit. Aut potius, ut ait Leo II., sive modestiae, sive prudentiae causa, (cujus caeterum epistolas Baronius, Bellarminus, aliique censent supposititias) deliquit, *quia flammam haeretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Ita ep. ad Episcopos Hispanos. Et ep. ad Constantinum Pogonatum: *Quia Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicae traditionis doctrina illustravit, sed immaculatam maculari permisit.*

Nec movere debet, et quod ait VI. Synodus, eum Sergii dogmatibus *in omnibus consensisse*; et quod ab eadem annumeratus fuit haereticis Sergio, Pyrrho, Cyro, etc., et cum iis eadem anathematis poena perculsus: 1.° quia verisimillimum est, Honorii nomen ibi insertum fuisse ab aemulis Romanae Ecclesiae, ut testatur Anastasius Bibliothecarius in sua historia: in more enim apud Graecos fuisse libros corrumpere, testis est ipsa VI. Synodus, quae act. 12., et 14. deprehendit plurimas corruptiones ab haereticis factas in V. Concilio: sicut etiam

D. Leo, qui ep. 83. ad Palaestinos conqueritur de Graecis, quod epistolam suam ad Flavianum, se adhuc vivente, corruperant: nec non D. Greg. l. 5. ep. 14. ad Narsetem, ubi asserit, Constantinopolitanos corrupisse Synodum Chalcedonensem; quod et subdit, suspicari de Ephesina. Quid ergo mirum, quod et VI. corruperint? Aliunde quomodonam Concilium damnare poterat Honorium, tamquam haereticum, quin pugnaret cum epistola D. Agathonis c. 4. relata, et quam act. 8., 13., et 17. omnes Concilii PP. probaverant; ideoque etiam quin pugnaret secum ipso, et contradictoria assereret? Dum enim consenserat, nullum Praedecessorum Agathonis umquam errasse, sed semper Romanos Pontifices confirmasse fratres suos in fide, et haeresibus numquam succubuisse, idem deinde Concilium dixisset anathema Honorio haeretico.

Sed esto etiam, quod VI. Synodi Acta non fuerint corrupta, nec etiam id movere debet, 1.° quia tunc temporis cum non tam accurate distinguerentur haeretici, et qui ex gravi negligentia, vel imprudentia errorem adjuvarent, hinc et eodem traducebantur nomine, et eadem poena digni habebantur: Quo sensu ait quoque D. Coelestinus Papa: *Error, cui non resistitur, approbatur.* 2:° quia nihil prohibet dicere cum Turrecremata l. 2. De Eccl. c. 93., aliisque, Sextam Synodum *ex falsa informatione* a vero deviasse, etenim, ut scribit quoque hac super re Vallius de infallib. Rom. Pont. p. 2. qu. 4., *Conciliis Generalibus cum via ordinaria ex allegatis, et probatis judicant, error potest* (per falsos testes) *obrepere*; ac solum hic, ut suo loco diximus, iis obrepere non potest, quum agitur de facto dogmatico, seu cum dogmate conjuncto. Porro in VI. Synodo actum non fuit quoad Honorium de facto aliquo dogmatico, seu de ejus epistolis ad Sergium, sed de facto mere personali, seu de agendi ratione, quam cum illo habuerat. 3.° demum cum quadraginta duobus annis a morte Honorii actum contra illum fuerit, quid non superesset dicendum? Audiatur laudatus le Maistre in opere alias cit. c. 15. *Se Onorio fosse vissuto all' Epoca del VI. Concilio, sarebbe stato citato, si sarebbe presentato, avrebbe esposto in suo favore le ragioni, che noi adoperiamo al presente, le molte altre ancora, che la malizia de' tempi, e degli uomini ha soppresse. . . Ma che dico io? Ei si sarebbe recato a presiedere di persona al Concilio, avrebbe det-*

to a que' Vescovi cotanto ansiosi di vendicare sopra un Pontefice Romano le vergognose macchie della Sede Patriarcale di Costantinopoli : Fratelli miei, Dio vi ha senza dubbio abbandonati, poichè osate di giudicare il Capo della Chiesa, il quale è stabilito, per giudicare voi stessi. Io non ho bisogno della vostra assemblea, per condannare il Monotelismo. Che potrete dir voi, che io non abbia detto? Bastano alla Chiesa le mie decisioni. Ritirandomi, disciolgo il Concilio.

Illud quoque praetermittendum non est, Honorii epistolas ad Sergium neque etiam fuisse, vel dici posse decisiones ex *Cathedra*: tum quia non fuerunt ad universam Ecclesiam directae, sed dumtaxat ad Sergium, cui nec etiam munus commissum fuit, ut eas ad omnes Episcopos pervenire curaret: tum quia in iis nulla facta fuit nova dogmatis definitio, vel aliquid novi ad credendum propositum, sed tantum super controversia emergente indictum, praeceptumque fuit silentium, ne sub praetextu unius, vel geminae voluntatis, et operationis in Christo praedicandae, iterum Nestorianorum, et Eutychianorum errores recrudescerent.

Alios demum Pontifices, qui errorum insimulantur, tum Canus *l.* 6 *De loc. c.* 8., tum Bellarm. *De Rom. Pont. c.* 8, *et sequ.*, tum Lucius Ferraris V. *Papa* n. 48., aliique ab omni prorsus, ut supra diximus, errore vindicant, quem *e cathedra* docuerint, quorum proinde error nihil quoque Pontificiae infallibilitati a nobis propugnatae adversatur; si qui enim ex iis erraruut, eorum error non fuit universae Ecclesiae propositus; ideoque non Doctoris universalis, sed Doctoris privati, non judicialis, sed personalis, non Pontificis, sed hominis, *respondendo* scilicet (ut Canus scribit l. c.) *ad privatas quaestiones hujus, aut illius Episcopi, suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua fidèles obligatos esse voluerint ad credendum.* Hinc quoque Bellarm. De Rom. Pont. c. 14.: *Multae sunt* (scribit) *in Epistolis Decretalibus, quae non faciunt, rem aliquam esse de fide, sed solum opiniones Pontificum ea in re nobis declarant.*

Neque etiam praetermittendum, falso Romanis Pontificibus quaedam attribui: nam in Nicaeno II. act. 5. Iconomachi duos libellos prodiderunt, quos Vigilio Romano Pontifici tribuebant, quosque hic numquam scripserat.

Sicut etiam qui a Lutheranis tribuitur Gelásio, ut hujus Pontificis auctoritate fulti errorem suum tuerentur, quod in Altaris Sacramento, facta etiam consecratione, panis, vinique substantia manet, neque etiam hunc Gelasii esse, multis argumentis Canus l. c. ostendit.

Objic. 7.° Summus olim Pontifex a fide defecit, Christum morti adjudicando. Quod cum ita sit, aeque et modo Summus Pontifex potest a fide deficere: Ergo.

R. 1.° neg. sequ. min.; promissiones enim Petro, ejusque Successoribus a Christo factae, nusquam factae reperiuntur Judaeorum Pontifici; cujus immo Pontificatum defecturum esse, verum Messiam reprobando, ac morti etiam tradendo, identidem Prophetae praedixerant; ut prae aliis Daniel c. 9. illis verbis: *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. . . Et deficiet hostia, et Sacrificium. . . et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio.*

2.° Neg. cons.; cum enim Christi Ecclesia, ut diximus tract. 3. c. 3. resp. ad 2., tunc initium sumpserit, quum post Pentecostes diem peractis omnibus Redemptionis nostrae Mysteriis, et pubblice Christi fide, ac Baptismi necessitate promulgata, ex solis Legis Evangelicae cultoribus constare coepit: hinc quia Caiphas, quum Christum morti adjudicavit, vere erat Pontifex, ejus non obstante impietate, fuit nihilominus Spiritus Sancti organum, sententiam contra Christum proferendo illis verbis: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat*; immediate enim subdit D. Joannes: *Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (*c.* 11.). Quod si scimus de Caipha, quod motus a Spiritu Sancto verba illa protulit, quodque Deus voluit ejus ore, tamquam instrumento, uti, illud per eum proferendo oraculum; neque id ob aliud, nisi quia erat Pontifex anni illius, et de Religionis negotio agebatur: negabimus deinde a Christo tributum suae Ecclesiae, cujus Synagoga erat typus, quod Summus ejus Pontifex, dum de Religionis negotio agatur, et definiat ex Cathedra, Spiritus Sancti

assistentia gaudeat, sintque ejus judicia divinitus prolata? Hinc tantum abest, quod Pontificiae infallibilitati quidquam officiat Caiphae judicium adversus Christum, quia potius ex eo aliud quoque argumentum sumitur, quo magis confirmatur.

Objic. 8.° Declaratio Cleri Gallicani an. 1682., quatuor famosis propositionibus contenta, quarum postrema ita se habet: *In fidei quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes; ejus Decreta ad omnes, et singulas Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.* Quem autem non movebit solemnis illius Cleri Declaratio? Ergo.

R., ex eo discendum esse, quanti facienda sit praefata Declaratio, quod cum Episcopus Pistoriensis cum sua erratica Synodo inseruisset in Decreto fidei articulos in illa contentos, ita in eum animadvertit laudatus non semel Summus Pontifex Pius VI. solemni Const. non semel quoque laudata; cujus initium, *Auctorem fidei* etc.: *Neque silentio praetereunda insignis ea, fraudis plena Synodi temeritas, quae pridem improbatam Conventus Gallicani Declarationem an. 1682. ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in Decretum de fide inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quae sparsim per hoc ipsum Decretum tradita sunt, horum articulorum publica, et solemni professione obsignare. . . Quamobrem quae Acta Conventus Gallicani mox ut prodierunt Praedecessor Noster Ven. Innocentius XI. per litteras in forma Brevis die 11. April. an. 1682., post autem expressius Alexander VIII. Const.* Inter multiplices *die 4. Aug. an. 1690. pro Apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla, et irrita declararunt, multo fortius exigit a Nobis Pastoralis sollicitudo recentem horum factam in Synodo tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam, ac praesertim post edita Praedecessorum Nostrorum Decreta huic Apostolicae Sedi summopere injuriosam reprobare, ac damnare, prout eam praesenti hac nostra Constitutione reprobamus, et damnamus, ac pro reprobata, et damnata haberi volumus.* Neque omittendum, quod in praefatam Declarationem non omnes Galliae Episcopi, sed 44, dumtaxat consensere, jussu Ludovici XIV. Parisiis coacti: quodque, ut supra dixi-

mus, ostenditque Soardus l. cit., Romanum Pontificem infallibilem esse in iis, quae sunt fidei, et morum, Gallicana Ecclesia a D. Irenaeo usque ad epocham praefatae Declarationis semper agnoverat. Hinc sequendum, quod et alio loco diximus cum Turtulliano *l. de praescript. c.* 31. habendum esse, tamquam credendi regulam: *Id esse Dominicum, et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum, et falsum, quod sit posterius immissum.*

Objic. 9.ª quod posita Rom. Pontificis infallibilitate, frustra coacta fuissent tot Concilia Generalia. Hoc dictu nefas: Commentum igitur Rom. Pontificis infallibilitas.

R. 1.° indirecte; Ecclesia enim, etsi dispersa, gaudet quoque infallibilitatis privilegio. Ad quid igitur tot Concilia Generalia coacta? Quod si argumentum nimis probat, nihil probat. Sed directe respondendo, neg. sequ. maj.; etsi enim Concilia Generalia tum ob Ecclesiae dispersae, tum ob solius Rom. Pontificis infallibilitatem non sint absolute necessaria, sunt tamen aliquando secundum quid necessaria, ad majus nempe bonum Ecclesiae: Conciliis enim Generalibus magis, magisque fovetur unitas; praecluduntur item tot illae cavillationes, ac subterfugia, quae spiritus indociles solius Rom. Pontificis, vel Ecclesiae dispersae definitionibus objicerent; ea item luce proponuntur, atque explanantur veritates fidei, qua nihil luculentius; ac demum, ut scite advertit Canus l. 5. De Loc. c. ult., *facit Concilium sensibiliorem populo fidem propter acceptissima multorum testimonia, atque judicia. Nam et leges, quae communi Optimatum consensu et rogantur, et feruntur, libentius populus accipit, quam si a Rege solo ederentur.* Hinc cum fuerint aliquando, licet non *absolute*, tamen *secundum quid* necessaria, quamvis idcirco tum Ecclesia per Orbem dispersa, tum solus Romanus Pontifex ex Cathedra definiens, infallibilitatis privilegio gaudeant, non frustra, sed ad majus Ecclesiae bonum tot Generalia Concilia coacta fuere.

Hunc denique tractatum compleant alia etiam Romanorum Pontificum elogia e Conciliis Generalibus, atque ab Ecclesiae Patribus, et Doctoribus excerpta. Eorum igitur Magisterium sequentes, quisnam item Romanus Pontifex?

Dominus omnium Gentium, Nicaenum I. can. 44.

Papa universalis ter beatissimus. Ephesinum act. 17.

Episcopus universalis. Et: *Patriarcha universalis*. Chalcedonense act. 3. Et act. 6. *Episcopus omnium Ec-*

clesiarum. Et act. 9. *Primas Dioeceseos.* Et epistola ad Leonem.: *Omnibus B. Petri vocis constitutus Interpres.*

Antistes Pontificialissimus Apostolicae Summitatis. Constantinopolitanum III.

Papa Cathedrae Apostolicae. Constantinopolitanum IV.

Judex omnes judicans, ipse a nemine judicandus. Synodus Romana sub Nicolao I. contra Photium colloqu. 1.

Vertex Apostolicus Praesulum, cujus cuncta sollicitudo est tam mala damnare, quam revelare laudanda. Episcopi Africani ep. ad Damasum.

Vicarius amoris Christi ab Eo in Coelum elevato relictus. D. Ambrosius in Luc. ult. Et ep. ad Siricium: *Janitor ovilis Christi.*

Apostolatus Principatus, cuilibet Episcopatui praeferendus. D. Augustinus l. 1. de Bapt. cont. Donat. c. 1. Et ser. 15. De Sanctis: *Fundamentum, supra quod aedificii Ecclesiastici altitudo consurgit.* Et ser. 16. De Sanctis: *Firmamentum omnium. Saxum immobile, totius Christiani operis compagem, molemque continens.* Et. ser. De tempore: *Vertex membrorum omnium Ecclesiae.* Et ep. 162. *Pater Christianae plebis.*

Sacerdos Summus. D. Hieronymus in praefat. Evang. ad Damasum. Et ep. 57. *Discipulus Crucis, et Successor Piscatoris.* Praefatos Maximos Doctores excipiant nunc Patres Graeci.

Dominus Sanctus, et Apostolici culminis; venerandus S. Romanae, et Apostolicae Sedis, atque universalis Ecclesiae Papa. D. Athanasius, et Episcopi Ægypti ad Marcum Papam. Iidemque ad Felicem: *Firmamentum a Deo fixum, et immobile. Praesul Apostolicus in summitatis arce constitutus, cui Deus omnium Ecclesiarum curam habere praecepit.*

Basis fidei. D. Chrysostomus hom. 2. in Ps. 50. Et hom. de Petro, et Elia: *Basis immobilis. Magister Orbis Terrarum. Portus fidei.* Et hom. 55. in Matth. *Caput Ecclesiae adamantis naturam firmitate superans.* Et hom. 3. in Act. Apostolorum: *Columen Ecclesiae, fundamentum fidei.* Et hom. 87. in Jo. *Os Apostolorum, et Princeps, ac vertex caetus.* Et hom. in 12. Apostolos: *Fundamentum aeternum fidelium.* Et hom. de S. Ignatio: *Praefectus toti Orbi Terrarum; Claviger Coelorum,*

cujus arbitrio, *et potestati cuncta Deus permisit.* Et in encomio SS. Petri, et Pauli: *Consiliarius necessarius Christianorum.*

Dux Discipulorum Christi. D. Epiphanius haer. 151.

Praeses Ecclesiae Divina Providentia praeordinatus: Dux universalis Ecclesiae. D. Joannes Damascenus orat. De Transfig. Et in hist. Barlaam c. 11. *Doctor supremus Orbis Terrarum: Petra fidei.*

Primas omnium, Praefectus Orbis. Robur, et petra Ecclesiae. Theophilactus in c. 22. Lucae.

Thronus supremus verticalis, in quo Christus fidei claves posuit, adversus quem non praevalebunt usque ad consummationem portae inferi, ora scilicet haereticorum. Theodorus Studita ep. ad Naveratium. Sequantur modo Patres Latini.

Fastigium sublime Sacerdotii. D. Cyprianus ep. 52.

Dominus, et Pater totius Ecclesiae in Terra peregrinantis D. Anselmus l. De Inc. Verbi c. 7.

Judex Coeli in terreno judicio. D. Hilarius in Ps. 131.

Custos fidei. D. Petrus Chrysologus ser 107.

Vice Christi fungens, et Summo Pastorum Apostolica dignitate succedens, D. Petrus Damianus Opusc. 17. c. 4. Et Opusc. 23. c. 1. *Cacumen, ac vertex humani generis. Homo hominum praecipuus. Pater Orbis. Episcopus solus universalis omnium Ecclesiarum.* Et opusc. 36. c. 1. *Cardo summus totius Mundi.* Et ser. 26. *Lingua Coelorum.*

Episcopus Orbis. Haeres S. Petri. Petrus Blesensis ep. 145.

Murus inexpugnabilis contra haereses. Rupertus l. 2. de Div. Officiis c. 22.

TRACTATUS VI.

DE AUCTORITATE PATRUM, AC DOCTORUM ECCLESIAE.

CAPUT UNICUM.

Quae ad SS. Patrum, Doctorumque Ecclesiae auctoritatem spectant, unico hoc cap. complectemur, non enim, nisi pauca, sunt quoad hoc scitu necessaria. Et 1.° Ecclesiae Patrum nomine *viri illi insignes intelliguntur primorum saeculorum, qui eminenti, et sana doctrina cum praeclara simul vitae sanctitate in Ecclesia floruerunt*; ex quo sequitur, illis ad rigorem accenseri non posse Tertullianum, Originem, Eusebium Caesariensem, aliosque id genus, quos in multis pertinaciter errasse, nec ad bonam frugem rediisse, constat. Doctorum vero nomine, *quos item Ecclesia hoc titulo condecoravit*, vel quia inter ipsos Patres operum copia, eruditione excelluerunt, vel quia post Patrum aetatem, scilicet post XII. saeculum, Ecclesiam scriptis suis defenderunt, et illustrarunt.

Quoad eorum vero auctoritatem, 1.° quidem probatione non eget, quod si in rebus ad fidem, vel mores minime spectantibus aliquid scripserint, tantum illis auctoritatis est demandandum, quantum roboris habent rationes, quas attulerint. Non ita tamen, ubi agatur de iis, quae ad fidem, vel mores spectant. Qua super re probatione etiam non eget, quod unius etiam auctoritas certum argumentum praestat, si illius super tali re doctrina expresse laudata, et approbata fuerit ab Ecclesia; ut D. Cyrilli anathematismi adversus Nestorium in Concilio Ephesino approbati; SS. Athanasii, Basilii, utriusque Gregorii, Hilarii, Ambrosii, Augustini Opera in causa Origenis, et trium Capitulorum a Concilio V. Generali comprobata. Ubi vero illius doctrina expresse ab Ecclesia approbata non fuerit, unius, vel alterius auctoritas certum quidem argumentum non praebet, sed tale etiam habet pondus, ut ex se rem probabilem faciat: *Ex Patribus enim* (ait Agatho S. Pont. in ep. ad Leon. Imp.) *orthodoxae fidei veritas claruit*. Et rursus ibid. *Sanctorum Patrum testimoniis, tamquam*

radiis spiritualibus, *Ecclesiae Catholicae*, *atque Apostolicae doctrina illustrata est.* Et quidem si ante haeresim alicui dogmati oppositam scripserint, minus; si post illam, magis; etiamque magis, si eam data opera confutaverint; ut enim scite advertit D. Aug. in Ps. 54. in. 22. *Numquid perfecte de Trinitate tractatum est*, *antequam oblatrarent Ariani? Numquid de Poenitentia . . antequam obsisterent Novatiani? etc.* . Idemque S. D. Pelagianos Patrum Graecorum, ac presertim D. Chrysostomi textibus abutentes, sic revincit l. 1. cont. Julian. c. 6. n. 22. *Disputans* (Chrysostomus) *in Ecclesia Catholica*, *non se aliter intelligi putabatur*; *tali quaestione nullus pulsabatur*; *vobis nondum litigantibus securius loquebatur.* Ut nempe addit D. Hier. l. 2. Apolog. cont. Ruffin., ante exortas haereses quandoque Patres minus caute loquebantur, et catholice in Ecclesia Catholica intelligebantur.

Addit quoque Theodoretus, quod non raro toti in aliquo errore confutando intenti, et occupati, in oppositum errorem, aestu disputationis abrepti, inclinare visi sunt: *Vehemens enim* (ait) *cum adversariis contentio*, *facit*, *ut modum excederent. Hoc et in iis*, *qui arbores colunt*, *evenire solet*: *cum enim incurvam plantam viderint*, *non solum ad rectam normam erigunt*, *sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt*, *ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum statum perducatur* (*Dial.* 3. *Impat.*).

Quid vero, si non unus, aut alter, sed plures in idem consentiant, reliquis, licet paucioribus, dissentientibus? Neque etiam in hoc casu firmum ab iis argumentum colligi, commune est apud Theologos; ut enim ait laud. D. Aug. ep. 82. ad D. Hier.: *Solis Scripturarum libris*, *qui Canonici appellantur*, *didici hunc timorem*, *honoremque deferre*, *ut nullum eorum Auctorem scribendo errasse aliquid firmissime credam. Alios autem ita lego*, *ut quantalibet sanctitate*, *doctrinaque praepolleant*, *non ideo verum putem*, *quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Auctores canonicos*, *vel probabili ratione*, *quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Omnibus tamen in idem consentientibus, sit

Prop. Unanimis Patrum, Doctorumque consensus in quaestionibus fidei, ac morum firmissimum, ac certissimum argumentum praestat ad stabiliendum dogma, aut errorem impugnandum.

Prob. Et 1.° ex Script.; ita enim Ap. ad Eph. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores.; ut non simus jam parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris.* Ex his autem verbis intelligitur, Divinae Providentiae fuisse, ut non solum Prophetarum, Apostolorum, et Evangelistarum Codices haberemus, verum etiam SS. Doctorum in illos commentaria, e quibus nempe germanum Sacrorum librorum sensum, rectamque eorum interpretationem habentes, non simus fluctuantes; et circumferamur etc. . Quisquis ergo eos in eumdem Scripturae sensum convenientes contempserit, non homines contemnit, sed Deum; a quo nempe dati Ecclesiae fuerunt, ut per eos fideles rectam sacrorum librorum interpetrationem discerent.

2.° Ex Conciliis; ut ex Constantinop. II., ubi act. 13. damnati fuerunt Origenistae, eo quod interpretati fuerant Scripturas contra Majorum traditionem. Ex Constantinop. IV., ubi can. 1. dictum fuit: *Sanctorum Patrum Decreta, veluti inextinctae quaedam, semperque lucentes faces, sequenda sunt.* Ex Viennensi, ubi ita Clemens Concilio praesidens: *Nos ad SS. Patrum, et Doctorum communem sententiam Apostolicae considerationis aciem convertentes, Sacro approbante Concilio, declaramus etc. (Clement. 1. De Summa Trin.).* Ex Lateran. V. sub Leone X. act. 11., ubi praeceptum fuit omnibus, qui Evangelicam veritatem populum docturi sunt, ut Sanctam Scripturam juxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, explanent; nec quicquam eis contrarium, aut dissonum adjiciant. Ac demum ex Trid. sess. 4., ubi: *Decrevit S. Synodus ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit, et tenet S. Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.*

3.° Ratione; et 1.° qua utitur Canus l. 7. de loc. c. 3.; ait enim: *Clarissimis monumentis contestata, consignataque antiquitas quem non moveat? Certe cum Clementem,*

Dionysium, Irenaeum, Epiphanium, Nazianzenum, Basilium, Ambrosium, Augustinum, Bernardum audio, unum idem proferentes, non existimo totidem hominum doctissimorum quidem, et Sanctissimorum, attamen hominum, me audire sententiam, sed Catholicae Ecclesiae, cujus illi fuere columnae praecipuae. Nec enim aliud viri illi omnes tanto consensu sensisse credendi sunt, quam quod communiter Ecclesia Catholica sentiebat.

2.° Ut recte advertit Vincentius Lyrinensis in Commonitorio, *mos est in Ecclesia semper viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet.* Ratio vero est, quod cum Ecclesia, ut dicitur ad Ep. 2., sit *superaedificata super fundamentum Apostolorum*, quos Spiritus S. docuit juxta Christi promissionem Jo. 14. *omnem veritatem*, numquam proinde credit, nec umquam credere potest, nisi quod Apostoli crediderunt; ex quo sequitur, doctrinas novas, et peregrinas fidem non agnoscere. Ab unanimi autem Ecclesiae Patrum consensu dignoscitur, quod illa, et non alia fuerit semper ipsius Ecclesiae fides. Hinc in Concilio Ephesino ad dignoscendam avitam fidem contra Nestorium, decretum fuit, ut Sanctorum Patrum sententiae in medium proferrentur: quibus prolatis, damnatus fuit Nestorius, quia catholicae vetustati contrarius; probatus vero D. Cyrillus, quia Sacrosanctae antiquitati consentaneus: Ab unanimi igitur Ecclesiae Patrum consensu firmum quoque petitur argumentum ad fidei dogmata probanda.

3.° Quod Patres omnes in unum consentientes sint quoque Sacrae Traditionis testes, diximus jam tract. 2. resp. ad 2.; dum enim non hac tantum, vel illa aetate, sed per saeculorum serriem, non in uno tantum Christianae Religionis loco, sed in locis a se dissitissimis idem omnes docuerunt, licet id in Sacris Litteris non inveniatur expressum, habetur tamen, quod ad fidem sufficit, juxta Vincentii Lyrinensis regulam ab omnibus receptam, ad fidem scilicet pertinere, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est* (*In commonit*). Traditio autem, ex ostensis tract. 2., firmum argumentum praebet ad fidei dogmata probanda: Et unanimis ergo Patrum consensus firmum ad id argumentum praebet.

Quibus positis, nemo est, qui non videat, quam recte scripserit D. Hieronymus exponens illa Ap. verba ad Phi-

lemonem: *Gratias ago Deo meo, audiens fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes Sanctos ejus*; in quae ita S. Doctor: *Quicumque Deo credidit, aliter ejus fidem recipere nequit, nisi credat et in Sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta fides, quae in Ministros ejus infidelitate teneatur.* Item Leo Papa ad Leonem Imperatorem in causa Eutychetis, ejusque sectatorum: *A Sanctis Doctoribus consentientibus nullos, nisi impios, et haereticos discrepare.* Ac demum laudatus Vincentius Lyrinensis loco cit. *Necesse est omnibus Catholicis, qui sese Ecclesiae legitimos filios probare student, ut Sanctorum Patrum fidei inhaereant, adglutinentur, immoriantur; profanas vero novitates detestentur, horrescant, persequantur. Concilio enim Ephesino divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod Sacrata sibi consentiens Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas.*

Diximus *in quaestionibus fidei, ac morum*; ut enim advertit idem Lyrinensis l. c., *antiqua SS. Patrum consensio non in omnibus Divinae legis quaestiunculis, sed solum in fidei regula magno nobis studio et investiganda est, et sequenda.* Quod et distinguens D. Aug. l. 1. cont. Jul. c. 1. *Alia sunt* (inquit), *in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulae Catholicae defensores, salva fidei compage, non consonant; alia vero, quae ad ipsa fidei pertinent fundamenta.* Hinc licet omnes ferme Patres qua Graeci, qua Latini doceant, Mundi hujus partes non omnes eodem simul die, sed multis sibi mutuo succedentibus conditas fuisse, ornatas, et absolutas, eorum nihilominus consensio, uno tantum D. Aug. excepto, id fide certum non reddit, sed adhuc hinc inde probabiliter disputatur, an illi sex dies, quibus omnia dicuntur perfecta, litteraliter, vel figurate intelligendi sint, ut suo loco dicetur. Cujus generis alia quoque exempla non deessent.

Objic. 1.° quod dum Ecclesiae Patribus acquiescimus, nonnisi hominum doctrinae acquiescimus; nec ducimur, nisi hominum auctoritate, quae ex se est fallibilis. Repugnat autem ab auctoritate, quae ex se est fallibilis, firmum argumentum ducere: Ergo.

R. neg. maj.; ipsi enim Patres professi sunt, se non sequi quoad ea, quae ad fidem, ac mores spectant, naturalis rationis ductum, sed Christi, et Apostolorum doctrinam, cui falsum nec subest, nec subesse potest. Hinc

iis adquiescendo, dum unanimi consensu idem doceant; non quidem hominum, sed Dei ipsius auctoritate ducimur, quae in Sacris Traditionibus a nobis per ipsos in idem consentientes transmissis agnoscenda est.

Objic. 2.°, quod sicut si in Sacris Voluminibus aliquid falsi deprehenderetur, tota simul eorum interiret auctoritas; ita si in Operibus Patrum sparsim errores deprehendantur, quid dicendum, nisi quod eorum auctoritas nihili facienda est? Constat autem, multos in illis errores deprehendi; aliquibus enim ex illis, ut suo loco dicetur error Millenariorum arrisit. Aliis plene purgatis animabus aeternam beatitatem ad diem usque Judicii differri. Nemo nescit, quod D. Cyprianus irritum censuit Baptismum ab haereticis collatum. De Chrysostomo refert Sixtus Senensis, docuisse, Saram in eo potissimum laudandam, atque imitandam, quod servandi Mariti causa Barbarorum se adulterio exposuerit, consentiente tamen Marito in ejus adulterium, immo etiam suadente (*Bibliot. Sacr. Annot.* 89.). De D. Augustino refert P. Viva in prop. 2 damnata ab Alex. VIII., quod non auserit peccati damnare eum, qui ad declinandam uxoris mortem usum illius alteri permiserat. Ita nempe S. D. *L.* i. *de serm. Dom.*. Utque paucis rem complectamur, notum est Petavii Opus *De Naevis Patrum*; utque scribit Natalis Alexander *T.* 3. *disp.* 16. *sect.* 2., non est difficile, in singulis pene Patribus naevos reperire, et in plerisque etiam errores. Nihili igitur eorum quoque simul auctoritas facienda est.

R. neg. sequ. maj.; si enim in Sacris Voluminibus aliquid falsi deprehenderetur, utique eorum tota interiret auctoritas, quia cum Deus nec falli possit, nec fallere, hoc ipso jam Deo afflante conscriptos non esse, manifestum esset: ex eo autem; quod in Operibus Patrum sparsim errores deprehendantur, nullatenus sequitur, quod eorum quoque in idem consentientium auctoritas nihili facienda sit, potuit namque illi, et alteri ex iis aliquis error obrepere, in quem tamen alii non consenserint. Porro quum omnes in idem consentiunt, tunc diximus, ex eorum simul auctoritate firmum argumentum sumi ad fidei dogmata probanda: *Quidquid non unus, aut duo tantum* (ita apposite Vincentius Lyrinensis in Commonitorio), *sed omnes pariter uno, eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse*,

scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.

Objic. 3.º, quod cùm Ecclesiae Patres exteras linguas ignoraverint, assequi profecto non potuerunt germanum Sacrarum Litterarum sensum, ita ùt errare non potuerint. Quod cum ita sit, ex eorum quoque unanimi consensu firmum duci nequit argumentum ad fidei dogmata probanda: Ergo.

R. neg. maj.; utique enim permulti ex iis, ac praecipue D. Hieronymus, et Origenes, periti fuerunt linguarum, nec nisi putidissimum haereticorum mendacium est, quod eas ignoraverint. Cui accedit, quod etiam absque linguarum peritia germanum tamen Sacrarum Litterarum sensum et callere poterant, et callebant tum ex Traditione, tum ex Ecclesia, cujus est ex ostensis tract. 1. cap. 2. prop. 4., et sequ. de germano earum sensu infallibiliter judicare.

Superessent quidem et alia, quae Centuriatores Magdeburgenses, Dallaeus, Clerch, Basnagius, Moshemius, Brukerus, Barbeyracius, alique ex Protestantibus adversus Patrum auctoritatem consarcinare nisi sunt. Quia tamen facili negotio ex his, quae diximus tum hic, tum ubi de Traditionibus, diluuntur, ab illis afferendis abstinendum duximus. Praetermittendum tamen non est, qui sint praecipui Patres, qui quovis saeculo floruerunt, et quinam ex iis, aliique fuerint item ab Ecclesia Doctorum nomine condecorati. Cumque solum, qui usque ad VII. Saeculum floruerunt, dicantur Patres stricto sensu, caeteri vero usque ad XII. dicantur tantum Scriptores Ecclesiastici, hinc eos solum, qui usque ad VII. Saeculum floruerunt, recensebimus. Et quidem fuerunt.

Primo Saeculo.

S. Dionysius Areopagita, S. Ignatius Martyr, S. Polycarpus. Scripta enim, quae dicuutur D. Clementis, et Hermetis non habentur, saltem certo, pro autenticis.

Secundo saeculo.

S. Justinus Martyr, S. Theophilus, S. Irenaeus, Tertullianus, Egesippus, Panthaenus Alexandrinus.

Tertio saeculo.

Origenes, Julius Africanus, Minutius Felix, S. Cyprianus, S. Hippolitus, S. Cornelius Pontifex, S. Gregorius Thaumaturgus, S. Victorinus. Scripta vero Lactantii, Arnobii, ac Methodii habentur in quibusdam suspecta.

Quarto Saeculo.

S. Athanasius, S. Hilarius Pictaviensis, S. Ephrem, S. Optatus, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorins Nyssaenus, S. Joannes Chrysostomus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Epiphanius, S: Ambrosius, S. Hieronymus, Theophilactus. Scripta vero Ruffini, Palladii, et Eusebii Caesariensis habentur in quibusdam suspecta.

Quinto saeculo.

S. Augustinus Episcopus Hipponensis, S. Cyrillus Alexandrinus, Orosius, Severus Sulpitius, S. Isidorus, S. Leo Magnus, S. Eucherius, S. Hilarius Arelatensis, S. Petrus Chrysologus, S. Maximus, S. Paschasius, Sidonius, Vincentius Lyrinensis, Salvianus, Gennadius. Scripta vero Cassiani, et Fausti Rhegiensis sunt in aliquibus suspecta.

Sexto, et septimo saeculo.

S. Fulgentins, S. Victor Capuanus, Anastasius Sinaita, Primasius, Climacus, Cassiodorus, Hesichius, S. Gregorius Turonensis, Fortunatus, S. Gregorius Magnus.

Doctorum vero nomine condecorati item sunt ab Ecclesia ex Latinis S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, S. Leo Magnus, S. Isidorus, S. Petrus Chrysologus, S. Anselmus, S. Thomas Aquinates, et S. Bonaventura. Ex Graecis S. Athanasius, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chrysostomus.

TRACTATUS VII.

DE AUCTORITATE THEOLOGORUM SCHOLASTICORUM

CAPUT UNICUM.

Theologorum Scholasticorum auctoritas quanti in rebus fidei, et morum sit facienda, vel ex eo quisque potest colligere, quod in eam gravissimis conviciis Wiclefus, et post eum Lutherus debacchati fuerint, Theologiam Scholasticam vocando ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam, quam nos aversari debere, Apostolus monet; ejusque causa dixerint, Evangelium obscuratum esse, ac fidem extinctam. Et sane quis non videt, quod ideo Theologi Scholastici adeo haereticis infensi sunt, quia nempe hi intelligunt, Catholicam fidem, quam expugnare moliuntur, eorum studio, ac doctrina muniri; eamdemque ob causam, ob quam lupi canes odio prosequuntur? Contra quos sit idcirco

Prop. Communi Theologorum sententiae in rebus fidei, aut morum contradicere, temerarium, immo et haeresi proximum est dicendum.

Prop. Et 1.° ex Christi verbis ap. Luc. 17. *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Haec autem non modo ad primos Theologos, idest Apostolos, retulit, sed ad Doctores etiam in Ecclesia futuros, quamdiu pascendae essent oves in scientia, et doctrina, ut ex se patet: Ergo.

2.° Ex Apostoli verbis ad Eph. 4., quod Christus *alios dedit in Ecclesia Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae.* Hinc autem sequitur, quod quamdiu Christi Corpus, hoc est Ecclesia, aderit, ad Divinam procurationem pertinebit, ut ii, qui in Ecclesia sacrae doctrinae doctores habentur, veritatem in fide teneant, ne populus parvulorum more circumferatur: Ergo.

3.° Ex Clem. unica de Summa Trin., ubi PP. Concilii Vienn., *opinionem illam* (dixerunt), *quae dicit*,

tam parvulis , quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam, et virtutes, tamquam probabiliorem , et Doctorum modernorum Theologiae magis consonam , et concordem , fore a Catholicis eligendam. Quod si in re , quae olim inter ipsos etiam Scholasticos Theologos controversa fuerat, opinio concors juniorum tanti apud Patres in Concilio fuit, ut definierit, hujusmodi opinationem esse tenendam , dicendum profecto est, quod omnium tam veterum , quam juniorum , non quidem mera opinio , sed sententia adeo fidem faciat , ut illis refragari temerarium , et haeresi proximum sit censendum : Ergo.

4.° Quia quod omnes Scholastici certo , ac firmiter docent , id profecto vel ex Sacris Litteris, vel ex Apostolorum Traditione , vel ex Conciliorum , aut Pontificum definitionibus probant. Quidquid autem his nititur , certamque ab iis habet originem, nonnisi temere , ac animo non fideli exploditur: Ergo.

5.° Quia in omni fere re homines a se invicem dissidere , nemo nescit. Quod si in omni fere re inter se decertant , idem profecto Theologi omnes non assererent , nisi ad idem sentiendum Dei Spiritus eos ageret : Ergo.

6.° Demum , quia , ut initio , diximus , in quacumque arte peritis credendum esse , ipsa dictat ratio : Et in Divinis igitur Theologis credendum , ubi unanimiter idem sentiant.

TRACTATUS VIII.

DE RATIONE NATURALI IN THEOLOGIA.

CAPUT I.

De usu rationis naturalis in Theologicis pertractandis.

Postremum locum, ut in hujus libri exordio advertimus, in Theologicis pertractandis obtinet naturalis ratio. Hunc tamen obtinet: nedum enim conclusiones ex principiis revelatis disserendo colligere, Theologorum esse munus, et Ecclesiae perutile, ac quodammodo necessarium, nec non a Christo, et ab Apostolis usitatum fuisse, in introductione ad Theologiam prop. 1. demonstravimus: verum etiam ex ipso rationis penu argumenta elicere ad fidei dogmata, quae humanum captum non supergrediuntur, comprobanda, utile, ac laudabile esse, ex ipsis Sacris Litteris patet. Et sane Christum quoque, Apostolos, aliosque Sacros Scriptores ante eorum tempus non raro etiam argumentis e ratione petitis usos ad id opus fuisse, passim Sacrae Litterae testantur. Sic Regius Psaltes Ps. 39., Deum omnia intueri, et intelligere, ex eo probat, quod videndi, et audiendi organis nos donaverit: *Qui plantavit aurem* (inquiens), *non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat?* Sic etiam Auctor Sapientiae c. 13., *vanos esse* (inquit) *omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum. qui est; neque operibus attendentes, agnoverunt, quis esset Artifex. . . A magnitudine enim speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Per Jsaiam quoque c. 66. aeternam Filii Dei generationem aliquatenus suaderi, ex illis verbis patet: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero?* Christus item, ut nos doceret fiduciam in Deo habendam, quod nobis deficere non patietur ad victum, et vestitum necessaria, *respicite* (inquit Matth. 6.) *volatilia Coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester Coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis*

illis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Si autem foenum agri Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei? Et Matth. 12., ut Pharisaeis ostenderet, quod die etiam Sabbati curare proximum liceret, *dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit haec Sabbatis in foveam, nonne tenebit, et levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere.* Item Apostolus, ut legitur Act. 17., Dei omnipraesentiam ex eo probat, quod omnibus det vitam, motum, ipsumque esse: *Non longe* (inquiens) *est Deus ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* Itemque ep. 1. ad Cor. c. 15. possibilitatem futurae Corporum resurrectionis mirabiliter suadet; ita disserens: *Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui, qualive Corpore venient? Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, utputa tritici, aut alicujus caeterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult, et unicuique seminum proprium corpus.* Ex quibus omnibus patet, utile, ac laudabile esse, Sacrorumque Scriptorum, nec non Christi, et Apostolorum exemplo confirmatum, nedum ex principiis revelatis conclusiones disserendo colligere, sed ex ipso etiam naturalis rationis penu argumenta elicere, ad ea, quae intellectus nostri aciem non superant, comprobanda.

Est, quod hactenus diximus, luce meridiana clarius. Dum tamen in Theologicis pertractandis rationi naturali non negatur locus, sunt simul ei quidam limites praescripti, quos non servantes modo hac, modo illa aetate, sed proprio indulgentes genio, tripliciter hac super re errarunt; quare etiam triplex hic confutandus est error. Primus nempe, quem Lutherus docuit, posse aliquid juxta fidem esse verum, ac simul falsum juxta rationem, et vice versa; quare ita scribit tom. 1. edit. Jen. ann. 1612. fol. 466. *In Theologia verum est, Verbum esse carnem factum; in Philosophia simpliciter impossibile, et absurdum.* Et: *Sorbona Mater errorum pessime definivit, idem esse verum in Philosophia, et Theologia; impieque damnavit, eos, qui contrarium disputaverunt.* Luthero tamen praeiverat Pomponacius, asserens, se nosse, et credere, animam rationalem immortalem esse ex fide, at simul scire ex ratione esse mortalem.

Alter, quem docent Sociniani, quibus Manichaei praeiverant, rationem nempe esse normam, ad quam fidei dogmata expendenda sunt, ita ut fides sit rationi subjicienda, non ratio fidei: *Homo* (ita ex iis Ostorodonus l. Inst. c. 6.) *non tenetur credere, quod ratio dictat esse falsum.*

Tertius demum, quem docet Baylius *in Diction. historico critico*, Opere omnium perniciosissimo, quodque Bergerius *in Dizion. Theol. art. Bayle* appellat *maxime Diabolicum, immensumque impietatis, obscoenitatis, et irreligionis chaos*, fidei scilicet dogmata argumentis evidentibus impugnari; cum enim contra Trinitatem, Incarnationem, ac praesertim contra Providentiam, et Bonitatem Dei objectiones ex ratione ductas *in art. Pyrrhon.*, *Manich.*, *et alibi* proposuerit, ut totidem evidentia, et insolubilia argumenta, aliud responsionis loco non affert, nisi rationi humanae non confidendum, auctoritatem Scripturarum esse rationibus evidentissimis anteponendam, fideique adhaerendum, quae cum sit supernaturalis, talis proinde est naturae, ut de rationis evidentia triumphare debeat. Cum autem publicis scriptis de Pyrrhonismo, et irreligione merito idcirco postularetur, ad hujusmodi accusationem a se propulsandam duplex figmentum protulit *in Eclairciss. sur le Manich.*; 1.° evidentiam esse quidem veritatis characterem certissimum, sed non omnia esse aeque evidentia; distinctisque variis evidentiae gradibus, adversariorum objectiones irritas fieri. 2.° fidem equidem pugnare cum ratione particulari, quae in nobis est, sed non cum ratione universali, quia dum mens evidentia quaedam luminis naturalis principia deserit, ut revelationi se submittat, ducitur certissimis aliis id praescribentibus naturalis luminis principiis. Quibus positis, ex eo, quod ait, fidei dogmata argumentis evidentibus impugnari, contendit, nec universalem Pyrrhonismum invehi, quippe quod evidentia, licet sit certissimus character veritatis, non omnia tamen sunt aequae evidentia: nec irreligionem suaderi, quia dum Religionis Mysteria dicuntur argumentis evidentibus contraria, dicuntur simul esse in se vera. Quibus praemissis, sit.

Prop. I. Nequit idem esse verum juxta fidem, ac simul falsum juxta rationem. Est de fide.

Probatur = Et 1.° ex Conc. Lat. V. sub Leone X., ubi ita contra Pomponacium sess. 8.: *Cum verum vero*

minime contradicat, *omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam falsam esse*, *definimus*, *omnesque hujusmodi erroris assertionibus inhaerentes*, *veluti damnatissimas haereses seminantes* (cum enim, aliquid definitum fuerit de fide, tamquam verum, hoc ipso definitum fuit de fide, oppositum esse falsum), *per omnia*, *ut detestabiles*, *et abominabiles haereticos*, *et infideles*, *Catholicam fidem labefactantes*, *vitandos*, *et puniendos fore*, *decernimus.*

2.° Ratione: cum enim veritas, prout in eam Logici animadvertunt, sit *convenientia cogitationis cum objecto*, possibilitas vero *negatio contradictionis*, hinc quemadmodum repugnat, ut idem simul sit, et non sit: ita etiam, ut idem simul sit, et non sit verum, possibile, et non possibile. Absolute autem repugnat, ut idem simul sit, et non sit: Et igitur, ut idem simul sit, et non sit verum, possibile, et non possibile. Deinde cum rei veritas, sicut et possibilitas ipsam rei essentiam afficiat, hinc quemadmodum cujusvis rei essentia, ita et cujusvis rei veritas, et possibilitas independens dicenda est a dispositionibus mentis nostrae, quales sunt fides, et Philosophia. At si idem verum, et possibile esset ex fide, falsum vero, ac impossibile ex Philosophia, veritas, ac possibilitas rei a mentis dispositionibus penderet: Nequit igitur idem verum esse, ac possibile ex fide, falsum vero, et impossibile ex Philosophia. Sed in re tam clara diutius immorandum non est. Sit igitur

Prop. II. Impium est cum Socinianis humanam rationem fidei normam statuere. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ut ex illis Christi verbis Matth. 11. *Confiteor tibi, Pater, Domine Coeli, et Terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et: *Nemo novit, Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Nec non ex c. 1. ad Eph., ubi: *Deus Domini nostri J. C. Pater gloriae det vobis spiritum sapientiae, et revelationis in agnitione ejus.* Dixerat quoque Isaias c. 50. *Dominus meus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico.* Et Regius Psaltes Ps. 118. *Revela oculos meos; et considerabo mirabilia de lege tua.* Et: *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua*; quia nempe non assentimur fidei, nisi ex interiori Dei gratia, quae ad assensum inclinet. Si autem ratio

naturalis esset fidei norma, nec essent fidei mysteria Sapientibus abscondita, sed hi potius essent ad ea percipienda magis idonei, quam suum in fidei obsequium captivantes intellectum; nec opus esset ad credendum interiore Dei revelatione, sed opus ad id esset potius humanis rationibus, et philosophiae argumentis: Non igitur fidei norma, ut Sociniani inquiunt, ratio naturalis.

Idem confirmatur ex illis Ap. verbis 1. ad Cor. c. 2. *Sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Et 1. ad Thess. c. 11. *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Si autem credendi norma esset ratio naturalis, nec confirmanda fuisset ab Apostolo ejus praedicatio patratis in Christi nomine signis, sed potius eruditione, qua utitur hominum sapientia; nec Deus operatus fuisset in Thessalonicensibus, ut crederent, sed eorum animum fides Christiana pervasisset, prout omnis humana institutio animos pervadit, naturali scilicet intelligentiae vi: Naturalem ergo rationem non esse a nobis habendam, tamquam credendi normam, consequens est.

Idem quoque confirmatur ex aliis Ap. verbis l. cit. ad Cor.: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, et non potest intelligere*; quod nempe fidei mysteria humanae rationis aciem supergrediuntur. Hinc idem Ap. 2. ad Cor. c. 10. hortatur, ut *in captivitatem redigamus omnem intellectum in obsequium Christi.* Et ad heb. c. 11 advertit, quod *fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Si autem fidei mysteria humanae rationis aciem supergrediuntur, ideoque fideles non sunt, nisi *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, quia fides est *argumentum* (seu, ut habet graecus textus, *convictio, demonstratio, firma persuasio, assensus firmissimus non apparentium*), quid clarius, quam quod methodus Sociniana in credendo manifeste contradicit Scripturis, omnemque e medio fidem tollit?

Gravissima demum sunt ex Scripturis, ac luce ipsa clariora adversus Socinianam in credendo methodum illa

Proverbiorum verba c. 25. *Scrutator Majestatis opprimetur a gloria.*

2.° Ex PP., ex quibus alii ex rerum naturalium ignorantia eorum redarguunt superbiam, qui fidei mysteria cum non intelligant, respuunt; alii monent, quod nonnisi credendo intelligere poterimus fidei mysteria. Ita sane D. Athan. in c. 11. Matth. *Quid impii his de rebus, quas scrutari nefas est, effutire non verentur; illi, inquam, qui et homines sunt, nec vel ipsam rerum terrestrium naturam possunt evolvere? Immo quae vel ipsos spectant, ipsi explicent nobis; num videlicet suam ipsorum naturam percipere queant?* Ut nempe pergit D. Chrysost. de incomprehensib. Dei Nat. *Cibos comedo. Quo pacto autem dividantur in pituitam, sanguinem, humorem, ignoro. Haec quae quotidie comedentes videmus, ignoramus tamen: et Dei substantiam curiose scrutamur?* Ita quoque D. Aug. ep. ad Volusianum, ubi de Verbi Incarnatione loquens, *hic* (ait) *si ratio quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Addit S. D. tract. 40. in Jo. *Credimus, ut cognoscamus, non cognoscimus, ut credamus. Quid enim est fides, nisi credere quod non vides?* Utque ait postea D. Greg. M. hom. 26. in Evang. *Fides non habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum.* Ita etiam D. Cyrill. A ex. l. 4. in Jo. *Post fidem cognitio sequitur, non haec illam antecedit, quemadmodum scriptum est: Si non credideritis, non intelligetis (Is. 7. juxta 70). Et Jo. 4.: Et nos credimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei; postquam enim basis instar constituta fuerit in nobis simplex, nec curiosa fides, super hac deinde, ac paullatim cognitio struitur.*

3.° Multiplici ratione: 1.° enim methodus Sociniana in credendo maximam Deo injuriam irrogat, nihil namque Deo injuriosius, quam illi revelanti fidem detrectare, donec visum non fuerit, quod id, quod revelavit, sit rationi consentaneum. Est item periculosissima, cum adeo imbecilles simus, ut res etiam nostris sensibus subjectas nequeamus persaepe comprehendere. Convertit item Christianam fidem in Philosophiam disceptatricem, cum hic affirmare, ille vero negare posset, datum dogma rationi esse consentaneum. Securam tandem e manibus eripit in

credendo normam ; quaenam etenim in credendo securior norma , quam illi statim credere , qui nec falli potest , nec fallere ; idque eo amplius , quia sicut comprehendi nequeunt ejus Natura , et operationes , ita incomprehensibiles esse debent innumerae veritates ad ejus Naturam , et operationes pertinentes ? Quae cum ita sint , impium profecto dicendum erit methodum Socinianam in credendo sequi : Ergo.

2.° Innumera sunt ad Mathesim , ac Metaphysicam pertinentia , quae his quidem incumbentes studiis clare intelligunt , et evidenter demonstrant , talium vero ignarus , immo et non raro iisdem studiis incumbens , percipere nullatenus valet. Porro si nos ipsos inter , licet ejusdem naturae , tot , tantaque sunt aliquorum rationi impervia , quae aliis sunt clara , et evidentia , mirum esse non debet , quod infiuita Dei mens infinita intelligat , et comprehendat , quae hebes , ac infirma mentis nostrae acies assequi nullatenus potest ; ex quo sequitur , quod sicut stultus esset rudis , ac ingenio hebes , qui tamquam absurda traduceret , rejiceretque , quae sibi a Sapiente proponerentur , quia sibi impervia , ita , ac multo magis stultus aestimandus est , qui tamquam absurda traducit , rejicitque cum Socinianis dogmata a Deo nobis revelata , quia ejus rationi impervia : Ergo.

3.° Cum finis revelationis sit , ut id , in quo caecutit ratio , homini ostendat , nihil plane Divini illa praeseferret revelatio , quae id unice doceret , quod ratio agnosceret. Quod si revelatio multa debet praeseferre rationi impervia , impium profecto erit illam cum Socinianis revelatarum rerum , seu fidei normam statuere : Ergo.

4.° Demum quum fidei capita ratione expenderentur , vel occurrerent menti argumenta probabilia , vel ei occurrerent certae demonstrationes. Si autem argumenta probabilia , opinionem gignerent , non fidem , cum fides formidinem non admittat : Si certae demonstrationes , nedum nullum esset fidei meritum , sed et Christiana Religio sublimior non esset profana Philosophia , cui potius natura , et pretio aequaretur.

Objic. 1.° illud Ecclesiastici c. 29. *Qui cito credit , levis est corde.* Nec non illud Jo. ep. 1, c. 4. *Nolite omni spiritui credere , sed probate spiritus , si ex Deo sint.* Utrumque autem nos docet , quod nonnisi ratione

duce, ejusque criterio credamus: Haec ergo a nobis norma sequenda in credendo est.

R. neg. min.; quoad 1.m enim, loquitur eo loci liber Ecclesiastici, ut D. Bernardus advertit ep. 190. ad Innoc., *non de fide in Deum*, *sed de mutua inter nos credulitate*. Cui accedit, leviter non credi a captivantibus intellectum in obsequium fidei; ex ostensis enim tract. 1. cap. 1., dum motiva credibilitatis directe demonstrant veritatem Religionis Catholico-Romanae, indirecte simul demonstrant, verum esse quidquid ipsa docet, et proponit credendum. Quoad alterum vero, loquitur D. Joannes de Pseudo-Prophetis, qui cum a fide J. C. conarentur tunc temporis fideles abducere, negantes, eum in carne venisse, monebat Apostolus eos, quibus scribebat, ut ab illis se caverent; et praecise, ut cum Apostolicis institutionibus eorum sermones conferrent, ne ab iisdem deciperentur. Hinc expressius ep. 2. *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.*

Objic. 2.° jubere Apostolum ad Rom. 12, quod obsequium a nobis fidei debitum sit *rationabile*. Ratione igitur duce, et non aliter, a nobis est credendum.

R. neg. cons.; 1.° enim obsequium illud rationabile, de quo Ap. loquitur, non est, nisi cultus interior, ac spiritualis, quem opponit cultui Judaico, qui totus materialis erat, in mactatione, et sanguine victimarum positus; vox quippe, quae in Vulgata nostra redditur per *obsequium*, in graeco autographo nonnisi cultum significat. 2.° quod utique etiam rationabile est obsequium, quod fidei a nobis redditur, dum ejus mysteriis credimus, quae tot prodigiis, ac miraculis firmata sunt, tot Prophetarum oraculis immixa, tam mirabiliter per totum Orbem propagata: quibus perpensis, *quisquis adhuc prodigia* (ajebat D. Aug. l. 22. de Civ. Dei c. 8.), *ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui Mundo credente, non credit.*

Objic. 3.° quod recta ratio est infallibilis. Penes nos autem est rectae rationis usus: Penes nos igitur etiam non falli. Quod cum ita sit, ratione judice expendenda erunt fidei dogmata: ergo.

R. 1.° Dist. min.; penes nos nempe esse rectae rationis usum speculative loquendo, dumque agatur de iis,

quae sunt juxta nostrum captum; non autem practice loquendo, atque in rebus, quae nostrum captum superant. 2.° neg. cons.; adhuc enim superest, quod methodus Sociniana et Scripturis, Patribusque opponitur, et injuriosissima Deo est, nobisque periculosissima, et Christianam fidem convertit in Philosophiam disceptatricem, et tandem e manibus eripit normam in credendo securissimam.

Objic. 4.°, tam licere dogmatum in Scripturis contentorum veritatem examini rationis permittere, quam de earumdem Divinitate ex ratione inquirere. Ratione autem expenditur, ac probatur Divinitas Scripturarum: Ergo.

Resp. neg. maj. Dum enim SS. Scripturarum Divinitas adversus Incredulos discutitur, et vindicatur, hoc ipso, eas esse a Deo inspiratas, minime supponitur. Nihil ergo piaculi, si qui SS. Scripturarum Divinitatem fide tenent, secluso circa ipsum fidei objectum dubio effectivo, rationes, quibus earumdem Divinitas astruitur, expendant, ac momentis, testimoniis, et motivis credibilitatis Incredulos revincant. Dum vero dogmatum in Scripturis contentorum veritas permitteretur rationis examini, jam supponeretur, quod hae fuerint Divinitus inspiratae; et nihilominus Deo loquenti fides detrectaretur, donec quod revelaverit, humana ratio approbaret. Patet ergo disparitas.

Objic. 5.° Interpretamur Scripturas ex scopo loquentis, nativa verborum vi, antecedentibus, et consequentibus, etc.. Quod cum ita sit, ratione duce de Scripturarum sensu judicamus: Ergo.

Resp. 1.° neg. maj. Ad dignoscendum namque legitimum Scripturae sensum incedimus quidem via etiam discussionis, et examinis praefato modo, sed maxime, et firmiter nonnisi auctoritatis via, illum semper agnoscentes cujusvis Scripturae sensum, tamquam genuinum, quem nos docet Ecclesia, quae est columna, et firmamentum veritatis. 2.° neg. sequ. min.; tunc enim a nobis ratione duce judicaretur de Scripturarum sensu, cum, hoc perspecto, expenderetur postea, an sit, necne rationi consentaneus; sique rationi inveniretur consentaneus, reciperetur; sin minus, respueretur. Ita tamen non fit; sed statim perspecto, statim quoque absque alio recipitur.

Prop. III. Impium, ac viam incredulitati sternens

est cum Baylio asserere, quod fidei mysteria argumentis evidentibus impugnentur.

Probatur = Quod impugnatur evidentibus argumentis, veris quoque, ac genuinis demonstrationibus impugnatur. Nec dicat Baylius, suos evidentiam habere gradus, ideoque non illam semper evidentiae quantitatem haberi, quae ad veram, et genuinam demonstrationem requiritur: quia enim tunc solum evidentia habetur, quum id omne percipitur, quod judicatur, adeo ut perceptio tam late pateat, quam judicium ei innixum; ut ex. gr., ideo judicium illud *bis duo dant quatuor* dicitur evidentia fultum, quia totum percipitur quidquid illo judicio exprimitur: hinc vel totum id, quod judicatur, simul etiam percipitur, et semper habetur evidentia; vel totum id, quod judicatur, simul tamen non percipitur, et numquam evidentia habetur. Juxta Baylium autem evidentibus argumentis impugnantur Religionis dogmata. Juxta eumdem igitur veris quoque, ac genuinis demonstrationibus impugnantur. Simul autem sunt vera juxta eumdem Baylium: Quod igitur verum est, veris simul, ac genuinis demonstrationibus impugnari potest. Si autem quod veris, ac genuinis demonstrationibus impugnatur, potest esse verum, aeque etiam quod veris, ac genuinis demonstrationibus adstruitur, falsum esse poterit; ex quo universalem Pyrrhonismum invehi, nemo est, qui non videat: Ex Baylii igitur asserto universalem Pyrrhonismum invehi, consequens est; ex quo simul incredulitati viam sterni, luce meridiana patet, invecto enim universali Pyrrhonismo, ubi amplius subsisterent credibilitatis motiva? Hisque e medio sublatis, quis non videt quod obsequium a nobis fidei debitum in caecum Enthusiastarum impetum converteretur, quodque Enthusiastarum instar fidei adhaereremus?

Objicit tamen Baylius 1.°, rationem non solvere argumenta, quorum falsitatem non demonstrat. Ratio autem nec demonstrat, nec demonstrare potest falsitatem argumentorum, quae fiunt in fidei dogmata, quippe quorum nec adaequatam, nec claram ideam habet: Argumentis ergo insolubilibus impugnantur.

Resp. dist. maj., quod nempe ratio non solvit argumenta, quorum falsitatem non demonstrat, ubi agatur de veritatibus naturalibus, non vero ubi agatur de veritatibus revelatis, de quibus quum agitur, sufficit osten-

disse, ut argumentum dicatur solutum, istud non esse demonstrativum, vel quia nempe praemissarum aliqua in se, aut in suis principiis non est plane evidens, vel quia aliquod vitium in forma argumenti deprehenditur. Et sane, semper ac argumentum non sit demonstrativum, semper quoque illi potest subesse falsum. Huic autem subesse nequeunt veritates revelatae, cum Deus nec falli possit, nec fallere: In conflictu igitur cujusvis argumenti, quod non sit demonstrativum, cum quavis veritate revelata, adhaerendum veritati revelatae, et spernendum argumentum non demonstrativum; ideoque ubi agatur de veritatibus revelatis, ratio jam solvit argumenta simul ac ostenderit, eadem demonstrativa non esse.

Objicit 2.° idem dictu esse, fidei dogmata esse rationi impervia, ac notiones evidentes iis esse oppositas. Sunt autem, ut omnes fatentur, rationi impervia: Et notionibus ergo evidentibus opposita, ideoque argumentis evidentibus impugnantur.

Resp. neg. maj. Dicere enim, quod fidei dogmata sunt rationi impervia, idem est ac dicere, quod neque perspicimus conveuientiam praedicati cum subjecto, neqne earum nexum cum veritatibus nobis aliunde notis. Dicere autem, quod opponantur notionibus evidentibus, idem esset ac dicere, quod percipiamus repugnantiam inter praedicatum, et snbjectum, nec non inter eadem, et veritates nobis aliunde notas. Quis porro non videt inter utrumque perquam latum discrimen? Quis ita disserentem non rideret: Convenientiam non percipio inter A, et B: Percipio igitur inter A, et B. repugnantiam?

Objicit 3.°, contra rationem dici quod pugnat cum veritatibus nobis aliunde notis. Hujusmodi autem sunt fidei mysteria, ut ex se patet: Contra rationem igitur.

Resp dist. maj., dicendum nempe contra rationem quod pugnat cum veritatibus nobis aliunde notis, et absolute necessariis, conc.; secus, neg. Quum enim veritas est absolute necessaria, idest hujusmodi, ut ejus oppositum contradictionem implicet, tunc ejus oppositum nullatenus potest esse verum, impossibile enim est, idem simul esse, et non esse. Non autem si veritas non sit absolute necessaria, in hoc namque casu ita se habet, ut ejus oppositum possit esse verum. Hinc cum id, quod verum est, sit quoque juxta rationem, dum agatur proinde de veritatibus, quae non sunt absolute necessariae,

nemo non videt, posse earum oppositum secundum rationem esse. Secundum quam cum esse possit ejus oppositum, hoc ipso nequit contra rationem pronunciari; si enim vim vocabulorum perpendas, ea tantum reperies contra rationem dici posse, quae omnino juxta rationem esse nequeunt.

In his demum, aliisque id genus, quae a Baylio, ejusque gregalibus in medium proferuntur, vel proferri possunt, non parum proderit meminisse verborum Bolgenii, quae et alibi laudavimus in tract. de Eucharistia c. 2. *Le nostre idee tutte nascono o immediatamente, o mediatamente dai sensi. Dunque quando discorriamo di Dio, e de' suoi attributi, necessariamente ne discorriamo con idee, le quali si risentono della materialità, per dir così, della loro origine, e seco portano tutta l'imperfezione della potenza producitrice. Posto ciò, subito la retta ragione detta evidentemente, che su tali raziocinj non può farsi fondamento: e che sebbene l'evidenza supposta delle difficoltà degli Increduli non possa distruggersi con risposte dirette, certa cosa è, che tale evidenza nasce da idee sommamente oscure, imperfette, e limitate. Dunque è una evidenza fallace. Dunque non è da Filosofo il fidarsi di essa, anzi nettampoco il proporla. Colla qual sola indiretta risposta cadono a terra tutti i raziocinj di Baile, di Spinosa, di Voltaire, e di tutti gl' Increduli* (*Dissertazione sugli atti umani* §. 496., e *segu.*).

CAPUT II.

De variis propositionum qualificationibus in Theologia ex vario in eadem rationis usu, ac praesertim de censuris theologicis haeresis, non catholicitatis, erroneitatis, haeresi proximae, etc.

Quomodo scilicet de propositionum qualitate in Theologia judicandum sit, accurate demum, et diligenter, quantum fieri potest, exponendum est. Distinguere idcirco primum omnium oportet inter ea, quae immediate ad fidem attinent, et ea, quae ad fidem attinent mediate. Primi generis sunt, *quae Deus Ecclesiae suae immediate aut scripto, aut verbo edidit*. Haec vero subdistinguuntur in ea, quae pertinent ad communem Ecclesiae doctrinam,

et dicuntur *fidei catholicae*: et in ea, quae ad communem Ecclesiae doctrinam non pertinent, et dicuntur *fidei Divinae theologicae*. Quae vero pertinent ad communem Ecclesiae doctrinam rursus subdistinguuntur in ea, quae primario ad fidem pertinent, ut sunt, quemadmodum docet D. Th. 2. 2. q. 1. a. 6., *quae directe nos ordinant ad vitam aeternam, sicut tres personae Omnipotentis Dei, Mysterium Incarnationis, et alia hujusmodi*, et dicuntur *fidei articuli*; eorumque summa dicitur *symbolum fidei*: et in ea, quae primario ad fidem non pertinent, et dicuntur simpliciter *fidei catholicae*.

Alterius vero generis, mediate scilicet attinentia ad fidem, dicuntur, *quae ordine disciplinae ex illis prioribus colliguntur*; quia nempe non in seipsis, sed in aliis, tamquam principiis, revelata a Deo sunt. Et haec tamen non abs re fidei quodammodo esse, dici potest: 1.° ut disserit Can. l. 12. c. 5., ob affinitatem cum fide, quia fidei appendices. 2.° quia ratio connexorum est, quod cum concesseris superius, cogeris inferius quoque concedere; et cum inferius negaveris, superius item negare cogeris. 3.° quia oportet in Ecclesia sanam doctrinam esse, et verbum sanum, ut ait Ap. 1. ad Tim. 1., et 6, et 2. ad Tim. 1., et 4.; et ad Tit. 1., et 2.: ex quo sequitur, quod sicut quod saluti est noxium, vitae id quoque noxium est, ita quidquid sanae doctrinae adversatur, fidei etiam dicendum est quodammodo adversum; et e contrario quidquid ad doctrinae Ecclesiasticae sanitatem spectat, ad fidem etiam quodammodo spectare, dicendum est. Hinc et distinguitur a Theologis inter propositionem de fide, quae nempe *immediate est revelata*; propositionem ad fidem pertinentem, quae nempe *proxime, et evidenter sequitur ex una praemissa revelata, et altera naturaliter cognita*; et propositionem in ordine fidei positam, quae nempe *cum immediate revelatis quocumque tandem modo connexa est*. Sicut etiam tripliciter apud eosdem aliquod dicitur dogma catholicum: 1.° scilicet *late*, pro quo intelligitur *doctrina, quae licite, et citra censuram in catholica docetur Ecclesia*: 2.° *minus late*, pro quo intelligitur *doctrina, quae sit cunctis fidelibus proposita cum obligatione credendi, sed non tamquam de fide Divina*; ac demum *proprie et stricte*, pro quo intelligitur *veritas fidei Divinae, quae cunctis fidelibus, ut talis, credenda proponitur.*

Digitized by Google

Quoniam tamen, ut aliquid fuerit immediate a Deo revelatum, necesse non est, quod *materialiter*, seu uti sonat, revelatum fuerit, sed sufficit, quod revelatum fuerit *formaliter*, seu in suo conceptu, utrumque enim aequivalet; hinc nonnulla ex iis, quae specie tenus videntur mediate tantum a Deo revelata, ac merae conclusiones theologicae, reapse tamen immediate ab eo revelata sunt, ideoque sunt totidem fidei dogmata: ut ex. gr., quod Christus sit Patri consubstantialis, quod duae in eo sint voluntates; et alia hujusmodi. Ad id proinde dignoscendum, repetendum ducimus, quod scripsimus in tract. de fide: conclusiones scilicet Theologicas spectari posse vel *formaliter*, idest quatenus conclusiones, vel *materialiter*, idest quatenus propositiones. Si 1.m, conclusio theologica de fide non est, quod enim sola revelatione non nititur, dici nequit de fide. Conclusio autem theologica *formaliter* spectata et revelatione, et discursu nititur: Patet ergo propositum. Si vero spectetur *materialiter*, distinguendum est: Vel enim praemissae, ex quibus sequitur, sunt ambae formaliter revelatae; vel una tantum est formaliter revelata, et altera naturali lumine cognita. Si 1.m, conclusio theologica est de fide: cum enim conclusio sit formaliter eadem cum ambabus praemissis, hinc dum hae ambae fuerint formaliter revelatae, erit quoque ipsamet conclusio formaliter revelata. Quod autem formaliter est revelatum, est de fide: Patet igitur, quod si praemissae, ex quibus sequitur conclusio theologica, ambae fuerint formaliter revelatae, conclusio ejusmodi de fide dicenda est.

Si autem una tantum ex praemissis fuerit formaliter revelata, et altera naturali lumine noscatur, rursus est distinguendum, quod vel conclusio continetur quidem in praemissa formaliter revelata, sed non formaliter, vel in ea formaliter continetur. Si 1.m, conclusio theologica de fide non est: ut aliquid enim sit de fide, oportet, quod fuerit formaliter revelatum. Exemplumque peti potest ex hac propositione, *Christus est risibilis*, respectu alterius, *Christus est homo*. Si alterum, rursus distinguendum: vel enim continetur in praemissa formaliter revelata, ut implicitum in explicito, vel ut singulare in universali. Si 1.m, conclusio theologica est de fide. Cum enim implicitum idem formaliter sit cum explicito, hinc formaliter revelato explicito, formaliter quoque implicitum re-

velatum est. Formalis autem revelatio fidem constituit: Patet igitur propositum. Exemplum peti potest ex hac prop. ; *Christus est Patri consubstantialis* respectu illius, *Christus est unum quid cum Patre*, juxta ipsius verba ap. Joannem, *Ego, et Pater unum sumus.* Si vero contineatur in praemissa formaliter revelata, ut singulare in universali, rursus etiam distinguendum, quod vel continentia conclusionis in praemissa universali formaliter revelata cognoscitur absque ullo respectu ad has, vel illas circumstantias extrinsecas, vel non. Si 1.m, conclusio theologica est de fide. Cum enim ejus continentia in praemissa universali formaliter revelata cognoscitur absque ullo respectu ad has, vel illas circumstantias extrinsecas, tunc formalis revelatio aeque afficit propositionem universalem, ac propositiones singulares in ea contentas, quaevis namque propositio universalis eadem formaliter est cum propositionibus singularibus in ea contentis. Quod autem formaliter revelatum fuerit, est de fide: Patet ergo propositum.

Si autem talis continentia non cognoscitur, nisi habito respectu ad has, vel illas circumstantias extrinsecas, rursus etiam distinguendum: Vel enim harum circumstantiarum fallibilitas cessat ob concursum alterius superioris causae, quae ex Spiritus Sancti operetur instinctu, et infallibilitatis privilegio gaudeat, vel non. Si 1.m, conclusio etiam de fide est. Ut enim de fide esset, obstabat solum illarum circumstantiarum fallibilitas. Hac igitur de medio sublata, quod de fide sit, superest. Sic de fide est, Regnantem Summum Pontificem Successorem esse D. Petri, ac verum Christi Vicarium, cum enim de fide sit, Ecclesiam Corpus quoddam constituere, hinc quoque de fide est dicendum, quod numquam absque suo Capite sit futura: cumque hoc Caput sit Rom. Pontifex, in ejus proinde electionem concurrit Spiritus Sanctus, vi cujus, et subinde etiam per Ecclesiae acceptationem omnis fallibilitas extrinsecarum circumstantiarum cessat. Quod et dictum esto, si praedicta fallibilitas morali evidentia Divinae assistentiae certitudini cedat, ac per eam evanescat. Hinc cum morali evidentia constet, Concilium Tridentinum fuisse legitime congregatum, dicendum proinde est, quod non potuerit in fide errare, quodque id sit de fide; praesertim quia in re tanti momenti, ut est Concilii Oecumenici legitimitas, Spiritus S., qui Ecclesiae semper assistit, eam decipi non sinit. Si autem praedicta fal-

libilitas non cesset, conclusio non est de fide, cum haec incompatibilis sit vel cum formidine, vel cum ipsamet potentia formidandi de opposito. Quis autem non videt, quod cum continentia conclusionis theologicae in praemissa universali formaliter revelata non cognoscitur, nisi habito respectu ad has, vel illas circumstantias extrinsecas, harumque circumstantiarum fallibilitas non cessat, tunc, etsi non adsit formido, adest tamen potentia formidandi de opposito? Ergo. . Hinc apposite Tridentinum negat, posse aliquem de fide credere, se esse in statu gratiae, nam, inquit: *Sicut nemo pius de Dei Misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, et efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum, suamque infirmitatem, atque indispositionem respicit, de sua gratia formidare, ac timere potest* (*sess.* 6. *c.* 9.).

Atque haec sint satis de qualificatione propositionum, quatenus vel sunt de fide, vel sunt conclusiones theologicae; de quibus tamen postremis consulatur quoque quod diximus in introduct. ad Theol. prop. 3. et 4. De illarum modo, propositionum qualificatione, quae tum illis, quae de fide sunt, tum illis, quae sunt merae conclusiones Theologicae, vel in ordine ad fidem, opponuntur, dicendum superest. Harum vero propositionum qualificatio dicitur censura theologica; quae proinde definitur: *Judicium, quo nota prava, et maligna cuidam inuritur doctrinae, tamquam fidei aliquo modo nocivae.* Sunt autem hae notae, saltem praecipuae, quae colliguntur ex Concilio Constantiensi sess. 8., et sequ. in qualificatione articulorum Wiclefi, ità enim ait: *Quibus articulis examinatis, fuit repertum (prout in veritate est), aliquos, et plures ex istis fuisse, et esse notorie haereticos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, et blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos; nonnullos eorum temerarios, et seditiosos: et propterea etc.* Concilium vero Constantiense secuti postmodum sunt Summi Pontifices in qualificatione aliarum propositionum damnabilium; ut Leo X., Pius V., Gregorius XIII., Innocentius X., Alexander VII., Clemens X., Innocentius XI., Alexander VIII., Innocentius XII., etc.

Antequam autem de iis singillatim loquamur, operae pretium est, advertere, quod cum id, quod verum est, fidei noxium esse nequeat, ex ostensis c. 1. prop. 1., hinc censura theologica nec umquam cadere potest in id,

quod verum est, nec umquam fiet, quod propositio, quae merito inusta fuerit censura theologica, vera, ac sana evadat. Itemque si illas ferat vel Ecclesia sive in Concilium coacta, sive per Orbem dispersa, vel ejus Caput Romanus Pontifex ex Cathedra, nemo potest contradicere, vel contrarium sentire: si vero Doctores Theologi, eo majorem illorum judicium auctoritatem habet, quo peritiores habentur, et sunt.

Omnium autem censurarum theologicarum potissima est nota haereseos: eaque afficitur propositio (quae proinde haeretica dicitur) *directe opposita veritati immediate a Deo revelatae, et per Ecclesiam propositae.* Scilicet *directe opposita*, non enim sufficit, quod oppositio sit indirecta per illationem. Et quidem *veritati immediate a Deo revelatae*, neque enim sufficit, quod veritas, cui opponitur, fuerit mediate tantum revelata, quia nempe colligitur ex alia immediate revelata, tamquam ex principio, in quo formaliter non contineatur. Diximus vero *in quo formaliter non contineatur*, nam cum aliquid formaliter continetur in alio, quod fuerit immediate revelatum, tunc utriusque conceptus idem omnino est, ac licet voces sint diversae, idem tamen omnino est significatum: ex quo sequitur, quod utrumque aeque est de fide, quodque utrique opponitur, aeque est haereticum. Requiritur demum, ut propositio sit haeretica, quod veritas immediate revelata, cui directe opponitur, fuerit ad credendum *per Ecclesiam proposita*, ubi enim aliquid manifeste non constet, in verbo Dei scripto, vel tradito contineri, non quocumque modo, sed infallibili Ecclesiae auctoritate id constare debet, ut sit de fide universali, eique oppositum sit haereticum. Diximus quoque *ubi manifeste non constet, in verbo Dei scripto, vel tradito contineri*; ut enim advertit Card. De Lugo Disp. 20. De virt. fid. sect. 2., *si constat sufficienter de revelatione Dei in Scriptura contenta, constat etiam sufficienter de propositione Ecclesiae, atque adeo non potest excusari dissensus ab haeresi ex defectu solum propositionis, seu applicationis ab Ecclesia faciendae, nam Ecclesia clare, et manifeste proponit credendam Scripturam, et omnia, et singula in ea contenta.* Quod et dicendum subdit, ubi idem manifeste constet ex Traditione, quam aeque ac Scripturam, tamquam fidei regulam, Ecclesia proponit; unde ait D. Basil. l. de Sp. S. c. 7., quod *utraque parem vim habent ad pietatem.*

Quod autem prop. haeretica ea sit, quam definivimus, patet 1.° ex C. *Ad abolendam etc.*, et passim ex toto titulo *De Haereticis*. 2.° ex eo quod Ecclesia, cum auctoritatem non habeat condendi novos fidei articulos, novaque dogmata, ea solum potest, ut talia, declarare, et consequenter proscribere, tamquam haeretica, ipsis opposita, de quibus revelatio Divina immediate est habita. Ac 3.° etiam ex eo quod Ecclesia saepe vetuit, ne quis privata auctoritate Catholicorum sententias ab ipsa non damnatas, uti haereticas, traduceret.

Haec igitur propositio in se haeretica: distinguendum namque est inter propositionem in se, seu materialiter haereticam, et propositionem haereticam formaliter, qua nempe illam asserens et culpae haeresis apud Deum, et poenis ab Ecclesia contra haereticos latis obnoxius constituatur. Ad illam non requiritur, ad hanc vero requiritur pertinacia, qua nempe illam asserens eam pergat tenere, quamvis cognoscat catholicae fidei adversari. Et quoad 1., nisi ita esset, 1.° eadem propositio ab uno affirmata esset haeresis, ab alio non esset. Qualitatem autem propositionis ab asserente pendere, quam sit erroneum, nemo est, qui non videat: Ergo . . 2.° quia si propositio in se falsa, a quocumque asseratur, semper est falsa, etiam propositio in se haeretica, a quocumque asseratur, semper haeretica est dicenda. Propositio autem in se falsa, a quocumque asseratur, semper est falsa: Ergo . . . 3.° quia si ab asserente non pendet, ut veritas aliqua sit catholica, neque etiam ab asserente pendere, dicendum est, ut propositio illi opposita sit haeretica. Ab asserente autem non pendet, ut veritas aliqua sit catholica; sive enim Judaeus, sive Paganus, sive Christianus, Deum esse unum, ac trinum affirmet, aeque hujusmodi assertio est catholica: Ergo . . 4.° quia secus, ad definiendum, an aliqua propositio haeretica sit, necne, asserentium animus deberet prius innotescere. Nulla autem ejus, qui propositionem aliquam haereticam asserat, ratione habita, TT. definiunt, propositionem illam esse haereticam: Ergo . . Demum quia sicut externa fidei testatio fides nuncupatur, ita externa haereseos testatio haeresis quoque dicenda est; *rerum quippe signa, et immagines*, ut apposite advertit Canus De loc. L. 12. c. 8.; *rerum saepe nominibus appellantur*.

Ad propositionem tamen haereticam formaliter sum-

ptam pertinaciam requiri, commune est apud DD.: et constat 1.° ex verbis Ap. ad Tim. ep. 1. c. 6. *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus . . superbus est, nihil sciens.* 2.° ex Conc. Later, sub Innoc. III. c. 2., nec non ex Clementina unica *De Summa Trinit.*, et ex Clementina *Ex gravi* De usuris. 3.° ex eo, quod in jure, ut 24. qu. 1. cap. *Quid autem*, et cap. *Achatius*, et 24. qu. 3. cap. *Notandum* dicuntur aliquae haereses esse novae, aliae veteres. Locum autem, ut consideranti patet, non haberet distinctio ejusmodi, si absolute, absque ullo asserentis respectu, propositio in se haeretica talis quoque esset formaliter. 4.° ex D. Aug. ep. 43., ubi: *Qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* 5.° ex ipsa nominis origine, nam haeresis graece ab electione dicitur, ut advertit D. Hier. in c. 3. ep. ad Gal., D. Isid. l. 8. etymol. c. 3., et D. Th. 2. 2. qu. 11. a. 1 . . Quod cum ita sit, profecto haereticus non erit, nisi qui sciens, et volens doctrinam eligit fidei contrariam: Ergo . . Demum ex eo quod haeresis formaliter talis, nedum est vitium intellectus, sed etiam voluntatis, utpote crimen, quod, nisi voluntarium sit, nec dari, nec intelligi potest, Quod cum ita sit, ad constituendum quoque haereticum formaliter talem, intellectus errorem non sufficere, sed requiri etiam voluntatis crimen, quae nolit fidei jam cognitae se subjicere, nemo est, qui non videat: Ergo. Hinc quoque notissima illa distinctio inter haereticum *formalem*, et *materialem*.

Advertendum demum hic ducimus, quod ipse dubius in fide, modo pertinax, est quoque formaliter haereticus, poenisque idcirco contra haereticos latis obnoxius: quod patet 1.° ex c. 1. de haereticis, ubi: *Dubius in fide infidelis est.* 2. ex D. Aug. in Enchir. c. 17., et 19. *Errare est verum putare, quod falsum est, falsumque, quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertum vero pro certo, sive falsum, sive verum sit.* Error autem pertinax contra veritatem fidei catholicae est formaliter haeresis: Ergo. . 3.° ex eo quod *fides*, ut ait D. Bernardus, *ambiguum non habet; quod si habet, fides non est;* de ratione enim fidei est constans, et certa firmitudo; quare Innoc. XI. proscripsit prop., quae ajebat: *Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat*

cum notitia solum probabili revelationis, *immo cum formidine*, *qua quis formidat*, *ne non sit locutus Deus.* Praefatam autem firmitudinem pertinaci vacillatione, ac dubitatione everti, quis non videt? Ergo.

Notae haereseos proxime succedit juxta non paucos nota *non catholicitatis* ex praefatis verbis Concilii Constantiensis. Ex iis vero alii docent, quod propositio non catholica est, *quae directe opponitur veritati immediate a Deo revelatae*, *sed nullatenus ab Ecclesia adhuc ad credendum propositae*: quia enim ex praefatis verbis Concilii Constantiensis nota *non catholicitatis* esse debet nota proxime sequens notam *haereseos*, hinc cum propositio haeretica sit, quae directe opponitur veritati immediate a Deo revelatae, et per Ecclesiam propositae, propositio non catholica dicenda erit, quae directe opponitur veritati immediate a Deo revelatae, sed nullatenus ab Ecclesia adhuc ad credendum propositae. Sic ante Tridentinum, quia nondum declarata erat Ecclesiae fides de B. Mariae Virginis immunitate ab omni etiam veniali noxa, propositio opposita, quod *B. Virgo aliquando venialiter peccavit*, fuisset non catholica, quia nempe, ut ait Sylvius 2. 2. qu. 1. art. 6., eam asserens *non errasset in fide definita*, *et declarata*, *nam Ecclesia nondum proposuerat illud dogma*, *tamquam fide catholica tenendum*. Diximus *ante Tridentinum*, quia post Trid., quod sess. 6. can. 23. declaravit, hanc esse Ecclesiae fidem illis verbis: *Si quis hominem semel justificatum dixerit. . . posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare*, *nisi ex speciali Dei privilegio*, *quemadmodum de B. Virgine Maria tenet Ecclesia*, *anathema sit*; post Trid., inquam, eadem propositio: *B. Virgo aliquando venialiter peccavit*, non esset simpliciter non catholica, sed formaliter haeretica, ut simul cum Sylvio l. c. docet quoque prae aliis Tournelius *tract. De Gensuris Theol.*, *ubi de prop. erronea* §. *Dices* 5.°; erraret enim eam asserens in fide definita, et declarata, et negaret dogma ab Ecclesia propositum, tamquam fide catholica tenendum.

Alii vero ajunt, quod propositio non catholica est, *quae opponitur veritati immediate a Deo revelatae*, *non tamen directe, sed indirecte*, *seu per illationem*: quia enim ex praefatis verbis Concilii Constantiensis nota non catholicitatis proxime sequi debet notam haereseos, hinc cum propositio haeretica sit, quae directe opponitur veritati im-

mediate a Deo revelatae, et per Ecclesiam propositae, ea dicenda est propositio non catholica, quae illi non jam directe, sed indirecte opponitur. Sic ante Tridentinum propositio, *B. Virgo aliquando venialiter peccavit*, dici poterat ex hoc quoque capite non catholica, utpote indirecte, seu per illationem opposita ejus Divinae Maternitati, quae est veritas et immediate a Deo revelata, et per Ecclesiam proposita: cum enim maxime indecens fuisset, quod Dei Genitrix umquam ullatenus peccasset, quare ait D. Thomas 3. p. qu. 27. art. 4. in corp. *Non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando*; ex eo idcirco, quod fuerit Dei Genitrix, evidenter infertur, quod numquam ullatenus peccavit: ex quo sequitur, quod propositio opposita indirecte, seu per illationem opponitur ejus Divinae Maternitati.

Alii inquiunt, quod propositio non catholica ea est, *quae adversatur doctrinae, quae licet non sit expresse revelata, aut definita, communi tamen Ecclesiae consensu recepta est*; utque scribit Suaresius *Disp.* 19. *De fide sect.* 2. *n.* 13., exemplum esse potest *in propositione negante, Beatissimam Virginem resurrexisse, seu in corpore, et anima esse assumptam; nam contraria veritas non reperitur expresse revelata, aut definita, cum tamen sit sufficienter catholica.* Et sane, inquiunt, cum catholicum idem sit, ac universale, propositio idcirco, non quidem contra doctrinam fidei catholicae, sed contra doctrinam communi Ecclesiae consensu receptam, ipsa videtur, quae dicenda est non catholica.

Rectius demum alii, inter quos Tournelius l. cit. *Dices* 4.° etc., docent, quod Concilium Constantiense hac voce *non catholici* non intendit exprimere aliquam specialem notam, sed genericum dumtaxat propositionum damnabilium gradum: postquam enim dixit, multos ex Wiclefi articulis esse *notorie haereticos*, *alios vero non catholicos*, *sed erroneos*, protinus subdidit, *alios scandalosos, et blasphemos. . . quosdam temerarios*, *et seditiosos etc.* Hoc autem loquendi modo satis significavit, tam *non catholicum*, quam *erroneum* sumpsisse, non tamquam notas speciales, sed, ut diximus, tamquam genericum dumtaxat propositionum damnabilium gradum. Idque magis confirmatur ex sess. 15., ubi cum Concilium quasi generatim damnasset triginta Joannis Hus articulos, tamquam *non catholicos*, immediate subdidit: *Sed ex eis plures*

esse erroneos, *alios scandalosos*, *aliquos piarum aurium offensivos*, *pluresque eorum esse temerarios*, *et seditiosos*, *et nonnullos eorumdem esse notorie haereticos*. Quod et demum confirmatur ex Bulla Martini V. eodem Sacro Concilio approbante edita, qua sancitum fuit, ut quilibet *specialiter litteratus interrogetur*, *utrum credat*, *sententiam Sacri Constantiensis Concilii super* 45. *Joannis Wiclef*, et *Joannis Hus* 30. *articulis esse veram*, *et catholicam* : *scilicet*, *quod supradicti articuli*. . . *non sunt catholici*, *sed quidam ex eis sunt notorie haeretici*, *quidam erronei*, *alii temerarii*, *et seditiosi*, *alii piarum aurium offensivi*. Nemo porro est, qui non videat, notam non catholicitatis in utroque loco sumi, non tamquam notam specialem, sed generice, prout nempe significat aliquid heterodoxum, quod sub se, tamquam genus species, omnes subsequentes notas comprehendit.

Quibus positis, rectius quoque, et communius nota, quae proxime succedit notae haereseos, est nota erroneitatis, quemadmodum constat tum ex praefatis verbis Martini V.; tum ex aliis Summorum Pontificum Diplomatibus, ut Pii V. contra Bajum, Innocentii XI. contra Molinos, etc. Hinc licet error late quoque significet quamlibet assertionem falsam in quavis materia; quo sensu ait D. Aug. in Enchir. c. 17., et contra Academicos c. 4. *Errare nihil aliud est*., *quam vera pro falsis*, *aut falsa pro veris probare* : item *minus late* assertionem quovis modo fidei noxiam, quo sensu Leo X. in Bulla contra Lutherum, recensitis variis Lutheri articulis, inter quos plurimi erant haeretici, eos generatim vocat *errores*, dicens : *Praefatos omnes articulos*, *seu errores*. . *damnamus* : tamen *proprie*, *ac stricte* significat notam haeresi proxime accedentem. Hinc proposito erronea, prout saltem communius definitur, est, *quae directe opponitur merae conclusioni theologicae* ; de cujus proinde notione consulatur quod diximus in introduct. ad Theol. prop. 3. Seu *propositio directe opposita veritati*, *quae non sit in se immediate revelata*, *sed ex uno fidei placito*, *et altero naturaliter cognito certo*, *et evidenter per veram illationem eruitur*. Ita Card. De Lugo, Tourn., aliique. Et sane illa dicenda est propositio erronea, quae proximius haereticae accedit. Huic autem proximius accedit, quae directe opponitur veritati certo, et evidenter fluenti ex fidei placito, et altero naturaliter cognito; est

enim repugnantia mediata veritati revelatae oppositionis gradus immediatae proximior, et proinde constituens propositionem censura notandam qualibet alia haeresi magis affini: Ergo.

Abs re idcirco non est advertere, quod una, eademque propositio potest simul esse sub diverso respectu et haeretica, et erronea; quia nempe propositio, cui opponitur, potest simul esse et placitum fidei, et conclusio theologica, certaque simul et certitudine fidei, et certitudine theologica. Sic ex: gr., quod in Christo sint duae voluntates, et est placitum fidei, quia immediate revelatum Luc. 22., ubi leguntur illa Christi verba: *Non mea voluntas, sed tua fiat. Non sicut ego volo, sed sicut tu*: et aliunde evidenter sequitur ex ista fidei veritate, quod Christus est et perfectus Deus, et perfectus homo. Quare et propositio illi opposita dici potest sub diverso respectu et haeretica, et erronea. Sic etiam quod B. Virgo nec etiam venialiter umquam peccavit, et est fidei placitum, et aliunde evidenter infertur ex ejus Divina Maternitate, quia ut advertit D. Thomas l. cit., *non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando*. Quare et propositio illi opposita dici pariter potest sub diverso respectu et haeretica, et erronea.

Notam erroneitatis excipit ea, quae dicitur haeresi proxima: eaque afficitur *propositio, quam major, et sanior Theologorum pars ex Scriptura, aut Traditione judicat esse haereticam, sed non audet absolute, ac simpliciter eam, ut talem, pronuntiare, eo quod non desint graves Theologi contendentes, levi licet motivo ducti, ipsi censuram hujusmodi tribuendam non esse.* Ita prae aliis Lugo, Antonius De Panormo, Tourn., aliique. Cum enim certitudinis gradus non sit hujusmodi, ut sufficiat ad illam judicandam indubie haereticam, quia non omnes omnino Theologi unanimi consensu illam, ut talem, pronuntiant, neque etiam inter haereticas absolute, et simpliciter est annumeranda. At simul major, ac sanior eorum pars illam judicant esse haereticam, paucis tantum dissentientibus, levi ductis motivo: Cum ergo hi tantum desint, et quidem levi motivo ducti, ut talis propositio indubie judicetur, tamquam haeretica, nemo non videt, quod judicanda saltem sit haeresi proxima. Advertendum proinde, notam erroneitatis graviorem esse nota proximae haeresi: negans enim conclusionem theologicam cogitur, quan-

tum est ex parte objecti, negare et praemissam de fide; sustinens vero propositionem haeresi proximam potest non esse haereticus, cum enim opinio asserens illam propositionem esse haereticam falsa esse possit, inter eam proinde, et haeresim non adest necessaria connexio.

Sequitur nota, quae dicitur haeresim sapiens; eaque inuritur *propositio, ex cujus concessione, coassumpto aliquo, quod non potest rationabiliter negari, sequitur haeresis*. Ita Gersonius, Bossuetius, Card. Turrecremata, aliique, quibus nos adhaeremus. Nec obstat, ut diximus etiam in tract. de fide c. 3., quod Tournelius objicit, quod nempe si propositio haeresim sapiens ea dicatur, quam tradidimus, non amplius distinguitur propositio haeresim sapiens a propositione erronea; en etenim distinctivum inter utramque: Propositio scilicet erronea *ea est, ex cujus concessione, coassumpto alio, quod non potest* PRORSUS *negari, sequitur haeresis*: Propositio vero haeresim sapiens *ea, ex ejus concessione, coassumpto alio, quod non potest* RATIONABILITER *negari, sequitur haeresis*. Res fiat clarior exemplo. Sic de fide non est, quod in data numero hostia adsit Christus, quia etsi de fide sit, in omni hostia rite consecrata Christum adesse, continentia tamen illius conclusionis *Ergo in hac numero hostia adest Christus* cognosci nequit, nisi habito respectu ad varias circumstantias extrinsecas, puta quod Sacerdos fuerit rite ab Episcopo ordinatus, quod consecrationis verba protulerit, quodque ea protulerit animo faciendi quod facit Ecclesia, etc. At neque etiam dici potest conclusio theologica in rigore sumpta, cum realitas in consecrante characteris Sacerdotalis, etc. praesumantur potius, quam noscantur: Ergo et propositio opposita neque haeretica dici potest, neque erronea. Sed neque etiam dici potest haeresi proxima, ut patet ex tradita hujus notae definitione: Superest ergo, ut rectius dicatur haeresim sapiens; quia nempe ex concessione, quod Christus non sit realiter in data numero hostia, coassumpto, quod illa hostia fuit rite consecrata, quod rationabiliter negari nequit, sequitur haeresis, quod scilicet in hostia rite consecrata non adest Christus. Haec igitur rectius propositio haeresim sapiens.

Propositio vero de haeresi suspecta ea dicitur, *quae licet sensus et sani, et pravi proprie capax sit, attamen vel ratione sui, vel ratione circumstantiarum loci, tem-*

poris, personarum, etc. sensum pravum praevalentem involvit, et gravem de haeresi suspicionem ingerit.

Pronum modo est ex dictis intelligere, quid sibi velint propositio proxima errori, sapiens errorem, et suspecta de errore.

Dicitur vero male sonans, seu piarum auriam offensiva (quas notas a se non distingui, ex eo patet, quod nihil assignari potest male sonans, quod pias aures non offendat, et vicissim; quare in Diplomatibus tum Conciliorum, tum Pontificum, quoties male sonautis nota exprimitur, toties de altera piarum aurium offensivae siletur, et vice versa), *quae licet in bonum sensum exponi queat, ratione tamen vel sui, vel circumstantiarum sensum pravum magis praesefert*. In eo autem distinguitur a propositione suspecta de haeresi, quod haec respicit credenda, circa quae sensus praevalens est omnino haereticus; male sonans vero, seu piarum aurium offensiva respicit agenda; vel si credenda, non ita, ut sensus praevalens sit penitus haereticus.

Quoad notam modo temeritatis, potest haec dupliciter propositioni alicui convenire, positive scilicet, et negative. Est enim propositio positive temeraria, *quae pugnat contra receptam sententiam vel Patrum, vel Theologorum, ita ut omnes, vel fere omnes in illa conveniunt, etiamsi non asserant esse certam fide Divina, sed omnino probabiliorem, aut simpliciter veram.* Negative vero temeraria, *quae solo proprio judicio sine sufficienti auctoritate, vel cogente ratione excogitata est.* Et haec enim censuram meretur, tum quia temeritas ex D. Thoma 2. 2. opponitur prudentiae, cujus non est gratis quidpiam asserere; tum *quia* (ut disserit Suaresius Disp. 19. de fide sect. 2. n. 20.) *deficit a recta regula rationis; et aliquid habet praesumptionis, ac proinde in materia theologica, et supernaturali non caret temeritate.* Ex tradita autem definitione sequitur 1.°, quod temeritatis nota quibuslibet generatim propositionibus adaptari potest, quae sub alia quavis censura prohibentur. 2.° quod difficillime sola temeritatis nota reperitur in aliqua propositione, quae notata fuerit, tamquam positive temeraria. 3.° quod propositio positive temeraria quemdam semper pravitatis gradum in se involvit, quo fit, ut perpetuo noxia sit, et damnanda: quod et di-

cendum de negative temeraria, quae nimirum in materiis theologicis absque fundamento vel auctoritatis, vel rationis ex parte ipsius objecti arbitrarie profertur, cuivis consideranti fit perspicuum.

Passim quoque inter propositiones proscriptas repe- riuntur proscriptae, tamquam scandalosae. Hae autem sunt, *quae dant occasionem ruinae spiritualis*, *vel inclinando ad peccata*, *vel avertendo a virtutum exercitio*, *sive ratione sui*, *sive ratione fragilitatis proximi*. Advertit tamen Antonius De Panormo, censuram scandali proprie, et per se non competere, nisi propositionibus, ac doctrinis spiritualem proximorum ruinam active promoventibus, atque ad eam inducentibus, quia in his revera residet pravitas, quae in passive scandalosis in rigore non extat. Caeterum subdit, posse quandoque interdici propositiones, et doctrinas ob scandalum mere passivum, dummodo id fiat cum debita circumspectione.

Sequentibus quoque notis, quas compendiosius pertractabimus, vitiosae inuruntur propositiones. Adsunt enim schismaticae; suntque hae, *quae viam scissioni unitatis Ecclesiasticae aperiunt*, *fideles ab obedientia Superioritatibus Ecclesiasticis debita*, *ac praecipue Rom. Pontifici*, *qui est totius unitatis Ecclesiasticae centrum*, *retrahendo*. Si id autem sit, negando, ipsum esse Caput Ecclesiae, et Christi Vicarium, eique inesse potestatem ferendi leges Ecclesiasticas, in hoc casu propositio est schismatico-haeretica. Si vero id sit simpliciter, ipsi denegando obedientiam, ejusque legibus observantiam, absque ulla prorsus exclusione auctoritatis ipsi a Christo concessae, in hoc casu propositio est simpliciter schismatica. Hujusmodi etiam esset separando fideles a se invicem in iis, quae sunt fidei, aut Religionis; cum enim membra, et Caput sint inter se connexa, et subordinata, hinc qui a membris se separat, hoc ipso se etiam separat a Capite, et vice versa.

Parum a schismatica differt propositio seditiosa, et rebellis, utraque enim contra unitatem pugnat; illa scilicet contra unitatem Ecclesiasticam, haec contra unitatem saecularem. Sic proinde definiri potest: *Ea, quae ad tumultus in Republica excitandos conducit*, *et ab obedientia Principibus Civilibus debita retrahit*. Si nimirum ad tumultus tantum in Republica excitandos conducit, di-

citur simpliciter seditiosa: si vero etiam ab obedientia Principibus Civilibus debita retrahat, dicitur et seditiosa, et rebellis, rebellio enim semper respicit tumultum in ordine ad obedientiam Principibus Civilibus debitam; quare dicitur 1. Esd. 4. *Civitas illa a diebus antiquis adversus Reges rebellat.*

Adest quoque proposito blasphema; eaque dicitur, *quae contra Deum, Deiparam, Sanctos, vel res sacras convicium continet, illis vel debitas detrahendo perfectiones, vel indebitos affigendo naevos, vel desiderando, aut imprecando malum aliquod, seu carentiam alicujus boni.* Pressius quoque cum D. Th. definiri potest *quae convicium, et irreverentiam contra Deum continet*; maledictio enim, et contumelia in Sanctos, aut res sacras, nonnisi quia in Deum redundat, blasphemiae rationem suscipit; ait enim S. D. 2.-2. q. 13. a. 1. *Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, ita et blasphemia, quae fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* Dicitur vero etiam haereticalis, si haeresim; erronea, si errorem; sapiens haeresim, vel suspecta de haeresi, si haeresis saporem, aut de ea suspicionem contineat: quod et dictum esto de aliis censurarum gradibus.

Adest et propositio impia; eaque dicitur, *quae pietatis opera inficiatur, aut depretiat*, debitum scilicet Deo cultum, honorem parentibus, et consanguineis, Superioribus, et benefactoribus obsequia, et debitam gratitudinem. Non confunditur autem cum blasphema, quia dari potest propositio blasphema, quin sit impia. Sic propositio Graecorum negantium processionem Spiritus S. a Filio est blasphema, et quidem haereticaliter talis, cum neget Patri omnia praeter Paternitatem Filio communicare, neget Filio rationem principii respectu Spiritus S., neget demum Spiritui Sancto respicere Patrem, et Filium, tamquam unicum sui principium: non tamen est impia, cum Deo non neget debitum obsequium, debitamque gratitudinem ob innumera, quae nobis contulit, et in dies confert beneficia. Late caeterum impia quoque est propositio, quae in Deum blasphemiam continet. Sicut etiam confundenda non est cum propositione non pia; cujusmodi dicitur propositio alteri opposita, quae cum nec divinitus revelata sit, nec certitudine theologica illata, nec absque ulla in oppositum formidine propugnata, pie

tantum creditur, quin proinde opposita ullam in se impietatem, quae ad censuram satis sit, contineat.

Adest et propositio injuriosa, seu contumeliosa, ad quam revocantur quoque maledica, detractiva, et satyrica; eaque dicitur, *quae alicui vel personae, vel statui injuriam infert*; modo tamen injustam honoris, vel famae laesionem involvat, vel aliquo modo bonis moribus, et Christianae disciplinae sit contraria. Item propositio captiosa; eaque dicitur, *quae sub specie quadam veritatis, aut pietatis in errorem inducit*. Item falsa; eaque dicitur, *quae identitatem, propinquitatem, aut necessariam connexionem dicit cum propositione expresse damnata sub quavis censura*. Praeter quas recensitas aliae etiam notae adessent diversis in censuris expressae: sed quia minus usitatae, et ad supra allatas commode revocari possunt, ab earum proinde enumeratione, et explicatione supersedendum censemus.

Illud tamen ducimus advertendum, et quod saepe plures simul notae in una propositione enumerentur, quia in Theologicis rebus tanta est connexio, ut unico ictu plura simul capita feriantur; et quod licet censurae theologicae propositionum sensum potissimum afficiant, minus tamen praecipue afficiunt quoque ipsarum verba; ut enim ait D. Hieron. ep. ad Damas., *ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis*. Quare Ap. 1. ad Tim. c. 6., *depositum* (inquit) *custodi*, *devitans profanas vocum novitates*. Et 2. ad eumdem c. 1. *Formam habe sanorum verborum*. Sicut etiam, quod ferri possunt, vel propositiones singillatim referendo, iisque singulis debitam apponendo notam; ut factum fuit ab Innoc. X. adversus quinque Jansenii propositiones, nec non a Pio VI. adversus propositionis Episcopi, et Synodi Pistoriensis: vel, nulla relata propositione, integrum damnando librum, tamquam venenosum; ut factum fuit a Syn. Nicaena I. adversus Arii librum *Thalia* inscriptum: vel demum singulas quidem referendo propositiones, sed eas notis in unum congestis inurendo, atque, ut dici solet, *in globo*, ut factum fuit a Conc. Constantiensi adversus errores Wiclefi, et Joannis Hus; quo agendi modo significatur, et nullam esse ex relatis propositionibus, quae aliquam non mereatur ex illis notis, et nullam esse ex relatis notis, quae non alicui saltem competat propositioni.

Atque haec satis de Locis Theologicis ; quanti enim a Theologo facienda sit humanae historiae auctoritas, de qua etiam a Cano, aliisque agitur, tum quia Logicae potius objectum , tum quia nulla adsunt peculiaria praecepta a Theologiae Candidatis discenda , brevitati consulentes , praetermittendum nos ducimus. Quae omnia ad majorem Dei gloriam sint.

Finis primi Voluminis.

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
Pag. 5. v. 10. paractum	peractum
Pag. 6. v. 40. *ub*	*ubi*
Pag. 9. v. 27. *veramillationem.*	*veram illationem*
Pag. 14. v. 31. quaproter	quapropter
Pag. 20. v. 7. curam genere	curam gerere
Pag. 21. v. 13. Divini	Divinae
v. 14. suscipaemus	suscipimus
Pag. 42. v. 17. praedicaebatur	praedicebatur
Pag. 43. v. 30. Innocentiumcaedes	Innocentium caedes
Pag. 44. v. 14. Ejussubin de	Ejus subinde
Pag. 46. v. 21. nec lapidem in illa relicturum	nec lapidem super lapidem in illa relicturum
Pag. 64. v. 2. *aiios*	*alios*
v. 14. Hirosolymis	Hierosolymis
v. 34. unisquisquo	unusquisque
Pag. 66. v. 32. Chrisit	Christi
Pag. 68. v. 30. *intelligamns*	*intelligamus*
Pag. 79. v. 33. *verbornm*	*verborum*
Pag. 80. v. 37. aventum	adventum
v. 41. e	et
Pag. 89. v. 26 ne enim in iis	ne in iis
Pag. 95. v. 24. in Scriptoris	in Scripturis
v. 40. exibet	exhibet
Pag. 134. v. 19. Ecclesia	Ecclesiam
Pag. 141. v. 26. schismaticis	schismatici
Pag. 154. v. 10. non unius	unius
Pag. 157. v. 18. Verae Christi Ecclesiae notae	Verae Christi Ecclesiae nota
Pag. 159. v. 9. ostensitum	ostensis tum
Pag. 197. v. 28. constet	constat
Pag. 203. v. 12. *Eccelsiae*	*Ecclesiae*
Pag. 232. v. 18. Principium	Principum
Pag. 235. v. 17. de Contificatu	de Pontificatu
Pag. 237. v. 10. dissolvebat	dissolverat
Pag. 239. v. 25. *conseretur*	*censeretur*

584440

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google